TRACTATUS THEOLOGICO-MORALIS IN DECEM DECALOGI, & QUINQUE...

Gregor Kimpfler, Andreas Matthäus Wolffgang, ...

Digitized by Google

32
6 E
+

ized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IN ROMA

Digitized by Google



Tobias Laub del: *And. Matth: Wolffgang ſculp: Aug: Vind.*

Digitized by Google

TRACTATUS
THEOLOGICO - MORALIS
In decem Decalogi, & quinque Eccleſiæ Præcepta

Per ſeſqui centum Caſus elucubratus,

à

Reverendiſſimo, Prænobili ac Ampliſſimo
Domino Domino

GREGORIO KIMPFLER,
Celeberrimi & Exempti Monaſterij Schyrenſis Abbate vigilantiſſimo, Statuum Provincialium Superioris Bavariæ Deputato & Commiſſario, SS. Theologiæ & J. U. Doctore: olim in Benedictina Univerſitate Salisburgenſi SS. Canonum Profeſſore ordinario. Exemptæ Congregationis Benedictino - Bavaricæ ſub Titulo SS. Angelorum Cuſtodum quondam Præſide & Viſitatore.

Collectus, Authoritatibus & rationibus firmatus, multiſque additionibus auctus: adjunctis in fine quadam Appendice pro inſtructione Confeſſarii recèns ad Tribunal ſacrum ſeſe accingentis, atque Indice rerum memorabilium,

à

P. JOSEPHO INDERSTORFFER
Benedictino Schyrenſi, ante hac in Communi Congregationis Benedictino - Bavaricæ Studio: modò in Celeberrimo & Exempto dictæ Congregationis Monaſterio Priflingenſi propè Ratisbonam SS. Theologiæ Profeſſore.

Cum Facultate Superiorum.

RATISBONÆ,
Typis JOAN: ÆGIDII RAITH, Epiſc. Ratisb. Typogr. Anno M.DCCVIII.
Cum Gratia & Privilegio Sacræ Cæſareæ Majeſtatis.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO, PRÆNOBILI ET AMPLISSIMO D.

DOMINO

OTTONI

Celeberrimi Monaſterij Priſlingenſis, Exemptæ Congregationis Benedictino - Bavaricæ

ABBATI

Digniſſimo, Vigilantiſſimo, Domino perquàm Gratioſo, ac Patri Obſervandiſſimo.

Digitized by Google

REVERENDISSIME, PRÆNOBILIS ET AMPLISSIME D. DOMINE PRÆSUL &c.

PAtere, Reverendissime Præsul, ut Tuas ad Aras hoc debitæ obſervantiæ & devotionis Pignus ſuſpendere mihi fas ſit. Pátere, ut ex Tuo Nomine, cujus honoribus Decalogum hunc dico & dedico, lucidiſſimos traham radios, quibus inaurare mihi hoc opus, ad publicũ ſpectaculum liceat. Anathéma hoc quidem & vectigal, non inficior, leve eſt, quia anguſtis can-

Digitized by Google

cancellis circumſcriptum ; hinc tanti PRÆSULIS oculum ſubire nonnihil veretur, qui utpote velut Aquilinus, eorum tantùm aſpectu recreatur, quæ magna ſunt, & cum Solis jubare ac ſplendore quid commune habent. Dabit tamen hoc mihi Humanitas Tua, nota illa & adorata ubique Virtus, ut præſentes has paginas benevolo digneris obtutu: nam ſæpè plus formicarum & apicularum opera (Libellum hunc intelligo) ſtupemus, quàm immenſa corpora Balænarum.

Et certè ingratitudinis notam incurrerem, niſi hunc Tibi Partum conſecrarem; tot enim titulîs Tibi ſum devinctus, tot nominibûs obæratus. Accedit, quòd gratioſam & auream porrigas manum, ut typis mandari, & Juris publici fieri queat. Unde elucet, quàm in medullis Tibi hæreant Litterarum Studia, & quo Studio proſequaris Litteratos: Tu enim ut erudires ſæculum, Athenæum Priflingæ erigis, & efficis, ut nunquam deſint *Marones*, cùm tam Munificum Te *Mæcenatem* exhibeas. Ferrea quidem nactus es tempora, PRÆSUL Auree, ubi cruentô ſævit Bellona flagellô, ubi truculentus Europam perambulat *Mars*, qui non calamô, ſed ferrô ſcribere ſolet Leges, qui Ditiones titionibûs inflammat, & tragico velut in theatro fumantis incendia Trojæ, &

triſtes Carthaginis ignes renovat. Scimus, Muſas exulare, ubi Mars claſſicum intonat, & apes argumentoſas non niſi pulvereô Bellonæ fumô pelli, & enecari; ſilent nempe inter arma Leges. Tu tamen indícis armis ſilentium, Litteris negotium: Marti ferias, Muſis Labores: inter aſpera Bellorum experimenta inſtituis Studium Theologicum & Canonicum: ſcilicet ut fortiores agerent radices in diſcentium animis Scientiæ, Corallij inſtar, quod natum ſub aquis, tempeſtatum & ventorum vi agitatum, indureſcit in pretium. Divinum eſt Platonis oraculum, dum Athenis de abſente à ludo Diſcipulo ſuo Ariſtotele pronuntiavit: *Abeſt Veritatis Philoſophus, & Intellectus non venit.* Ita ille. Certè ſi DEUS Priflingæ negâſſet Te Studiorum Patronum, aut abeſſe voluiſſet, abfuiſſet quoque Sol Scientiarum, quarum nunc ardet calore. Abfuiſſet Speculum Prudentiæ, quo diſponis omnia ſuaviter, & ad finem perducis feliciter. Anteſignanus es; dum nil ignorare vis honeſtarum Diſciplinarum: turpe enim monſtrum reputas, poteſtate pollere, non Sapientiâ; cùm nec Ægyptij Sceptrum ſine oculo admiſerint. Auſim dicere, quòd non tam commune ſpiritus ſit vivis: terra mortuis: mare fluctuantibus: littus ejectis, quàm Tibi proprium
eſt,

eſt, amare Muſas. Documento eſſe poteſt Bibliotheca, aliàs ſatis inſtructa; quam tamen novîs identidem ſupplementîs adauges.

Quid jam dicam? imò quid non dicam de Tuo Apparatu Virtutum, unde omnis ſplendor in mea folia reflectitur? Te commendabo, nec tamen Te penetrabo. Te non depingam, umbram deſcribam. Solem non explicabo, Te non referam. Adumbrabo egentem rivulum, mare non delineabo. Collem effingam, Atlantem non adæquabo. Myricam extollam, cedrum non exaltabo. Intelligis, quid de Te judicem. Mallem ego, Animum Tuum Virtutum gemmîs ornatum omnibus contemplandum objicere, nullus dubito, quin idem, quod Homericis illis Heroibus, opulentiſſimum Mœnelai Palatium ingreſſis evénit, nobis quoq; contingeret, dum, quid in primis, quid deinde, quid tertiò admiraremur, ignari ambigeremus: videremus enim radiantem in animo Tuo Humilitatis Jaſpidem, nitidiſſimam Virginitatis Margaritam, flamivomum Amoris Sapphirum. Intueremur Manſuetudinis Beryllum, Prudentiæ Topazium, Achatem Fidelitatis. Cor es, & oculus, REVERENDISSIME PRÆSUL. ut cor, Subditis Tuis vitam impendis. ut oculus, Tuorum neceſſitatibus proſpicis:

ſpicis: at, quia oculos Cerebro, Cerebrum Cordi, Cor Linguæ alligavit Natura, oculus & cor cùm ſis, etiam linguæ officium ſuſcipis. Facilis nempe es eloquio, facilis alloquio. quid nî ſis gallicano Herculi invidendus? Virtus Tibi Pedum ac Mytram peperit. Virtus Te ſum̄is etiam Viris Pretioſum reddit & charum. Solem ſanè dixero Honorem, quem Virtus aurora præcedit: vel ſi mavis, Solem dixeris Virtutem, cujus umbra eſt Honor. perge igitur Humanitatis pretiô omnium amores nundinari.

Bellum quidem ex Bello ſeritur, & velut noxia herba ſe propágat. Nulla tamen Te Atlantem pondera opprimunt. adimit Tibi amor Subditorum jura ſomno, & ipſa quietis tempora facit curis tributaria. Hæc bella hoc maximè in te agunt, quod in auro ignis. Cos in gladiis. nubila in obſcurandis Phœbi radiis. ſcilicet, ſerpentibus infrà periculis, Tu ſemper altior. par Tibi eſt in utraque fortuna animus, utriusque Dominus: proſperam conſtanter adverſam fortiter ferre ſoles, cum Phœbo ſemper idem. Hinc armatis his temporibus ſtatuiſti nunquā deſerere Gregē, ſed ſemper, veluti ſpeculâ, Religioſarum Ovium tuarum com̄odis invigilare: Boni nempe Paſtoris ac Solis idem eſt munus, aliorum neceſſitatibus

con-

Digitized by Google

conſtanter inſervire; & ſicuti Imperatoris fuga eſt militis ad fugiendum exhortatio, ita ſtare didicit Exercitus, qui Ducem ſuum ſtare videt. Haud aliter res ſe habet cum Paſtore & oviculis, curæ ejus concreditis: ſtabunt iſtæ, ſi ſteterit ille: perrumpunt aliàs ovilia lupi, cùm Paſtor abeſt. Hinc factum, ut, licèt diſtrictus ſit Martis in vulnera chalybs, & novos ſemper inveniat, vel faciat hoſtes, nunquam tamen Laus divina ceſſaret, ſed Religioſæ Alaudæ in choro & foro pergerent laudare DEUM, ita vaticinante olim Divo OTTONE: in hoc ſcilicet loco Laudem divinam nunquam ceſſaturam, adeò vis Martia nil valet in ſacratiores eorum calores! Quid mirum jam, quòd ob prodigam hanc in Tuos Charitatem in Symbolum Tibi ſtatuas *Pellicanum*, proprio paſcentem pullos cruore? Vitem Te dixero, quæ ſauciata, lacrymas fœcunditate compenſat. cinnamomum Te vocavero, quod vulneratũ ſuavitatẽ ſpirat: aut olivam, quæ preſſa in ſuccũ fluit. Vel denique Balſamum, quod ſi incidatur, fundit opobalſama. ſcilicet propriô etiam diſpendiô, Tuis velificas. Nec porrò in homines ſolũmodò Tuos diſpenſas Favores, ſed & in Cœlites ſe effundit Zelus Tuus; dum non ita pridem Divum Erminoldum, in terris pauperem, ditâſti, Eúm-

)( )(que

que ſepulchri tenebrîs erutum, in ara Principe publicæ venerationi expoſuiſti, ubi cum Phœnice ab ipſo tumulo ſurgit glorioſior, & recentem quaſi in funere vitam auſpicatur.

Claudere tandem placet in voto, quod re auſpicaris. Vive Præſulum Epitome, & qui Prædeceſſorum in Te omnium collegiſti Virtutes, eorundem annos adæqua. Nanus dedecus ſibi æſtimat, ſi Gigas vocetur; at grandes tituli, quibus Te hactenus cohoneſtavimus, in merentem contulimus.

Felicitas igitur OTTONI! OTTONI Beatitas! precórque, ut glorioſis ſe Tibi fauſtitas ſubmittat ulnis! Voveo Tibi, ut poſt tot Plejadum lacrymas triumphalem Tibi arcum inſtruat Thavmantias, ut poſt tot nubila ſplendidior Tibi arrideat Titan. Precor denique, ut Cœnobium Tuum ſit fundatum ſupra firmam Petram: in columnis divini Herculis maneat incolume: inter metus ſine motu: inter gladios ſine clade.

Ita vovet

Servorum infimus

P. Joſephus Inderſtorffer.

Digitized by Google

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

JOSEPHUS Divinâ favente Clementiâ electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Comes Tyrolis &c. Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis, quòd, cùm Honorabilis devotus Nobis dilectus Otto Abbas Monaſterij in Prieflingen humillimè expoſuerit ſe Decalogum cum quinque Præceptis Eccleſiæ ſuis ſumptibus typo excudendum curâſſe, vereri autem, ne quod ſæpius contingat, æmulorum fraude, qui editionem iſtam doloſè imitentur, impendii ſui fructu deſtituatur, ac propterea demiſsè ſupplicaverit, ut ipſum contra ejuſmodi defraudationem aut imitationem decennali privilegio Noſtro clementiſſimè munire dignaremur; Nos ejuſdem precibus benignè annuerimus, ac proinde omnibus & ſingulis Bibliopolis, Typographis, cæteriſque omnibus negotium Librorum exercentibus ſeriò idque ſub pœna decem marcarum auri puri inhibuerimus, prout hiſce inhibemus, ne eorum quiſpiam intra decem annos proximos ab hoc die computandos præfatum Decalogum cum quinque Præceptis Eccleſiæ ſine Impetrantis hæredúmve conſenſu intra Sacri Romani Imperij, Regnorúmque ac Dominiorum Noſtrorum hæreditariorum fines in ſimili vel alio typo, modo vel forma, ſive in toto ſive in parte, mutatisve titulis recudere, vel aliò recudendum dare, invehere, venundare, aut etiam clàm vel palàm diſtrahere quovis modo præſumat, hac quidem lege, ut prædicti Libri ut in more poſitum eſt, exemplaria ad Imperialem Cancellariam Aulicam deferantur, eodémque privilegium hoc Noſtrum (ne quis ignorantiæ prætextu ſe excuſare poſſit) in fronte exhibeant, quiſquis autem mandatum hoc Noſtrum non obſervaverit, is non modo ejuſmodi Libris perperam impreſſis privetur, verum etiam dicta pœna fiſco Noſtro Imperiali fraudis vindici mulctetur. Quare mandamus omnibus & ſingulis Noſtris & Sacri Imperij, Regnorúmque ac Provinciarum Noſtrarum hæreditariarum ſubditis cujuscunque dignitatis ac ſtatûs, ne quemquam privilegium hoc Noſtrum Cæſareum temerè & impunè transgredi patiantur, quin potiùs præſcripta pœna reos plecti curent. Harum teſtimonio Literarum manu Noſtra ſubſcriptarum & Sigilli Noſtri Cæſarei appenſione munitarum. Quæ dabantur in Civitate Noſtra Viennæ diè nonâ Januarij Anno Domini Milleſimo Septingenteſimo octavo, Regnorum Noſtrorum Romani decimo octavo, Hungarici vigeſimo primo, Behemici verò tertio.

JOSEPHUS.

(L.S.)

Vt. Frid. Carl. Com. de Schönborn.

Ad Mandatum Sac. Cæſ. Majeſtatis proprium
Franciſcus Winandus de Bertrandt.

Digitized by Google

APPROBATIO
Reverendiſſimi Ordinariatûs Ratisbonenſis.

EXhibitus eſt coram Nobis, hîsce diebus, jam anteà ab inclyta Univerſitate Ingolſtadienſi, per Publicam Cenſuram approbatus præſens Tractatus, Variorum Caſuum, ſecundùm Decem Præcepta Decalogi, doctiſſimas ac ſolidas Reſolutiones in ſe continens: cum ea decenti Requiſitione, ut eundem quoque Nos Authoritate noſtrâ ordinariâ approbaremus: Nos igitur, præfatæ Univerſitatis Cenſuræ inſiſtentes, nihilque in eo contra bonos Mores ac Fidem noſtram Catholicam contrarii: ſed potiùs ad inſtructionem tàm Confeſſariorum, quàm Pœnitentium, utiliſſimas Quæſtiones ac Deciſiones juxta Doctrinam Theologicam in eodem Tractatu reperientes, digniſſimum eundem, imò vix non neceſſarium judicamus, qui quantocius Typis evulgari, ac ad manus plurimorum devenire poſſit. Ita Decretum in Conſiſtorio Noſtro Epiſcopali, die 7. Novembr. 1707.

(L.S.)

FRANC: PETRUS Lib: Baro
à Wämpl in Spirit. Adminiſtrator.

Digitized by Google

APPROBATIO.

Nos QUIRINUS Dei Gratiâ Antiquiſſimi, & Exempti Monaſterij Tegernſeenſis Abbas, Congregationis Benedictino-Bavaricæ ſub Titulo SS. Angelorum Cuſtodum pro temp. Præſes Generalis &c.

HIsce facultatem impertimur, ut Tractatus Theologico-Moralis, continens Caſus centum & quinquaginta, olim à Reverendiſſimo Prænobili & Ampliſſimo Domino Domino GREGORIO, Celeberrimi & Exempti Monaſterij Schyrenſis Abbate, Præfatæ Congregationis Benedictino-Bavaricæ quondam Præſide & Viſitatore, Statuum Provincialium Superioris Bavariæ Deputato, & Commiſſario, SS. Theologiæ, & J. U. Doctore, antehac in Univerſitate Benedictinâ Salisburgenſi SS. Canonum Profeſſore p. m. elucubratus, nunc verò operâ & ſtudiô Admodùm Reverendi, Religioſiſſimi ac Doctiſſimi P. Josephi Inderstorffer, ejuſdem Ordinis, Congregationis, & Monaſterij Profeſſi, & in communi Studio noſtro per plures annos Profeſſoris, variîs notîs, additionibûs, & Authoritatibûs auctus, ſervatîs ſervandîs, typis mandari poſſit, utpote partus Authore ſuo digniſſimus, & quibusvis animarum curam habentibus, aut habituris utiliſſimus. Actum in Monaſterio noſtro S. Quirini ad Lacum Tegernſee 21. Octobris Anno 1707.

(L. S.)

QUIRINUS Abbas p. t. Congreg. Benedictino-Bavaricæ Generalis Præſes.

Digitized by Google

FACULTAS
Reverendiſſimi D. D. Abbatis Proprij.

NOs CÆLESTINUS Monaſterij Schyrenſis Ord. S. P. B. in Superiori Bavaria Abbas &c. &c. Hiſce Facultatem damus, ut Tractatus Theologico-Moralis in decem Decalogi, & quinque Eccleſiæ Præcepta per centum ſeſqui Caſus practicos à Reverendiſſimo Anteceſſore noſtro GREGORIO p. m. elucubratus, à R. P. JOSEPHO INDERSTORFFER Conventuali noſtro collectus, & auctus, à Theologis reviſus, & approbatus, Typìs publicìs vulgari poſſit. Schyræ 12. Octobris. 1707.

APPROBATIO THEOLOGICA.

PRæſentem Tractatum Theologico-Moralem ſeſqui centum Caſibus elucubratum, non modò in Catholica Dogmata, morúmque Regulas nihil offendere, ſed præclaram, ſolidámque doctrinam methodô tam elegantî comprehendiſſe cenſeo; ut magnum Chriſtiano orbi emolumentum inter eruditionis, ſapientiæque delicias propinet. Majorem inſuper Libro Splendorem facit Reverendiſſimi, & Ampliſſimi Authoris, tam in Eccleſiaſtico, quàm Litterario Ordine conſpicua Dignitas, ut qui olim in Cathedra Saliſburgenſi diu, ac præclarè, poſteà etiam in Celeberrimo Monaſterio Schyrenſi impoſitus Candelabro, velut Luminare magnum eximiâ Luce coruſcavit, pridem digniſſimus, cujus immortalis Fama in Illuſtribus Bibliothecis reliquos inter Celeberrimos Scriptores perennet; quod tamen ideò hactenus factum non eſt, quòd non mitrâ magìs, quàm omnibûs eximiîs magnorum Nominum Decoribûs Illuſtris Præſul, potiùs Religioſæ Modeſtiæ, & obſcuritàtis tenebras, quàm cele-

Digitized by Google

celebritatem famæ quæſierit. Permovit tamen debita Pietas paternæ doctrinæ Hæredem, & in Sacram Religionem ab eo adoptatum Filium, ut, quæ vivo debita fuerat, poſthuma Laus defunctum coronaret. Qui quidem rem hanc ita egit, ut adjectâ complurium, & graviſſimorum Virorum Authoritate, doctiſſimarum appendicum, obſervationum, aut notarum auctariô copioſiſſimô, praxî quoque pro Confeſſariis novellis inſtruendis utiliſſimâ, veniat in partem Laudis non exiguam, datô inſignî ſpecimine ampliſſimæ Eruditionis, profundæque Scientiæ, quâ in Sacra Ordinis ſui Congregatione per decem annos tradendis ſublimioribus Theologiæ Diſciplinis, magnâ cum omnium approbatione, commendationéque verſatus eſt. Cùm igitur Volumen hoc ſe ipſo Laudatiſſimum tantâ etiam communiatur Authorum ſuorum dignitate, gravitatéque, undequaque digniſſimum judico, ut publicîs Typîs vulgatum in eruditam lucem, & poſterorum tranſeat memoriam. Ingolſtadij 10. Martij 1707.

(L.S.)

JOANNES JACOBUS STUBER
SS. Theol. Doct. Proton. Apoſt.
Inſig. Eccleſ. Colleg. ad S. Andream Friſingæ Canonicus, ad S. Mauritium Ingolſtadij Parochus: Sac. Script. Profeſſor ordinarius, & p. t. Univerſitatis Rector.

Ad

Digitized by Google

Ad Lectorem.

PRæſentem Tractatum Theologico-moralem benevolis tuis ſubjicio oculis, amice Lector, haud, ut ſpero, ingratum, quia theſaurum doctrinæ practicæ in decem Decalogi & quinque Eccleſiæ Præcepta complectitur, ſesquicentum Caſibus, velut totidem clavibus reſeratum. Procul is, & de ultimis finibus pretium ejus, quia de Viro, qui ante plures jam annos depoſitâ mortalitate vitæ terminos prætergreſſus eſt, procedit. Fuit is Reverendiſſimus ac Ampliſſimus pijſſimæ memoriæ D.D. GREGORIUS KIMPFLER, Monaſterij Schyrenſis in Bavaria Abbas digniſſimus, SS. Theologiæ & Juris utriusque Doctor egregius, qui olim in Univerſitate Salisburgenſi ſuper SS. Canonum Cathedram ſedens, ac docens, velut lumen refulſit in habitaculo: è cujus proin non tam Abbatiali dignitate, quàm conſummata doctrinam hujus Opuſculi metire. Jaceret equidem etiamnum cum profunda præmemorati Præſulis humilitate ſepultum, eſſetque orbi litterario incognitum, niſi plura mytrata Capita publico commodo parturiri, obſtetricante quali quali induſtria mea opella, exegiſſent. Quò verò Lectori gratius ac utilius accideret, graviſſimorum Doctorum authoritate idfirmavi, novis hinc inde Rationibus ſtabilivi, multíſque additionibus (litteris alphabeticis potiſſimùm annotatis) auxi: ac denique compendioſam inſtructionem Neo-Confeſſario ad Sacrum Pœnitentiæ Tribunal ſeſe accingenti apprimè deſervientem per quamdam Appendicem ſubjunxi. Dum benevole Lector uberrimum ex hoc Opuſculo tibi fructum apprecor, fac, ut ego quoque quemdam poſt mortem referam fructum pijſſimi tui ſuffragij: interim feliciter vive, & vale. Hoc unicum addo, quòd omnia mea, ut decet, ſacroſancto Eccleſiæ Romano-Catholicæ Judicio, ac Cenſuræ humillimè ſubjiciam.

DE

Digitized by Google

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

PRæceptis Decalogi per caſus morales & practicos exponendis præmittimus pauca quædam de Virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Charitate: utpote quæ ſunt principium totius Vitæ Chriſtianæ, baſis & fundamentum omnium reliquorum præceptorum.

DE FIDE.

FIdes Theologica, quæ eſt Virtus ſupernaturalis à Deo per ſe infuſa, & à Trident. *Seſſ. 6. c. 8. Humanæ ſalutis Initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis;* à Doctore gentium verò *Sperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium* dicta, à Theologis definiri ſolet. Quòd ſit Aſſenſus intellectualis tum actualis, tum habitualis præſtitus Deo revelanti propter ejus Authoritatem. Hujus objectum materiale eſt omnis veritas à Deo revelabilis. Formale autem Authoritas Dei, prout dicit rationem primæ veritatis, ſeu ſummæ infallibilitatis

Digitized by Google

tam in cognoſcendo, quàm loquendo. Duplex involvit præceptum Fides Theolog. Unum negativum, quo obligamur, nunquam revelatis à Deo diſſentire. Alterum affirmativum, quo jubemur in certis circumſtantiis & temporibus actum Fidei internum vel externum exercere. Circa quæ pro tribunali Sacro & praxi ſequentes breviter excipe caſus.

CASUS PRIMUS.

ACcedit Tribunal ſacrum juvenis quidam, confitetur: vel potiùs ipſe Confeſſarius deprehendit, quòd planè rudis & ignarus ſit, etiam primorum Fidei articulorum, & Myſteriorum SS. Trinitatis & Incarnationis &c. Quid agendum Confeſſario?

RESOLUTIO.

1. INterrogandus ejuſmodi pœnitens, an nullam occaſionem habuerit ex catechiſmo aut concionibus, vel ex domeſticis, diſcendi Symbolum Fidei, Præcepta Decalogi, Orationem Dominicam &c.

2. Si vincibilis aut culpabilis deprehenditur ignorantia, & pœnitens non adeò puer, ſed utcunque maturus ſit, peccati mortalis reus eſſe judicabitur, tum ob materiæ gravitatem, tum ob ſufficientem judicij maturitatem, ut ſupponitur: tum quia ignorantia vincibilis non excuſat à culpa, etſi eandem reddat aliquatenus leviorem, quàm ſi quis omninò ſcienter operaretur, uti docent cum S. Thoma *1. 2. q. 76. a. 4.* DD. communiter.

3. Porrò agendum & à Confeſſario medium ſuggerendum, quomodo ſine longiori dilatione Symbolum Apoſtolorum & reliqua, quæ ex præcepto pœnitens ſcire & credere tenetur, addiſcere poſſit.

4. In

Digitized by Google

4. In præſenti autem de primis articulis, quos ex neceſſitate ſalutis juxta communem ſententiam ſcire debet, inſtruendus eſt obiter ſaltem & breviter, ut credat, unum eſſe Deum Auctorem & Creatorem omnium, Eumque in Perſonis Trinum, Patrem, Filium, & Spiritum S., atque Filium Dei pro noſtra ſalute humanam naturam aſſumpſiſſe. (*A.*) Inſuper ſciat, benè & piè viventibus præmia, malis pœnam poſt hanc vitam reddendam.

5. Denique quia pœnitens talis mox poſt hanc inſtructionem tenetur aſſentiri ſub periculo novi peccati incredulitatis, uti denuò docet communis Theologorum ſententia: eò quòd tam Jure naturali, quàm divino ad ſtatum & officium Viatoris ſpectet, ut ad ultimum ſuum finem, qui eſt æterna Beatitudo, tendat, quamprimùm ad uſum rationis perfectum venerit, & eidem hic eſt ſufficienter propoſitus, (*B.*) quod utique ſine Fide divina fieri nequit: cùm hæc ſit fundamentum ſalutis, & *ſperandarum Subſtantia rerum.* Ad Hebræ. *11. v. 1.* Idcircò in confeſſionali eſt diſponendus, ut ſtatim eliciat actus Fidei, Spei & Charitatis. Quod commodè fieri poterit, interrogando, an intellexerit, quid dictum, & an credat? Item an vitam ſuam ita inſtituere cogitet, ut ad beatitudinem æternam aſpirare poſſit, & velit? Utrùm ſcienter Deum peccando non offendere, ſed amore illius præcepta Dei & Eccleſiæ obſervare, & à prohibitis abſtinere paratus ſit? Quibus ritè peractis pœnitens cæteris paribus abſolvi & in pace dimitti poterit.

(*A.*) Q. 1. An ſit de neceſſitate medij poſt promulgatum " Evangelium Fides explicita SS. Trinitatis & Incarnationis, " vel ſufficiat Fides ſolius veri Dei Creatoris, Remuneratoris " bonorum, & Vindicis malorum? R. Valdè probabiliter " ſufficere Fidem ſolius veri Dei ut Authoris vitæ ſuperna- "

Digitized by Google

turalis. Ita Card. Pallaui. Suarez. Haun. Laym. & plures ab his relati. Ratio eſt, quòd inſtructus Fide ſupernaturali veri Dei Remuneratoris & Juſtificatoris invincibiliter ignorans Myſterium SS. Trinitatis & Incarnationis poſſit ſe verè convertere ad Dominum Deum, eum ex motivo ſummæ Bonitatis ſuper omnia diligendo, ſimúlque peccata commiſſa ex eodem motivo per veram contritionem deteſtando, quibus actibus infallibiliter vi S. Script. Ezech. *18.* & Joan. *14.* eſt promiſſa Gratia ſanctificans, & per conſequens etiam ſalus æterna. Utut autem ſententia hæc ſpeculativè ſit probabilis, in praxi tamen à Confeſſariis quoad inſtructionem rudium (prout benè notat Cardenas diſſ. 41.) ad tribunal ſacrum occurrentium nullatenus eſt deducenda, ſed cum ejuſmodi hominibus procedendum juxta priùs dicta n. 4. præſertim cùm S. Thomas poſt promulgatum Evangelium videatur requirere non tantùm Fidem de SS. Trinit. & Incarnatione, ſed etiam de præcipuis hujus Myſteriis, Nativitate, Morte, Reſurrectione.

(*B.*) Q. 2. Quandonam homini adulto nondum in fide ſatìs inſtructo cenſeantur myſteria, ſeu articuli Fidei ſufficienter proponi, ut peccet graviter, niſi immediatum præſtet aſſenſum? R. Tunc, quando alicui tot ac tanta ſigna ſeu notæ (ut vocant Theologi) veræ Religionis ſunt propoſitæ, ut hîc & nunc ſecundùm regulas prudentiæ judicare poſſit, Fidem explicatam eſſe veram, ac evidenter credibilem. Niſi enim tunc aſſentiatur, pertinaciter reſiſtit iis, quæ ſcit à Deo eſſe revelata, qui nec falli, nec fallere poteſt, & conſequenter infert Deo gravem injuriam, ac committit peccatum infidelitatis. Ita colligitur ex Divo Thoma *2. 2. q. 1. a. 4. ad 2.*

CA-

Digitized by Google

CASUS II.

INter alios Confitentes accedit Miles, fatetur ſe hactenus Lutheranum fuiſſe, ſed pœnitere.

RESOLUTIO.

Cùm Hæreſis (*A.*) ſit caſus reſervatus ſummo Pontifici in Bulla Cœnæ, habeatque cenſuram excommunicationis reſervatæ annexam, non poteſt ſe intromittere Confeſſarius, qui ad hoc ſpeciale privilegium non habeat. Proin duo in hoc & ſimilibus caſibus obſervare habet.

1. Ne multùm interroget, neque alia peccata confitentem audiat, cùm abſolvere non poſſit. (*B.*)

2. Ne indiſcretè talem mox à confeſſione cum ipſius confuſione repellat, ſed ex Charitate, quæ hìc & nunc, utpote cùm de ſalute animæ agatur, graviter obligare poteſt, conſilium & auxilium præſtet, ſuggerendo, per quos abſolutionem conſequi valeat, offerendo etiam, ſi opus ſuam cooperationem, ut facilem acceſſum ad eoſdem habere poſſit.

Quòd ſi Confeſſarius ſit privilegiatus, ita ut etiam ab " hæreſi externa ac formali, ſimúlque à cenſura annexa ab- " ſolvere poſſit, denuò tria habet obſervare.

1. Intra vel extra confeſſionem inſtruat ejuſmodi pœni- " tentem falſæ ſectæ hactenus addictum in fide eatenus, ut " tam ea, quæ ſunt de neceſſitate medij & præcepti, quàm " quæ ad ſtatum & conditionem veri ac boni Orthodoxi ſpe- " ctant, exactè ſciat. "

2. Eundem non abſolvat, niſi ſecundùm formam & or- " dinem à jure præſcriptum, ſcilicet priùs à cenſura excom- " municationis, quàm à peccatis, quia per priorem abſolutio- " nem debet diſponi, ut licitè recipiat poſteriorem. "

3. Exigat à pœnitente juxta *Cap. Ex tenore. & cap. De " catero. de Sent. excom.* niſi is impubes ſit, promiſſionem ju- "

Digitized by Google

ratam parendi mandatis Eccleſiæ, ſeu non committendi rurſus peccatum infidelitatis. Quòd ſi forſan iminentis mortis neceſſitas tantam moram non permittat, ritè Sacerdos moriturum à quibusvis cenſuris & peccatis abſolvet hac brevisſimâ formâ: *Ego te abſolvo à cenſuris & peccatis tuis in Nomine Patris &c.*

(*A.*) Q. 1. Quid ſit hæreſis? R. Eſt voluntarius ac pertinax error in homine baptizato circa unum aut plures Fidei articulos, quos ab Eccleſia ad credendum ſcit eſſe propoſitos ac definitos. Alia dicitur interna ſeu mentalis, quæ in ipſo intellectu conſummatur nullo dato exteriùs ſigno. Alia externa, quæ per ſignum aliquod externum, licèt occultum, manifeſtatur. Et hæc ſola eſt caſus Bullæ Cœnæ, ac ſubjacet pœnis de jure ſtatutis. Tambur. *L. 2. c. 1. §. 5. n. 1. & 2.*

(*B.*) Q. 2. An Confeſſarius carens jurisdictione abſolvendi, vel pœnitentem aliunde non abſolvens nihilominùs teneatur ad ſigillum confeſſionis?

R. cum divo Thoma *4. diſt. 21. q. 3. a. 1. q. 3.* & comm. DD. affirmativè. Etſi enim talis non obligetur in reverentiam Sacramenti à ſe non adminiſtrati, obligatur tamen in reverentiam & religionem erga Sacramentum à Chriſto inſtitutum, nè per ſimilem evulgationem id reddatur hominibus exoſum. Velut etiam ad idem ſigillum ex data ratione obligatur, qui extra confeſſionale caſu vel datâ operâ aliquid percipit ex peracta confeſſione. ut communis tenet Theolog.

CASUS III.

NOnnullus confitetur, ſe graviter in aliquo myſterio Fidei erraſſe, & inſuper errorem ſuum ex cathedra

thedra prædicâſſe, v. g. ſolum Patrem eſſe Creatorem cœli & terræ, Filium & Spiritum S. nihil egiſſe, aut creâſſe.

RESOLUTIO.

1. Cùm ſpecies peccati ſatis explicata ſit, & cùm reſpectu hujus Perſonæ ignorantia valde craſſa, itémque præſumptio ex cathedra dicendi ac docendi, quod nec in ſcholis, nec in libris didicit, nimìs culpabilis ſit, mortale peccatum cenſendum eſt. (*A.*)

2. Quamvis autem ſolùm veniale foret, ſi præcipitanter, nec præmeditatè talis error concionanti in animum & os veniſſet: quia tamen hoc ex modo confitendi non apparet, nec præſumendum, nec interrogandum eſt.

3. Monendus inſuper, & obligandus erit hic pœnitens, ut hæreſin in populum diſſeminatam ſedulò iterum emendet. Errorem tamen ſuum palàm confiteri abſolutè & univerſaliter non eſt neceſſe, ſi alio modo rebus conſulere poteſt: v. g. Sæpiùs veritatem oppoſitam prædicando, eámque ad longum populo inculcando, ante dicta quali quali diſtinctione explicando. Vide Clavem regiam Sayri *L. 11. c. 1. n. 19.*

(*A.*) Q. 1. Quot peccata talis commiſerit? 2. An caſum Bullæ Cœnæ incurrerit? 3. An puniri poſſit tanquam hæreticus? "

R. ad 1. Talem imprimis ob gravem ſuam & craſſam ignorantiam (idem cum proportione dicendum de præſumptione ex cathedra dicendi) in rebus Fidei commiſiſſe peccatum mortale infidelitatis. Ignorantia enim ſeu negligentia in cognoſcendis Fidei myſteriis ad credendum neceſſariis eſt peccatum Fidei oppoſitum teſte Laymanno *L. 1. tr. 2. c. 4. n. 10.* Secundò peccavit quoque graviter contra charitatem peccato ſcandali, quatenus nimirum proximo dedit occaſionem gravis ruinæ ſpiritualis, uti per ſe notum. "

Quia

Digitized by Google

Quia tamen hic pœnitens aliquâ adhuc laborabat ignoran- "
tiâ, nec errori ſuo ex cathedra propalato adhæſit pertinaci- "
ter, ideò nec caſum Bullæ Cœnæ, nec formalem hæreſin "
incurrit, ut docent Tambur. *L. 2. c. 1. §. 4. n. 4.* Laym. *L.* "
2. tr. 1. c. 13. n. 2. Suarezius, Azor & alij multi relati à Laym. "
loc. cit. Adeoque nec ut hæreticus puniri, ſed à quovis "
Confeſſario abſolvi poteſt. Unde patet reſponſio ad 2. & 3. "

CASUS IV.

RUſticus confitetur, ſe cogitâſſe ſæpè non eſſe reſurrectio nem mortuorum.

RESOLUTIO.

1. COgitare per ſe, ſive præciſè in mentem venire, uti non voluntarium, ita nullum peccatum. 2. Cogitationi hujuſmodi pravæ & periculoſæ non reſiſtere in tempore ordinariè veniale eſt, modò abſit periculum probabile incidendi in dubium actuale. 3. Aſſentiri autem voluntariè (in venereis etiam moroſè delectari) id demum peccatum mortale eſt. Ut communiter docent Theologi in *1. 2.* divi Thomæ.

4. Igitur in præſenti caſu & ordinariè, cùm de cogitationibus mentio ſit, ſcire, atque niſi ex modo confitendi appareat, interrogare oportet, an deliberatus voluntatis aſſenſus acceſſerit? ſive an deliberatè ab Eccleſia Catholica diſſentire, reſurrectionem negare, aut credere nolle &c. ſe reſolverit? Quo caſu peccatum mortale hæreſeos internæ commiſſum, porrò de numero quoties interruptis actibus id contigerit, indagandum erit.

5. Meritò inſuper inquiri poterit, an non pœnitens hanc ſuam ſententiam verbis, aut quocunque alio modo exteriùs declaraverit; quo caſu abſolvi non poſſet, ſed agendum cum eo eſſet, ut ſuprà caſu ſecundo dictum. (*A.*) (*A.*) Q.

Digitized by Google

„ (A) Q. An, & quomodo hæreſis externa quidem, merè „tamen occulta, ſive nemine præſente per ſignum externum „manifeſtata puniri poſſit ab Eccleſia? R. Non poſſe quidem „puniri per ſententiam ſpecialem, bene tamen per ſententiam „generalem. Ratio prioris eſt: quia ſententia ſpecialis, ut „valida ſit, requirit juridicam cauſæ cognitionem *c. 48. de ſent.* „*excom.* quæ de re etſi externa, omninò tamen occulta habe„ri nequit. Ratio poſterioris eſt: quia omne peccatum qua„tenus externum cadit ſub juriſdictionem Eccleſiæ, potéſtque „ab ea puniri per ſententiam generalem, utpote quæ non re„quirit cauſæ cognitionem in judice, ſed præcisè pœnam im„ponit ſub conditione, quòd quis ſcienter deliquerit. Ut „communiter docent Theologi.

CASUS V.

ALius confitetur, ſe circa articulos fidei, ſive unum certum ex iis, dubitâſſe.

RESOLUTIO.

1. INterrogandus, an ſciens veritatem, vel articulum aliquem de fide, & ab Eccleſia Cath. definitum eſſe, tamen deliberatâ voluntate aſſenſum ſuſpendere, & rem in dubium vocare voluerit: quo caſu ad inſtar hæretici interni judicandus erit. Ratio eſt, quòd voluntariè ac poſitivè dubitans de quodam fidei articulo ſufficienter ſibi propoſito, explicitè, vel ſaltem implicitè judicet, eum eſſe incertum, adeóque Deum fallere, vel falli poſſe, quæ eſt hæreſis formalis. Unde etiam *c. 1. de Hæret. Dubius in fide infidelis* dicitur. Bonac. *tr. Decens: d. 2. q. 5. pun. 1. n. 3.*

2. Quòd ſi autem ſine aſſenſu mente tantùm fluctuare eo uſque contigerit, donec ſufficienter in mentem venerit, hoc ab Eccleſia definitum eſſe, & ſine hæreſi negari non poſſe &c.

non plus quàm veniale cenſendum. (*A.*) Vide Stephanum à S. Paulo *tr. 3. d. 1. dub. 9. n. 66.*

3. Similiter ſi de hoc ipſo quis dubitaverit, an hoc, vel illud de fide ſit: an hoc ſenſu Scriptura intelligenda &c. pro qualitate perſonæ vel nullum, vel propter præſumptionem talibus ſe ingerendi peccatum veniale erit.

„ (*A.*) Quid ſentiendum de ſcrupulis circa Myſteria Fidei? „R. Scrupulus tanquam levis quædam ac timida opinio, pec-„catum eſſe, ubi nullum eſt, velut voluntatis aſſenſum non „involvit, ita ad rationem peccati nunquam ſufficit. Unde „qui hæreticis aut blaſphemis cogitationibus agitati de fide „Catholica dubitare ſe arbitrantur, ſi eas ſeriò deteſtentur, „longè abeſſe exoptent, proteſtationémque faciant, nunquam „eis conſentiendi, non ſolùm non peccant, ſed magnum ſibi „meritum apud Deum cumulant. Cæterùm frequenter con-„ſultius eſt, mentem aliò divertere, quàm ejuſmodi cogita-„tionibus acriter reſiſtere, quia plerumque, quò acriùs impu-„gnantur, eò fortiùs inſurgunt. Si quis tamen per culpabi-„lem negligentiam in reſiſtendo advertat, ſe periculo dubi-„tandi in fide exponi, non ſolùm reſiſtere, ſed etiam actum „poſitivum fidei ad ſuperandam tentationem elicere ſub mor-„tali obligatur, ut communiter docent AA. in hac materia.

CASUS VI.

ALius confitetur, ſe legiſſe ex libro hæretico aliquot lineas, vel paginas, vel brevem unius Folij tractatum.

RESOLUTIO.

1. LEgere librum hæreticum, ſiquidem tam Author hæreticus ſit, quàm liber ipſe hæreſin contineat, aut de materia Religionis tractet, eſt caſus in Bulla Cœnæ Domini reſervatus, & excommunicatio annexa.

2. Ex-

2. Excuſat à mortali & conſequenter à Cenſura (quæ ſine peccato mortali in conſcientia incurri non ſolet, ut docet Sayrus, Suarez, Bonac. & alii communiter, eò quòd debeat eſſe proportio inter pœnam & delictum) parvitas materiæ, quod tunc probabiliter fit, ſi non ultra unam paginam legatur.

3. Tractatus unius folij vel etiam duorum non venire nomine librorum in hac materia pœnali probabile eſt. Vide Tambur. hic *§. 7. n. 10.* Layman: *c. 15. n. 5.*

4. Ignorantia hujus tam rigidæ prohibitionis etiam craſſa & ſupina, quamvis à peccato mortali non excuſet, tamen ab hac cenſura, utpote quæ non niſi à ſcientibus propter contemptum formalem aut virtualem incurritur, uti docet Sanchez *in Opere mor. l. 2. c. 10. n. 38.* Bonac. *de Cenſ. d. 1. q. 2. pun: 1. n. 11.* excuſare poteſt: (*A.*) quâ ceſſante quilibet Confeſſarius abſolvere poterit.

5. Alios libros prohibitos legere ſcienter, eſt per ſe peccatum mortale, ut clare in Bulla Pij IV. de indice librorum prohibitorum habetur, idque indiſtinctè, ſive libri tales propter ſuſpicionem hæreſis aut falſitatis, uti ſunt hiſtoriæ hæreticorum &c. ſive propter obſcæna &c. damnati, vel ex alia cauſa prohibiti ſint, uti Biblia in lingua vulgari juxta Reg. 4. libr: prohibit: &c. Atque licèt non aſſentiendi erroribus, aut delectandi cauſa in obſcænis &c. (quod novum peccatum, & in confeſſione explicandum foret) legantur, tamen ipſam prohibitionem Eccleſiæ non attendiſſe, peccatum mortale erit.

6. Practicè tamen & in illis partibus ac Provinciis, ubi prohibitiones tales non ſufficienter notæ aut receptæ ſunt, uti notat poſt Laym. Tamburinus *l. 2. c. 1. §. 7. n. 60.* eò maximè Confeſſarius ſpectabit, qua conſcientia & opinione pœnitens talia legerit: an hic & nunc gravem prohibitionem, conſequenter periculum peccati mortalis ſubeſſe, in animum venerit, nec ne? &c.

„ (A) Q. An eadem ignorantia, quæ excuſat à cenſura ſeu
„ pœna Eccleſiaſtica incurrenda, etiam excuſet à reſervatione,
„ ita ut quis non incurrat caſum reſervatũ, ſi neſcit eum eſſe re-
„ ſervatum? R. Ignarum reſervationis eandem non incurre-
„ re ut probabilem defendit Diana *part. 10. tr. 14. reſol. 63.* ci-
„ tans præter alios P. Joſeph. de Januario latè hanc quæſt. per-
„ tractantem. In quam ſententiam pro prima vice, antequam
„ pœnitens à Confeſſario ratione officii admoneatur, & igno-
„ rantiam dedoceatur, etiam inclinat P. Gobat in Alphab. Con-
„ feſſ. *tr. 7. n. 361.* Alii tamen cum Pallao *tr. 2. d. 1. pun. 17. n. 8.*
„ meliùs videntur diſtinguere. Scilicet ſtante ignorantia re-
„ ſervationis eandem à peccante non incurri, ſi hæc ſit ſtatuta
„ in odium & pœnam peccati, qualis ſemper eſt, quæ habet
„ annexam cenſuram. Non autem ſi præcisè ſit ſtatuta in bo-
„ nam gubernationem Eccleſiæ & conſervationem diſciplinæ
„ per modum cautelæ, quia tunc potiùs rationem ſalutaris me-
„ dicinæ, quàm pœnæ habet.

CASUS VII.

OPerarius ex Wirtenbergia domum rediens confitetur, ſe comediſſe carnes cum Lutheranis, & per omnia quaſi unum ex ipſis ſe geſſiſſe.

RESOLUTIO.

INterrogandum 1. An reipſa animum habuerit ſentiendi cum Lutheranis; aut non credendi impoſterum, quod dicit & docet Eccleſia Catholica?

2. In quibus ſe hæreticis conformaverit, v. g. an eorum communionem acceſſerit, vel abſolutionem à Prædicante petierit &c. Si utrumque, id eſt, ſi intentio & actio hæretica concurrant, procedendum erit, ut caſu 2.do dictum.

3. Quòd

3. Quòd ſi in animo ſemper Catholicus manſit, nihilominùs prænominatæ, & omnes illæ actiones, quæ clarè & communi hominum prudentum ſenſu falſam fidem ſignificant, peccata mortalia contra fidem ſunt, quia ut notat divus Thomas *2. 2. q. 3. a. 2.* Nullo caſu licitum eſt, externâ voce aliòve ſigno veram fidem negare, aut falſam profiteri, juxta illud Matth. *10. Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Proin numerum exprimere neceſsè erit. Item propter ſcandalum, aut periculum perverſionis mortaliter peccabit homo præſertim rudis, ſi conciones accedat, diſputationes inſtituat, dogmata aut fundamenta Lutheranorum inquirat. Si tamen dicta pericula abſint, talia facere, culpa ſaltem mortalis non erit: imò ſubinde nec venialis, ſi nimirum juſta cauſa ſubſit, ut docet Bonac. *in 1. Decal. præc. d. 3. q. 2. pun. 3. n. 21.* Tambur. *hic c. 1. §. 3. n. 11.* & alij.

4. At carnis comeſtio, cùm ſe ſola non importet abnegationem Religionis Cathol. non quidem peccatum contra fidem erit: attamen interrogandum, an ſine, vel ex cauſa juſtæ neceſſitatis contigerit. Nam ex eo ſolo, quòd quis inter hæreticos degat, non excuſatur ab obſervatione præceptorum Eccleſiæ, niſi aliæ cauſæ excuſent. Bonac. *loc. cit. n. 27.* Laym. *hic n. 5.*

5. Denique propter periculum, quòd ex conſcientia erronea impoſterum probabiliter noſci poſſet, inſtruendus eſt talis pœnitens, quid bonâ conſcientiâ poſſit, vel non poſſit: videlicet quòd non teneatur inter privatos profiteri, cujus religionis ſit, ſed liceat uti verbis dubiis, aut factis indifferentibus eludere curioſos indagantes. Quòd exempla actionum indifferentium dare poſſit: e. g. non laborare die Lutheranis feſto, non genu flexo, ſed ſtando, nec manibus erectis orare, roſarium deponere, in veſtibus & moribus civilibus ſe conformare: (A) Quatenus nimirum iſta non ſunt ſigna pro-

teſtativa

teſtativa falſæ religionis, ſed indifferentia, & à multis etiam Catholicis abſque violatione ullius præcepti fieri ſolita. Uti cum Laym. *tr. 1. c. 11. n. 4.* paſſim concedunt AA.

„ (*A.*) Q. An licitum ſit metu mortis aut proſcriptionis „ omnium bonorum adire templa hæreticorum, eorúmq; con- „ ventus, ſi Princeps hæreticus ſub tam gravi edicto id præ- „ cipiat? R. Si ex circumſtantiis appareat, ejuſmodi ingreſ- „ ſum non præcipi merè ad obediendum civiliter, ſed potiùs in „ contemptum Religionis Cath. vel omninò ad profitendam „ falſam ſectam, non licere, etſi ingrediens proteſtetur, non „ ſe id facere animo profitendi falſam ſectam, ſed ſolùm inten- „ tione vitandi tam grave damnum. Ita Bonac. *cit. loc. n. 22. cum* „ *pluribus aliis.* Ratio eſt, quòd talis ingreſſus ſit contemptus „ ſaltem externus Religionis Cath: item notabilis diminutio „ honoris divini, communicatio cum infidelibus in rebus ſa- „ cris, & virtualis profeſſio ipſius ſchiſmatis ſive hæreſis: quæ „ cùm ſint intrinſecè mala, nec metus mortis, nec alterius gra- „ viſſimi damni ab iis excuſat. Unde etiam Paulus V. Pont. „ interrogatus, an Catholicis in Anglia liceret ingredi templa „ hæreticorum ſic præcipiente Rege, reſpondit, neutiquam li- „ cere, nec cum proteſtatione, eò quòd ex circumſtantiis non „ præſumi poſſit, juberi ingreſſum merè materialem, ſed po- „ tiùs in ſignum proteſtativum falſæ ſectæ. ut refert Laym. *l. 2.* „ *tr. 1. c. 11. n. 6. &* poſt ipſum Tamburinus.

CASUS VIII.

IDem confitetur, ſe interrogatum quoque de Religione, aliquando diſſimulâſſe: aliquando expreſsè negâſſe, ſe eſſe Papiſtam.

RESOLUTIO.

AUthoritate publicâ interrogatus tenetur profiteri fidem. Ita communis: non item inter privatos (niſi extraordinariè

honor

honor Dei graviter periclitetur, aut grave ſcandalum in aliis (*A.*) oriretur, ut obſervat S. Thomas *2. 2. q. 3. a. 2. in c.*) Unde regulariter ad interrogationem generalem: quinam inter vos ſunt Catholici? &c. tacere licet, aut interroganti particulariter reſpondere, quid ad te? Licet etiam ambiguis verbis eludere, ut falsò credat interrogans, reſpondentem eſſe Lutheranum v. g. Credo, quod eſt in S. Scriptura: credo, quod Chriſtus & Evangeliſtæ docuerunt: teneo fidem rectam: non adoro imagines &c. At expreſsè negare fidem ſemper eſt peccatum mortale, etſi animus diſſentiendi non accedat, ut conſtat ex caſu priori *n. 3.*

Cùm igitur negare, ſe eſſe Papiſtam in communi ſenſu idem ſit, ac negare ſe eſſe Catholicum, peccatum contra fidem cenſendum eſt. Aliud dicendum, ſi quis negaret ſe eſſe Monachum, ſe habere hodie diem jejunij, ſe acceſſiſſe Miſſam, confeſſum eſſe &c. quæ licèt mendacia, tamen non contra fidem, aut peccata mortalia erunt, utut intentio interrogantis fuerit ex hoc deprehendere, an interrogatus ſit Catholicus, nec ne? Laym. *loco priùs cit.* Tambur. *l. 2. c. 1. §. 3. n. 3.*

„ (*A.*) Q. Quoties univerſim præceptum externè profitendi „ fidem obliget? R. cum S. Thoma *2. 2. q. 3. a. 2. Toties*, quo„ ties id requirit vel magnus aliquis Dei honor, vel ſalus ani„ mæ proximi, vel propriæ. Unde ſi ex taciturnitate, diſſi„ mulatione, vel fuga &c. catholicæ Religionis contemptus, „ proximi ſcandalum, vel propriæ animæ ſpiritualis ruina ſe„ quitur, vel timetur, fidem palam profiteri neceſsè eſt. Ra„ tio eſt, quòd etiam aliarum virtutum actus cadant ſub præ„ ceptum, quando ſunt neceſſarii ad finem charitatis erga De„ um, erga proximum, vel erga ſe ipſum, ut communis tenet „ Theologorum.

DE

Digitized by Google

DE VIRTUTE
SPEI.

ALtera in Virtutum Theologicarum choro Spes eſt. Hanc dari ſatis conſtat ex Ap. *1. Cor. 13. Nunc autem manent tria hæc, Fides, Spes, Charitas.* Solet à Theologis ex divo Thoma hic *q. 17. & 18.* definiri, quòd ſit appetitus, quo voluntas viatoris fertur in Deum ut beatitudinem ſuam, obtentu quidem difficilem, auxiliante tamen Deo obtinibilem. Unde patet, objectum virtutis Spei eſſe ipſum Deum, tanquam æternam beatitudinem à nobis aliquando obtinendam. Rationem formalem verò eſſe Omnipotentiam Dei, ut auxiliantem. Vitia Spei Theologicæ oppoſita ſunt præſumptio & deſperatio. Prius fit per exceſſum, quando nimirum quis confidit, ſe æternam beatitudinem conſecuturum aut naturæ viribus, aut alio, quam Deus ordinavit, modo. Poſterius per defectum, dum quis diffidendo miſericordiæ divinæ deſperat de obtinenda remiſſione peccatorum, æternâque gloriâ conſequendâ. Circa quæ

CASUS IX.

ACcuſat ſe pœnitens, quòd nimiùm puſillanimis & deſperabundus fuerit. Quid cenſebit, aut quæret Confeſſarius?

RESOLUTIO.

COgitatio, metus, anxietas qualiscunque, etſi cum magna animi dejectione, puſillanimitate, aut inordinata triſtitia contingat, non facilè peccatum mortale erit, (*A.*) niſi deliberata

berata voluntas non cooperandi ſeu curandi æternam ſalutem, vel odium, aut gravis averſio à Domino Deo interveniat. Unde interrogari poterit talis pœnitens, an in ſuis cogitationibus eò uſque proceſſerit, ut poſitivè intenderit, aut propoſuerit non ampliùs orare, confiteri &c. aut nolle amare Deum, nolle ſperare æternam beatitudinem &c. Vide Laym. *l. 2. tr. 2. c. 1. & 2.*

„ (*A.*) Q. An deſperatio admittat parvitatem materiæ? R.
„ cum Tambur: Sanchez & aliis negativè. Ratio eſt, quòd
„ formaliter deſperans de ſalute ſua, aut etiam tantùm poſitivè
„ dubitans, vel deliberatè hæſitans, removeat à Deo aliquam
„ perfectionem, vel eidem attribuat aliquam imperfectio-
„ nem, quod utrumque ſemper grave eſt. Nam qui de-
„ ſperat, hujus mentis eſt, quòd Deus vel non poſſit, vel non
„ velit dare efficax auxilium ad æternam ſalutem conſequen-
„ dam: quorum prius à Deo removet omnipotentiam, poſte-
„ rius ejus limitat infinitam miſericordiam, quod utrumque
„ graviter Deo injurioſum eſt. Unde quando in dato caſu
„ dicitur, metuens, ànxius, hæſitans, vel aliquatenus dubi-
„ tans de ſua ſalute, non peccare mortaliter, non id intelligen-
„ dum eſt ob parvita[tem] materiæ (quatenùs ejuſmodi actus ſunt
„ oppoſiti motivo formali Spei) ſed ob imperfectionem actûs,
„ ob defectum ſcilicet ſufficientis advertentiæ & deliberationis.

CASUS X.

ALter, quòd cogitaverit, ſe eſſe de numero reproborum, proin æternùm denique damnandum.

RESOLUTIO.

1. NOn eſt propriè peccatum contra ſpem talis imaginatio, & ordinariè magis ſcrupulus, ſeu perturbatæ mentis paſſio, & pœnalis anxietas, quàm peccaminoſa actio. Unde non rigidè judicandum, aut peccatum exaggerandum erit,

Digitized by Google

ſed potiùs conſolatio adhibenda, & ſigna prædeſtinationis, quæ longè plura & probabiliora, quàm econtra ſigna reprobationis in homine Catholico inveniuntur, ſuggerenda erunt hujuſmodi pœnitenti. (*A.*)

2. Interim, quia ex talibus impreſſionibus facilè odium, ſivè averſio & voluntas non amandi Deum, aut reſolutio non laborandi porrò pro cœleſti gloria, adeóque vera deſperatio ſequi poteſt, non abs re erit, pœnitentem de hoc interrogare, útque impoſterum, cùm ſimiles ſcrupulos patiatur, ab his ſedulò caveat, admonere. Videantur addita caſui V.

„ (*A.*) Q. Quid ſi Deus alicui revelaret ſuam æternam damna-
„ tionem abſolutè, omni etiã excluſâ ſententiâ interlocutoria,
„ an nihilominùs poſſet, vel teneretur ſperare? R. Talem, ſi
„ certus foret de ſua revelatione, nec ampliùs poſſe, nec tene-
„ ri *poſitivè* ſperare. Ita divus Thomas *q. 23. de Verit. a. 8. ad*
„ *2.* & communiter Salisburgenſes noſtri. Ratio eſt, quòd in
„ tali caſu ceſſaret motivum formale virtutis Spei, ſcilicet
„ omnipotentia Dei ut auxilians, & conſequenter ipſa Virtus.
„ Neque tamen talis licitè deſperaret poſitivè per actum e.g.
„ deteſtativum beatitudinis, cùm formalis deſperatio ſit actus
„ intrinſecè malus, adeóque nullo caſu licitus. Deberet ita-
„ que ſe habere merè negativè, id eſt, deberet non ſperare, ſeu
„ ſpem poſitivam deponere, ut docent Labat, Gonet, aliique
„ Thomiſtæ. Sed hic eſt caſus metaphyſicus. Unde S. D. loc.
„ cit. bene dicit: *Deum nulli revelare ſuam damnationem, quia*
„ *talis revelatio cogeret illum deſperare.* Subintellige ſaltem
„ negativè. Aliter loquendum foret: ſi Deus non abſolu-
„ tè, ſed comminatoriè duntaxat & conditionatè cuidam ſuam
„ damnationem revelaret, exemplo Ninivitorum *Jonæ 3.* qui-
„ bus interitum per dictum Prophetam prædici voluit, at non
„ niſi comminando & ſub conditione, niſi ſcilicet ſeriam pœ-
„ nitentiam eſſent acturi. In tali, inquam, caſu haud dubiè

„ non

Digitized by Google

„ non tantùm non deſperandum, ſed potiùs cum Ninivitis in
„ cilicio & cinere ſeria pœnitentia agenda, & cum firma ſpe &
„ fiducia de miſericordia Divina, quæ in Deo ſuperexaltat ju-
„ dicium, ſalus æterna quærenda & expectanda foret. Porrò
„ quia hic modus revelandi non eſt Deo omninò inſuetus, be-
„ nè autem prior, teſte Divo Thoma, idcirco ſtante aliquâ re-
„ velatione de æterna cujuſdam damnatione ſemper ſuppo-
„ nendum foret, Deum non abſolutè, ſed comminatoriè ſo-
„ lùm, & ſub conditione, niſi nimirùm ſeria pœnitentia aga-
„ tur, id manifeſtâſſe: adeóque practicè loquendo nunquam
„ etiam merè negativè deſperare licitum erit. Conſonat huic
„ doctrinæ illud Ezechielis *33. v. 14.* *Si autem dixero impio,*
„ *morte morieris: & egerit pœnitentiam à peccato ſuo, fecerít-*
„ *que judicium & juſtitiam &c. vita vivet & non morietur.*

CASUS XI.

ALius econtrà, ſe ſibi perſuaſiſſe, non poſſe damnari, dummodò v. g. in certa Religione, ſeu Religioſorum cætu perſeveret.

RESOLUTIO.

1. TEmeritas hæc & periculoſa injuria ſalutis eſt, proin ſaltem venialiter peccaminoſa. At contra virtutem Theologicam Spei propriè non eſt, quia talis nec propriis viribus, nec ſine cooperatione, & mediis ordinariis præſumit venire ad cælum: ſed potiùs (etſi temerè) ſibi perſuadet, Deum facilè & ſaltem in extremis ſufficientia media, & gratiam pœnitentiæ daturum.

2. Unde tametſi ex hac perſuaſione accedat, & faciat peccatum aliud mortale, quòd aliàs non faceret, tamen hæc præſumptio gratiæ ſingularis, & finalis pœnitentiæ, aut facilis veniæ conſequendæ, ſpeciale peccatum non conſtituit.

Digitized by Google

3. Aliud dicendum, ſi crederet, ſe damnari non poſſe, etſi ſine pœnitentia decederet &c. quod mortalis præſumptio, & peccatum contra Spiritum S. (*A.*) ut expreſsè docet divus Thomas *2. 2. q. 21. a. 1. in c.* foret. Imò ut bene notat Sanchez *l. 2. c. 33. n. 8.* Toletus & alij. Ejuſmodi peccata præſumptionis non ſolùm graviter repugnant virtuti Spei, ſed frequenter etiam hæreſin involvunt. Nam ſalvari poſſe ſine condigna pœnitentia poſt peccata commiſſa, vel ſine noſtra cooperatione & meritis, fiducia Lutheranorùm, & damnata hæreſis Pelagianorum eſt.

„ (*A.*) Q. Quomodo peccata in Spiritum S. dicantur irre-
„ miſſibilia? Reſpondet S. Thomas loc. cit. *q. 14. a. 3. in c.*
„ Non dici irremiſſibilia uniformiter, ſed diverſimodè. Nam
„ de peccato finalis impœnitentiæ certum eſt, illud nec remit-
„ ti in hoc, nec in futuro ſæculo. Non in hoc, eò ipſo, quòd
„ quis finaliter decedat impœnitens. Non in futuro, quia
„ ibi non ampliùs datur locus remiſſionis. Et de hac impœni-
„ tentia ſpecialiter intelligendus eſt Chriſtus Matth. 12. A-
„ lia autem peccata in Spiritum S. ut ſunt odium Dei, deſpe-
„ ratio, hæreticalis præſumptio &c. ſunt irremiſſibilia (inquit
„ S. D.) non quidem, quòd abſolutè ſit impoſſibilis eorum
„ remiſſio, ſed quòd ſit valde difficilis & rara, eò quòd Spi-
„ ritui S. aditum ſpecialiter præcludant, dum media ac diſpo-
„ ſitiones e. g. ſpem, timorem, charitatem, dolorem, alias-
„ que virtutes extinguunt & impediunt, ſine quibus ordina-
„ riè Spiritus S. non juſtificat peccatores.

CASUS XII.

RUſticus incendio, vel per milites bonis omnibus exutus, ait, ſe in animo habuiſſe, quòd ſe ſuſpendere vellet &c.

RE-

Digitized by Google

RESOLUTIO.

1. Repetenda imprimìs, quæ circa cogitationes ſupra ad caſum 4. dicta ſunt.

2. Deliberata voluntas, propoſitum, aut ſeria intentio ſe occidendi peccatum mortale cenſendum, etſi in actum non prodeat, ut tenet communis.

3. Attamen ſi propter miſerias & tædium vitæ præſentis, vel ex iracundia, indignatione &c. proveniat, non erit peccatum contra ſpem, ſed ſpeciale ad genus homicidij pertinens, tum contra charitatem, quæ incipit à ſe ipſa, tum contra juſtitiam, quia nemo eſt dominus vitæ & membrorum ſuorum, ut docet divus Thomas *2. 2. q. 64. a. 5. in c.* Cajet. in Summ. pecc. Verb. Homicidium.

4. Quòd ſi verò ex eadem cauſa triſtitiæ, vel indignationis tum vitæ præſentis tædium, tum ſimul animus ſeu intentio, nec æternam ſalutem curandi, petendi, aut ſperandi accederet, novum id peccatum eſſet, de quo etiam Confeſſarius pro qualitate circumſtantiarum interrogare poterit. (*A.*)

(*A.*) „ Q. Quandonam obliget præceptum Spei? R. Præ„ ceptum negativum, quo prohibemur deſperare de miſeri„ cordia Dei, æternaque beatitudine, vel præſumere modo in„ debito eam obtinendi, obligare ſemper & pro ſemper. Hæc „ enim eſt natura præcepti negativi. Si autem ſermo ſit de „ præcepto affirmativo, cenſetur id obligare directè quidem, „ quando quis ex præcepto affirmativo tenetur ſe ad Deum „ convertere, quod fit in primo inſtanti ſufficientis uſûs ratio„ nis. (juxta priùs dicta de fide) Item in fine vitæ ſeu articulo „ mortis, & ſæpiùs in vita, ut de facto tenet communis, præ„ ſertim poſt damnatam ab Alexandro VII. ſequentem pro„ poſitionem. *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur* „ *elicere actus Fidei, Spei & Charitatis ex vi præceptorum divi*„ *norum ad eas virtutes pertinentium.* Indirectè autem ob-

Digitized by Google

„ ligat, quando quis aliquid facere tenetur, quod actum Spei
„ neceſſariò requirit, vel præſupponit: e. g. quando non po-
„ teſt aliquam tentationem ſuperare, niſi ſe muniat actu Spei:
„ vel quando vult pœnitere, actum contritionis elicere &c.
„ Quæ cum proportione etiam de Fide & Charitate dicenda,
„ ut ampliùs infra patebit.

DE VIRTUTE
CHARITATIS.

CHaritas Dei inter Virtutes Theologicas teſte divo Paulo *1. Cor. 13.* præcipua ac maxima. Eſt actus voluntatis, quo quis Deum diligit tanquam ſummum Bonum propter ſe. Hujus objectum tam terminativum, quàm motivum eſt ipſe Deus ſub ratione ſummæ Bonitatis. Dicitur charitas hæc, amor benevolentiæ, unde & homo eam eliciens Amicus Dei appellatur, juxta illud Pſal. *138. Nimis honorati ſunt amici tui DEUS.* Præceptum de diligendo Deo ſuper omne Bonum ſatìs nobis innuitur. Deut. *c. 6.* Matth. *22.* Luc. *10. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua &c.* Huic virtuti è diametro opponitur odium Dei. Etſi autem quis exiſtimet, implicare odium Dei, eò quòd in ſummo ac infinito Bono nec apprehendi poſſit cum fundamento in re quidquam mali: tamen hoc eſſe poſſibile etiam in homine (nam dæmonibus & damnatis id familiare eſt) docet divus Thomas hic *q. 34. a. 1.*

De Charitate Dei, ejùsque vitio oppoſito hìc breviter ſequentia. De Charitate proximi in decurſu: ac præcipuè Caſu 87. 88. & 138.

CA-

Digitized by Google

CASUS XIII.

EX ſcripto ſatis longo incipit legere pœnitens, peccâſſe ſe contra decem præcepta Divina: & in ſpecie contra primum, quòd DEUM non amaverit ex toto corde &c.

RESOLUTIO.

1. SI ex modo confitendi appareat (quod in pluribus aliis caſibus notandum) pœnitentem tantùm ex ſpeculo aliquo pœnitentiali ſimilia deſcripſiſſe, & ex reliqua confeſſione non fiat credibile, eum in his aut ſimilibus graviter peccâſſe, diſſimilari poteſt, nec opus aliâ interrogatione.

2. Cæterùm tunc peccatum mortale erit, non amâſſe DEUM, ſi vel præceptum amandi poſitivè obligabat: uti cùm quis primò uſum rationis accepit juxta communem: vel negativè (*A.*) ſi contra dilectionem DEI deliberatè aliquis creaturam Creatori præferret, objectivè ſeu appretiativè plùs ſe, vel alium, quàm DEUM diligendo: ita ſcilicet ut e. g. deliberatè cogitet, nolle amare DEUM, niſi ſibi vel alteri benefaceret, aut mercedem vitæ æternæ tribueret: vel ſcienter & voluntariè ita affectus ſit, ut amore ſui aut proximi DEUM offendere non vereretur &c. Vide Laym. *l. 2. tr. 3. c. 2. n. 4.*

3. Quatenus autem cuivis peccato commune eſt, eſſe contra charitatem DEI, eſſe ejuſdem contemptum, eſſe ejuſdem odium ſaltem virtuale &c. Hæc & ſimilia in Confeſſione explicanda non ſunt, cùm ſint circumſtantiæ generales, cuivis peccato inbibitæ, de ſe nec prævisæ, nec intentæ, niſi peccans cogitando talia deliberatè & cum voluntatis aſſenſu in ea feratur, quo facto haud dubiè etiam in Confeſſione explicanda forent.

„ (*A.*) Q. Quandonam obliget præceptum Charitatis DEI?
„ R. 1. Conformiter dictis de Spe Caſu 12. præceptum nega-
„ tivum

Digitized by Google

„ tivum de non odiendo Deo, nihílque ejus dilectionis & „ amicitiæ contrarium agendo obligare ſemper & pro ſemper „ juxta tenorem aliorum præceptorum negativorum. R. 2. „ Præceptum affirmativum de Deo diligendo ſuper omnia cer- „ tum imprimis eſſe juxta S. Thomam *1. 2. q. 89. a. 6.* obligare, „ & quidem directè, ſive per ſe, cùm primùm homo ad per- „ fectum uſum rationis perveniat, eò quòd unicè ad hunc „ finem ſit creatus, nec leges naturæ in Decalogo contentas „ ſine charitate Dei diu obſervare poſſit, ut denuò docet D. „ Thomas *q. 100. a. 3. ad 1.* Dein juxta communem cenſetur „ etiam obligare in articulo mortis, ubi homini conjunctio „ cum Deo per charitatem maximè videtur neceſſaria, tum ob „ periculum ſalutis ratione graviorum tentationum & inſi- „ diarum diaboli, tum ob præteritam peccandi conſuetudi- „ nem &c. Præterea etiam obligat ſæpiùs medio vitæ tempo- „ re, ita ut actus amoris Dei non nimis diu differatur, quam- „ vìs determinatum tempus ab AA. non facilè aſſignetur. „ Ubi tamen bene obſervanda eſt propoſitio damnata ab In- „ nocentio XI. ord. 6. *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſè „ quinqueniis per ſe obligare præceptum charitatis erga DEUM.* „ Indirectè obligat præceptum charitatis, quandocunque „ quis tenetur ad contritionem, utpote quæ procedit ex cha- „ ritate; item quando eſt in periculo ſuccumbendi aliàs ten- „ tationi contra quamcunque virtutem à charitate diſtinctam. „ Ita communis Theologorum.

CASUS XIV.

Pœnitens ait, dubitare ſe, an cùm primò ad uſum rationis, ſimúlque agnitionem obligationis pervenerit, tunc actum Charitatis, Fidei aut Spei elicuerit.

RE-

Digitized by Google

RESOLUTIO.

HOc & ſimilibus caſibus, cùm pœnitens ſub dubio ſe accuſat, non habet Confeſſarius indagare, an mortale peccatum ſit. Et cùm in propoſito etiam de ſpecie & numero conſtet, acquieſcendum eſt accuſationi pœnitentis ſub dubio factæ. Hîc tamen benè advertant, velim, Parentes, vel qui locò illorum ſunt, Parochi, Confeſſarij &c. ſibi & quidem ſub gravi obligatione incumbere, ut pueros ac clientes ſuos circa præceptum charitatis de diligendo Deo ſuper omnia (idem cum proportione dic de præceptis Fidei & Spei) inſtruant: quod commodè fieri poteſt, ſi ijſdem frequentiùs inculcent, à quo & cur creati ſint, ſcilicet, ut Deo rerum omnium Auctori ac Domino ſerviant, omnes actiones ſuas ad eum tanquam ultimum finem dirigant, eúmque tanquam ſummum ac infinitum Bonum ex toto corde & omnibus viribus diligant, (*A.*) utpote cui poſt hanc vitam in omnem æternitatem per claram viſionem & charitatem ſunt uniendi. Ex defectu autem ſufficientis inſtructionis, & advertentiæ gravis obligationis ſæpè excuſari poterunt pueri ac rudes à gravi transgreſſione hujus præcepti, velut etiam præcepti Fidei & Spei, ut communiter notant AA.

„ (*A.*) Q. Quo ſenſu Deus ex toto corde, ac ſuper omnia „ ſit diligendus? Antequam reſpondeatur, notandum eſt. „ Dupliciter à Theologis dici unum plus diligi, quàm aliud: „ *intenſivè* nimirum & *appretiativè*. Prius fit per majorem „ ſeu vehementiorem actûs intenſionem. Poſterius per ma„ jorem æſtimationem, ſeu appretiationem, ita ut vero ani„ mo unum magis æſtimetur, quàm alterum, etſi ſubinde al„ terum intenſiùs ſeu teneriùs diligatur. Sic e. g. Pater qui„ dam ſubinde ferventiùs ac teneriùs amat pecunias vel equũ „ ſuum, quàm filium, non tamen firmiùs ſeu magis æſtima„ tivè: ſi enim alterutro deberet carere, mallet carere equo

„ vel pecuniis, quàm filio. Hoc poſito R. jam ad Q. Deum neceſſariò quidem eſſe diligendum ſummè ſive ſuper omnia *appretiativè*, non tamen *intenſivè*. Etſi enim deceat, nos ferri in ſummum ac infinitum Bonum intenſiori ac vehementiori amore, quàm in bona creata, id tamen in præcepto charitatis erga Deum non continetur, ut docet Laym. *l. 2. tr. 3. c. 2. n. 3.* allegans communem DD. Ratio eſſe, mihi videtur, tum quia certa menſura intenſionis non facilè poſſet præſcribi: & actus ſummè intenſus vel eſſet nimìs difficilis, vel omnino impoſſibilis: tum quia ejuſmodi præceptum innumeros induceret ſcrupulos & anxietates in conſcientias. Appretiativè tamen Deus ſuper omnia eſt diligendus, ita ut vero animo magìs æſtimetur, ſive appretietur, quàm omnia creata: quia recta ratio per ſe dictat, ſummum Bonum, ac fontem omnium bonorum, ultimúmque noſtrum finem ac felicitatem magìs æſtimari, & appretiari debere ſuper omnia creata, utpote ſolùm finita, atque hoc ipſo caduca & contemptibilia reſpectu Boni infiniti. Vid. Cornel. à Lap. *in cap. 22. Matth. v. 37.*

CASUS XV.

AIt aliquis, ſe indignationem & odium contra Deum habuiſſe, etſi non verbis, tamen in animo & cogitatione blasphemâſſe Deum.

RESOLUTIO.

QUamvìs impoſſibile videri poſſit, ſummum Bonum odiſſe, ut ab initio dictum, poteſt tamen, & ſolet quandóque malitia in tantum excæcare mentem humanam, ut Divinam Bonitatem non videat: ſed econtra Deum, ut ſibi malum & adverſarium apprehendat, atque eum averſetur, & ſtultâ intentione eundem quaſi irritando provocet, aut malum aliquod

quod v. g. Deum non eſſe, non poſſe, non ſcire &c. omnipotenti & omnia ſcienti Deo imprecetur: uti frequenter faciunt, qui deliberatè ore, (*A*.) vel animo blasphemant. Et hoc peccatum graviſſimum, non tamen ordinariè ſaltem caſus reſervatus eſt, nec cenſuram annexam habet, niſi hæreſis accedat, eáque verbis aut ſignis exteriùs manifeſtetur, adeóque à quovis Confeſſario cæteris paribus abſolvi poterit.

„ (*A*.) Q. Quando in ſimilibus excuſet inadvertentia, vel „ indeliberatio? Reſpondet divus Thomas *2. 2. q. 13. a. 2. ad* „ *3.* Blasphemias oris duplici modo contingere. Primò, dum „ quis non advertit, id quod dicit, vel facit, eſſe blasphemiam, „ uti fit, dum quis ſubitò vehementi paſſione præoccupatus „ verba blasphemiæ quidem profert, non tamen advertit eo„ rum ſignificationem. Et hæc indeliberatio à mortali excu„ ſat. Secundò, dum quis etiam quidem ex aliqua paſſione „ plenam deliberationem antecedente profert verba blasphe„ miæ, ita tamen ut advertat verborum ſignificationem, & in „ confuſo ſaltem rei gravitatem. Et hæc indeliberatio non ex„ cuſat à mortali: velut à mortali non excuſatur, qui ex ſubito „ motu iræ (ut ibi loquitur S. D.) alterum occidit juxta ſe ſe„ dentem, quoniam gravitas rei eum cogit ad deliberandum, „ hoc ipſo, quòd advertat ad id, quod agit. Sed de peccato „ blasphemiæ plura inferiùs in ſecundo Decalogi præcepto.

CASUS XVI.

QUidam graviſſimè indignatus eſt propter tempeſtatem, vel propter infortunium certum, aut defectum corporis &c. quorum effectuum non alium, quàm ſolùm Deum cauſam eſſe ſciebat, vel ſcire debebat &c.

RESOLUTIO.

DIſtinguendum & interrogandum eſt, an indignatio in rem adverſam, vel in ipſum Auctorem Deum dirigatur? Priori caſu

ri caſu impatientia, vel inordinata triſtitia, non facilè peccatum mortale cenſenda eſt. Et quidem etiamſi in mentem veniat, cauſam aliam non eſſe mali, niſi immediatè ipſum Deum: tamen ſi indignatio & impatientia feratur in effectum & objectum contrarium, abſtrahendo a cauſa prima necdum ſpeciem mutabit, cogitâſſe, & cognoviſſe Auctorem Deum. Aliud dicendum, ſi occaſione adverſitatis directè in Dominum Deum, eò quòd adverſa hujuſmodi permittat, aut faciat, aliqua indignatio aut averſio, aut quaſi reprehenſio deliberatè concipiatur. Quod vel odium Dei, vel ſaltem contra præceptum charitatis negativè ſemper obligans peccatum mortale erit. (*A.*)

„ (*A.*) Q. An circa præceptum negativum charitatis Dei „ dari poſſit parvitas materiæ? R. Negativè. Quantumvis „ enim parvum malum Deo optetur, vel irrogetur, ſi id fiat „ ex odio, vel averſione erga Deum, ſemper gravi Deus af- „ ficitur injuria, graviſque in tali actu reperitur deordina- „ tio rectæ rationis, ut conſideranti facilè patet. Unde etiam „ divus Thomas dicit, odium Dei eſſe peccatum omnium gra- „ viſſimum, eò quòd averſio à Deo, in qua ratio culpæ conſi- „ ſtit, in odio Dei importetur per ſe, in aliis verò peccatis ſo- „ lùm participativè: quatenus ſcilicet inordinatè appetitur „ aliquid, habens annexam averſionem à Deo, eò quòd ſit „ contra ejus præceptum.

DE

DE PRIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

Unum cole DEUM.

QUoniam Deus omnium maximè colitur per Virtutes Theologicas, Fidem, Spem, & Charitatem immediatè ipſum reſpicientes: de his autem jam actum ſit in caſibus præcedentibus. Ideò jam deſcendimus ad ea; quæ per primum decalogi præceptum tanquam cultui divino & religioni potiſſimùm, poſt vitia Fidei, Spei & Charitati oppoſita, prohibentur, & præ aliis frequentiùs tribunalia ſacra fatigant. Quæ nimirum ſunt ſuperſtitiones. Definiri autem poteſt ſuperſtitio, quòd ſit: *Cultus vitioſus veri vel falſi Numinis.* Et hic juxta divum Thomam *2. 2. q. 92. a. 2.* eſt duplex. Vel enim tribuitur Deo cultus indebitus, uti fit, dum colitur ritibus & cæremoniis Judaicis, vel Machometanicis. Vel cultus Deo debitus tribuitur creaturæ, quando nimirum creatura cultu ſoli Deo debito afficitur, qui iterùm ſubdividitur in Idololatriam, Magiam, Divinationem, vanam obſervantiam, & Tentationem Dei. De quibus impoſterum.

CASUS XVII.

PAr nobile conjugum ſucceſſivè confitetur: Maritus, nomen ſuum & ſyngrapham diabolo dediſſe, receptâ invicem pecuniâ &c. Uxor, ſe hactenus ſagam fuiſſe. Quid ad hæc Confeſſarius?

Digitized by Google

RESOLUTIO.

ANte alia primò ſedulò inquirendum eſt de hæreſi, an non ſuo inſtigante magiſtro SS.^mæ Trinitatis, aliave Myſteria & Articulos abnegaverint, dæmonem cultu latriæ coluerint, vel ſaltem adoratione dignum æſtimaverint, (*A.*) item non eſſe damnatum, habere cognitionem liberè futurorum contingentium, poſſe effectus verè miraculoſos ac ſupernaturales vi propriâ producere &c. crediderint? quod in caſibus pacti expliciti cum dæmone initi, non rarò fieri ſolet: eóque facto Confeſſarius ut ſuprà ad caſum 2. procedere debet.

Secundò. Quòd ſi hæreſis, & quidem in- & externa ſimul non interveniat, adeóque quivis Confeſſarius (niſi forſan caſus in aliqua Diœceſi ſpecialiter ſit reſervatus) abſolvere poſſit: de aliis flagitiis aut blaſphemijs &c. quæ in primo vel ſequentibus cum dæmone habitis conventibus & correſpondentijs intervenerunt: Item an & quoties ope & auxilio dæmonis, vel ad nocendum aliis, vel ad effectùs magicos uſus ſit, interrogandum, & quoad damna data, obligatio reſtitutionis imponenda.

Tertiò. Syngrapha dæmoni data, etſi pro nunc recuperari non poſſit, non impedit abſolutionem, ſi aliàs indicia ſeriæ pœnitentiæ adſint. Suggerenda tamen conſilia v. g. peregrinationes ad loca ſacra, miraculoſas Reliquias, vel imagines &c.

Demum animandus talis pœnitens ad perferendas ab eo, cui hactenus ſe mancipaverat, dæmone tentationes, & moleſtias, útque citiùs iterùm Confeſſionem, aliaque Sacramenta, & ſpiritualia remedia adhibeat, admonendus.

„ (*A*) Q. Quid ſit Idololatria? R. Eſſe actionem, qua „ divinus cultus tribuitur creaturæ, illam ut Deum honorando. Quod quidem fieri poteſt tripliciter. Primò, dum „ quis verè exiſtimat idolo ſeu rei creatæ divinitatem ineſſe,

„ cujus-

„ cujusmodi idololatria cum infidelitate conjuncta eſt, & „ caſum Bullæ Cœnæ conſtituit, ſi exteriùs prodeat. Se„ cundò, dum quis ſciens idolo nullam divinitatem ineſſe, „ tamen ex pravo affectu e.g. ex odio erga verum Deum, vel „ cupiditate aliquid à diabolo obtinendi, dæmoni vel alteri „ creaturæ cultum defert tanquam Deo. Et licèt hæc ex „ parte intellectûs (ob defectum nimirum infidelitatis) im„ perfectior ſit, quàm prior, ex parte tamen voluntatis à ra„ tione veræ idololatriæ non deficit, imò quoad malitiam ob „ perverſitatem pravi affectûs priorem ſuperat, Caſus tamen „ Bullæ Cœnæ non eſt. Tertia idololatria eſt ſimulata & im„ propriè dicta, dum quis neque ex opinione divinitatis, ne„ que ex affectu interno, ſed ob gravem e. g. Tyranni vel „ populi metum, ſolùm exteriùs idolo exhibet cultum latriæ, „ vero Deo debitum. Quod tamen tanquam formale men„ dacium in cultu Religionis intrinſecè malum, Deo graviter „ injurioſum, & hominibus ſcandaloſum, ac proin in nullo „ caſu licitum eſt, ut notat S. Thomas *2. 2. q. 94. a. 2. in c.* ex S. „ Auguſt. *l. 6. de Civit. c. 10.*

CASUS XVIII.

ALius joci tantùm causâ, & in materia parva ſe magicas artes didiciſſe, & practicâſſe, ait: v. g. mures producendo &c. idque ſine intentione invocandi auxilium dæmonis: ſed potiùs econtrà proteſtando &c.

RESOLUTIO.

Cùm gravitas peccati hujus non in effectu per magiam (*A.*) cauſato, ſed in eo ſenſu conſiſtat, quòd homo cum dæmone, ſuo & Creatoris ſui capitali inimico commercium inſtituere, ejuſdem operâ & auxilio contra Dei voluntatem uti audeat &c. nihil intereſt, parvus an magnus effectus ſit ſubſecutus:

cutus: uti nec excuſat, joci tantùm causâ feciſſe, nam res nimis ſeria eſt, dæmonem explicitè, vel implicitè in auxilium vocare. Denique nec proteſtatio juvat, utpotè facto contraria: quamvis enim proteſtatio ſalutaris ſit, & à peccato excuſari poſſit in caſibus dubiis, ut caſu 27. dicetur, tamen ubi certum eſt, effectum intentum ex poſitis mediis naturaliter ſequi non poſſe, & tamen homo ad finem, obtinendi talem effectum v. g. producendi mures, flores &c. media talia per ſe, & naturaliter manifeſtè improportionata pónit, & applicat, factum ipſum loquitur, & convincit, quòd dæmonis operationem exſpectet, quidquid lingua pro forma, & minùs ſeriò proteſtetur. Vide Laym. *l. 4. tr. 10. c. 4. n. 7.* Bonac. *d. 3. q. 5. punc. 3. n. 4.* Quòd ſi pœnitens in alia perſuaſione foret, monitione & inſtructione opus erit.

„ (*A.*) Q. Quid & quotuplex Magia? R. Duplicem eſſe „ magiam unam naturalem: alteram ſuperſtitioſam & diabo„ licam. Prior eſt ſcientia efficiendi mira per applicationem „ naturalium agentium abſque dæmonis ope. Et cum hac ut„ pote honeſtâ & licitâ nullum hîc nobis negotium. Ad „ magiam naturalem nonnulli reducunt Alchimiam, ſeu con„ fectionem auri ex vilioribus metallis. Etſi non deſint, qui „ abſolutè negent, ejuſmodi confectionem naturaliter eſſe „ poſſibilem. Vide deſuper Delrium Diſq. mag. *l. 1. c. 5. ſec. 2.* „ *& 3.* Magia ſuperſtitioſa ſeu diabolica, eſt ratio præſtandi „ mira ope dæmonis, quod dupliciter contingere ſolet, vel „ mediante pactô expreſſô, dum ſcilicet expreſſa celebratur „ conventio inter magum & dæmonem: vel mediante pacto „ tacito ſeu implicito, dum quis aliunde, quàm ab ipſo dia„ bolo inſtructus utitur mediis vel actionibus ſuperſtitioſis „ & magicis, quorum uſu tacitè & implicitè cenſetur diabo„ lum invocare, ejúsque voluntati aſſentiri. Quod nihilo„ minus ſemper eſt peccatum mortale contra virtutem Reli-

„ gionis,

Digitized by Google

„ gionis , etſi ob defectum actualis commercij cum dæmo-
„ ne non tam grave , quàm prius. S. Thomas *2. 2. q. 96.*
a. 2.

CASUS XIX.

ALia infodiendo certas quisquilias vicinam reddidiſſe contractam , ejusque pecus infructuoſum, confitetur. Quæritur, ad quid teneatur in ſpecie ? an contrario artificio reparare ſanitatem &c. ?

RESOLUTIO.

DUo quærenda. 1. De maleficio iterùm tollendo. 2. De reſtitutione damnorum facienda.

Quantùm ad primum. Indagandum , an & quomodo ſciat , & poſſit maleficium (*A.*) tollere , & priſtinam ſanitatem , ſeu homini , ſeu brutis reſtituere ?

Si 1. hoc poſſit effodiendo , vel amovendo ea , quæ antè in hunc finem depoſuit. Item 2. Si ſub conditione , aut uſque ad certum eventum nocumentum à Dæmone procuratum , & hactenùs continuatâ Dæmonis operâ , cauſatum ſit. Denique univerſim , quoties tantùm Dæmonis operatio impediri , & abrumpi poteſt , id licitum , & in caſu noſtro injungendum erit. Bonacin. in 1. Præcept. Decalog. *Diſp. 3. q. 5. p. 5. n. 7.* cum aliis.

At ſi novis ſignis magicis effectus ſanitatis &c. per novam Dæmonis operationem obtinendus & producendus , hoc nullatenùs ſuadendum eſt , nec ſine novo peccato mortali fieri poſſet ; quia nunquam licitum eſt , inducere alium precibus , juſſu , vel conſilio , ad agendum id , quod ſine peccato facere non poteſt, ut communis tenet Theologorum. (*B.*)

Quomodo autem hoc ipſum diſcernendum , an nova Dæmonis operatio , vel tantùm prioris abruptio fiat , quod in praxi non ita facile eſt , dicetur infrà ad caſum 28.

Digitized by Google

Quantum ad ſecundum ſive reſtitutionem faciendam: de Jure reſarciendum omne damnum pretio æſtimabile, quod alteri per maleficium illatum eſt. Unde pro ipſa quidem ſanitate, aut membri contractura nihil (uti defactò tenet communis: quia bonum ablatum altioris eſt ordinis, quàm bona fortunæ, per quæ reſtitutio facienda; nec cum iiſdem venit in commutationem) interim, quod patienti ex hoc in bonis poſſeſſis, vel poſſidendis decedit, reſtituendum eſt, niſi juſta impoſſibilitatis cauſa pœnitentem excuſet &c.

„(*A.*) Q. 1. Quid & quotuplex maleficium? R. Ma-
„ leficium eſt ars nocendi aliis ope & poteſtate Dæmonis.
„ Differt à magia non aliter, quàm quòd magus utatur arte
„ Dæmonis vel ad potentiam oſtendendam, vel inanem ca-
„ ptandam æſtimationem hominum. Maleficus autem ad
„ nocendum aliis. Duplex eſt maleficium: Amatorium ſeu
„ philtrum, & Veneficium. Prius ſervit ad amorem carna-
„ lem, vel odium, Dæmone phantaſiam hominis commoven-
„ te excitandũ: poſterius ad nocendum homini, vel aliis
„ animalibus, in corpore vel frugibus.

„(*B.*) Q. 2. Quandò maleficium tolli poteſt, modo tam
„ licito, quàm illicito; an liceat maleficum rogare, ut illud
„ tollat? R. cum Bonac. loc. cit. *n. 8.* Laym. hic *n. 9.* Leſſio,
„ Suarez, Sanchez, Filliucio & aliis affirmativè. Ratio eſt,
„ quòd quivis habeat jus petendi, quod ab altero licitè & ſi-
„ ne peccato præſtari poteſt. Sed quid ſi petens ſuſpicetur,
„ vel ſciat, maleficum non licito modo, ſed illicito, ſcili-
„ cet novo maleficio, id diſſoluturum? Major quidem hæc
„ eſt controverſia: ſed nihilominùs cum Tambur. hic n. 7. &
„ præcit. AA. R. Probabiliùs licere. Ratio eſt eadem,
„ quòd ſcilicet licitum ſit petere, quod alter licitè poteſt fa-
„ cere, nec petenti, ſed facienti imputandum ſit, ſi eligat
„ illicitum præ licito; ut patet, quòd poſſim petere mutuum

„ in

Digitized by Google

„ in neceſſitate ab eo, quem ſcio uſuram commiſſurum; vel
„ juramentum ex juſta cauſa ab infideli, quem novi per fal-
„ ſos Deos juraturum, ut docent iidem AA. Unam tamen
„ clauſulam huic ſent. addit Bonac., nempe inquirendum eſſe
„ à malefico, an ſciat modum licitum tollendi maleficium?
„ quoniam aliàs petens ſe exponeret periculo, petendi ali-
„ quid illicitum. Imò Laymannus inſuper vult, petentem
„ quoque ex Charitate obligari, ut maleficum ad modum
„ tollendi licitum adhortetur, eò quòd taliter grave pecca-
„ tum proximi facilè evitari poſſit.

CASUS XX.

ALtera fatetur, ſe juveni poculum amatorium propinâſſe. Juvenis econtrà confitetur fornicationem, ſed extortam dicto philtro.

RESOLUTIO.

INterrogandum, an per media ſuperſtitioſa & magica, an verò per media ſeu incentiva ad libidinem provocantia id factum ſit? Hoc poſteriori caſu propter finem & propoſitum libidinoſum, ac reſpectivè propter nocumentum ſanitatis mortaliter peccatum tam contra continentiam, quàm juſtitiam. Primo caſu inſuper propter pactum implicitum, novum & graviſſimum peccatum erit: hócque præſumendum, ſi pœnitens intendit affectum & effectum libidinis determinatè tantùm erga ſe, vel aliam perſonam certam procurare.

Cùm verò Dæmon ipſe, utut tentare & in corpore operari, tamen in animam & liberum arbitrium humanum nihil poteſt, non magis excuſabitur à mortali, qui tali philtro inductus, quàm qui aliàs vehementes tentationes paſſus in fornicationem conſentit. Ut pulchrè tam ab authoritate, quàm ab exemplis probat Martin. Delrius Diſq. mag. *lib. 3.*

Digitized by Google

q. 3. p. 1. ſect. 2. Azor *Tom. 1. l. 9. c. 26. q. 1.* Bonac. *punc. 5. n. 3.* Sed

„ Q. Quænam adhibenda media ſpiritualia contra phil-„ trum, & ſimilia maleficia? R. A Leſſio & aliis ſequentia „ præſcribi. 1. Magna Fides in divina protectione & adju-„ torio. 2. Suſceptio Baptiſmi in infideli. 3. Humilis ac „ ſincera Confeſſio peccatorum. 4. Frequentior Sumptio SS. „ Sacram. Euchariſtiæ. 5. Exorciſmi Eccleſiæ. 6. Signum „ Crucis: diligens Fuga objecti amati: Aqua benedicta, & „ Reliquiæ SS. 7. Oratio fervens cum jejunio. 8. Et ul-„ timum. Diſſolutio eorum, quæ pertinent ad pactum cum „ Dæmone. Vide cit. Delrium *ſect. 3.* Navarrum *c. 11. n. 29.*

CASUS XXI.

QUid ſi ex miſericordia aliquis ſanguinem fluentem ſtiterit, febres curaverit &c. certâ verborum formulâ &c.?

RESOLUTIO.

NUnquam licet facere mala, ut eveniant bona: & præſtaret totum mundum interire, quàm Dæmonis ope ſervari.

„ Q. tamen. An non liceat ſimilia petere in caſu neceſſi-„ tatis ſaltem (e. g. ad conſervandam vitam alicujus Viri il-„ luſtris ob bonum publicum) ab aliquo, qui aliàs jam pa-„ ratus eſt, maleficium, vel media ſuperſtitioſa ad ſimiles „ effectus adhibere? R. Non licere etiam à paratiſſimo, & „ ad ſimilia jam accincto. Ratio eſt, quòd petens cenſere-„ tur cauſa moralis ſecuturi operis intrinſecè mali, & in nul-„ lo caſu cohoneſtandi, utpote quod tacitam, vel expreſſam „ invocationem & auxilium Diaboli involvit. Clavis regia „ *l. 4. c. 6. n. 26.* Navar. *c. 11. n. 29.* Bonac. *q. 5. p. 5. n. 5.*

C A-

CASUS XXII.

ALius verbîs & herbîs ſimul applicatîs morbos curavit, aut herbîs ſolîs, aliîsve rebûs naturalibûs dubiæ virtutis: attamen certo tempore, modo inſolito, cæremoniis & obſervationibus pluribus intervenientibus &c.

RESOLUTIO.

FRequentiſſimum eſt, media per ſe licita & naturalia ſuperſtitioſis aut inutilibus accidentibus & obſervantiis (*A.*) vitioſa & ſuſpecta reddi, quæ à primis Auctoribus plerumque tantùm pro forma ad occultanda naturæ ſecreta, aut majorem rei æſtimationem conciliandam adhibita, à Poſteris quaſi eſſentialia apprehenſa ſunt.

Igitur 1. Practicè & de præterito interrogandus pœnitens, an bona fide credens, effectum naturaliter ſine cooperatione dæmonis ſequi poſſe, proceſſerit: & hoc caſu non facilè ultra peccatum veniale incautæ & inutilis obſervantiæ cenſendum. Impoſterùm verò conſulendum & injungendum, ut omiſſis inutilibus & ſuperſtitioſis ea, quæ naturalia ſunt, applicet &c.

2. Interim non omne id ſtatim pro ſuperſtitioſo habendum, quod non apparet, qua ratione effectum aliquem producere poſſit: multa enim ſunt occulta, tamen naturalia. Pro regula haberi poteſt, ea, quæ non in ipſa natura, ſed ex inſtitutione hominum fundamentum & originem habent, etiam effectum naturalem cauſare non poſſe, puta verba certa, ſigna crucis &c. Vide Tambur. *l. 2. c. 6. §. 1.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 4. n. 3.* & alios ab his relatos. Item ea, quæ evidenter inefficacia ſunt, & nullum effectum cauſare poſſunt, v. g. quòd retrorſum eundum, ſiniſtrâ manu agendum, in bivio, ſub ipſo pulſu angelico, in die Paraſceves, aliiſque

Digitized by Google

feſtis mobilibus (proin ad aſtra certum reſpectum non habentibus) faciendum &c. ſuperſtitioſa eſſe. Econtra quæ reſpectum ad ſidera, vel naturalem conſtitutionem elementorum habent, non facilè ſuperſtitionis arguenda: maximè ubi ſimile quid, id eſt, occultam influentiam, quæ præter omnem intentionem proin naturaliter eveniat, in aliis deprehendimus; v. g. quòd herba, lignum, virgula &c. Lunâ creſcente, vel in certo ſigno conſiſtente &c. item certo anni die, in meridie, vel etiam mox poſt Solis occaſum, cælo ſereno &c. colligi, vel applicari debeat. Quibus accenſerem, quòd herba, virga &c. nuda manu tangi non debeat: quòd noctu potiùs, vel interdiu decerpenda: aqua pluvialis potiùs, quàm alia adhibenda: quòd ex cæmeterio, terra, gramen, vel os hominis demortui applicandum &c. idque ex dicta ratione, quia videmus hæc, & ſimilia ſine omni intentione noſtra adeoque naturaliter ſpeciales effectus habere. Interim hæc omnia intelligenda ſunt generaliter & per ſe loquendo, aut etiam in dubio: nam ſi effectus intentus & ſubſecutus notoriè improportionatus ſit, adeoque certum, quòd ex hac cauſa ſequi non poſſit, inferendum eſt, dæmonis cooperationem interveniſſe. Vide D. Thomam *2. 2. q. 96. a. 1. 2. & ſeq.*

„ (*A.*) Q. Quid & quotuplex vana Obſervantia? R. Vanam obſervantiam eſſe tacitam vel expreſſam invocationem „ diaboli, ut ad poſitionem mediorum improportionatorum „ certi effectus ſequantur. Illa autem media juxta D. Tho„ mam *2. 2. q. 96. a. 2.* cenſentur improportionata, ſeu ſigna „ diabolica, quæ neque virtute naturali, neque divinâ, neque „ ex inſtitutione Eccleſiæ ad effectum intentum conducunt. „ Exempla horum latè videri poſſunt in Tambur. loc. priùs cit. „ Tres numerantur hujus vitij ſpecies: Prima eſt ars notoria, „ qua quis credit aſſequi ſcientiam abſque ſtudio & labore; „ cùm illuminatio intellectûs non ſit diaboli, ſed Dei donum,

ut no-

Digitized by Google

„ ut notat S. Doctor ibidem *a. 1.* Secunda eſt obſervatio
„ ſanitatum, qua adhibentur media inania, & inutilia ad ob-
„ tinendam ſanitatem : v. g. cùm gladius, quo vulnus eſt il-
„ latum, unguento, ut vocant, ſympatico inungitur, ut læ-
„ ſus ſubitò ſanetur; præſertim ſi ſimilia fiant in ſat magna
„ diſtantia, aliæve interveniant circumſtantiæ in æſtimatio-
„ ne prudentum nullam habentes connexionem cum effectu
„ ſecuto, vel ſecuturo. Tertia ſpecies eſt obſervatio even-
„ tuum, quâ ex conſideratione alicujus eventûs conjicitur
„ aliud omninò independens eventurum : ſed hæ ſpecies ſo-
„ lùm differunt materialiter, ut conſideranti facilè patet.
„ Valentia, Sanch. Bonac. & alij.

CASUS XXIII.

EX curioſitate nonnemo Cyngaros conſulit : ex manuum inſpectione, nominis indicatione, tempore, & ſigno nativitatis futura prædici poſtulat &c.

RESOLUTIO.

LUdere in talibus, & reciprocè ludi, uti ferè contingit cum Cyngaris, non cenſendum eſt mortale. At ludere ex ſua tantùm parte, atque ex mera curioſitate, etiam ſine ulla fide adhibita interrogare, interim autem advertenter per hoc inducere alterum, ut arte & opera dæmonis futura prædicat &c. peccatum mortale erit. Etſi enim taliter ludens nihil mali de ſe intendat, quia tamen cauſa & occaſio eſt, ut alter ope dæmonis & arte magica utatur, adeóque graviter peccet, etiam eidem hoc peccatum, tanquam voluntarium in cauſa imputatur, ut communiter tradunt Theologi in *1. 2.*

Rurſus interrogare, & ex inſpectione vultûs, manuum, tempore nativitatis, & ſimilibus, indagare naturalem inclinatio-

nationem, & complexionem, cæteris paribus malum non eſt. Sic enim Prov. 17. dicitur: *Sapientia hominis lucet in vultu ejus.* Et Eccl. 8. *Cor hominis immutat faciem illius.* Vid. Delrium *l. 4. c. 3. q. 4. & 5.*

At certò & particulariter, quæ in uno vel altero genere eventura ſint, maximè in iis, quæ à libero arbitrio aliorum dependent, adeòque ex complexione hominis deprehendi nullatenùs poſſunt (v.g. quòd divitem, vel determinatamPerſonam in uxorem ſit habiturus: quòd certò & abſolutè 20. annos ſit victurus &c.) talia certò velle cognoſcere, divinare (*A.*) & firmiter credere, nonniſi ex confidentia in dæmonem, id mago ſuggerentem, fieri poteſt. Multò magis ex nomine ſuo, vel parentum &c. aliquid cognoſcere, ſuperſtitioſum: & ſi certa fides habeatur, peccatum mortale eſt; quia nomina ex hominum libera impoſitione ſunt data, nec complexio, aut ſtatus naturæ mutatur ex hoc, quòd Joannis potiùs, quàm Jacobi nomen in Baptiſmo impoſitum ſit.

„ (*A.*) Q. Quid & quotuplex ſit Divinatio? R. Divi-
„ nationem eſſe prædictionem, ſeu prænuntiationem rerum
„ occultarum, non humano modo, ſed ope dæmonis cogno-
„ ſcibilium. Eſſe ſemper peccatum mortale, ob explicitum,
„ vel implicitum commercium cum dæmone, & gravem Dei
„ contemptum (niſi indeliberatio, vel ignorantia excuſet, de
„ quibus in caſu ſequenti) dubium non eſt. Varias ſorti-
„ tur ſpecies divinatio, prout nimirum diabolus variis
„ modis conſulitur, & variis ſignis reſpondet: nam ſi con-
„ ſulitur per exta animalium, dicitur *Haruſpicium*; ſi per ido-
„ la, *Oraculum*; ſi per repræſentationem mortuorum, uti
„ habetur 1.*Reg.*28.*Necromantia*; ſi per volatum aut vocē avium,
„ *Augurium*; ſi per varios aſpectus ſiderum, *Aſtrologia Ju-*
„ *diciaria.* Si hiſce ſideribus tribuitur influxus in volunta-
„ tem hominis, præjudicans libertati, dicitur *Fatum.* Si
„ deni-

Digitized by Google

„ denique adhibentur ſortes divinatoriæ, dicitur *Sortilegium*:
„ quod meritò damnatur *c. Si quis Epiſ.* & *c. Sortes. 26. q. 5.*
„ Sed hæc omnia in genere moris ejuſdem ſunt ſpeciei, &
„ ſolùm differunt materialiter, quia nimirum ſuam inhone-
„ ſtatem & gravitatem malitiæ deſumunt ex conceptu uni-
„ verſali Divinationis. S. Thomas *loc. cit. a. 3.*

CASUS XXIV.

QUidam confitetur 1. ſe ſomnia & auguria, & alia his ſimilia, quaſi infortunium, aut fortunam significantia ſuperſtitioſè obſervâſſe. 2. Aliquando in ſpecie certum eventum inde divinâſſe. Imò 3. Quandoque ad hæc, ut in ſomno vel aliis modis futura, vel occulta innoteſcerent, certas preces dixiſſe, aliasve actiones hac intentione exercuiſſe.

RESOLUTIO.

1. VAnæ obſervationes, aniles opiniones, ſpes aut metus ex rebus per ſe evenientibus conceptæ: item in genere ſi quædam ponuntur, aut obſervantur, quæ aliàs fieri poſſunt, & ſolent (v. g. ſi ludens locum, aut aleas mutat &c. & exinde meliorem fortunam ſperat) ordinariè tanquam vana & ſtulta magis, quàm ſuperſtitioſa cenſenda: nec peccata mortalia ſunt, niſi certa fides adhibeatur, vel aliæ circumſtantiæ accedant, quæ tacitam dæmonis invocationem importent.

2. Certum eventum divinâſſe periculoſius eſt: tamen ſi ex parte pœnitentis nihil poſitum, ſed tantùm ex caſuali eventu aliud quidpiam ſecuturum eſſe creditum ſit, vanitas & ineptia, proin veniale tantùm (*A.*) cenſendum. Laym. *tr. 10. c. 3. n. 10.* Bonac. *diſp. 3. q. 5. p. 3. n. 18. & 19.* Tambur. *l. 2. c. 6. ∂. 1. n. 12.* & ſeq.

3. At ſi ad hoc ipſum, ut futura in aliquo ſigno notifi-

centur , aliæ actiones , verba , vel preces , compoſitio certa corporis &c. exerceantur , hoc demum eſt a dæmone diſcere, & de futuris inſtrui velle , quod ſine grandi & mortali peccato fieri non poteſt , uti jam conſtat ex hactenus dictis.

„ (*A.*) Q. Quandonam Divinatio excuſari poſſit à culpa „ mortali ? R. Si interveniat pactum expreſſum cum dæ„ mone , nunquam à mortali excuſari , ob nimis gravem, „ eámque manifeſtam deformitatem & deordinationem à re„ cta ratione , communiter cenſent AA. ſi verò ſolùm fiat „ per pactum implicitum , ſeu tacitam invocationem , excu„ ſari poterit à mortali divinatio (idem dic de vanis obſer„ vantiis , aliiſque ſuperſtitionum ſpeciebus) 1. Propter „ ignorantiam excuſabilem : cùm non omnibus adeò mani„ feſtum ſit , quid tacita dæmonis invocatio , & quando uni„ verſim interveniat. 2. Si fiat non animo invocandi dæ„ monem , ſed potiùs jocandi gratia. 3. Propter imperfe„ ctionem actûs , ſi nimirum non adhibeatur certa fides , ſed „ ſolùm timor , aut ſuſpicio effectûs ſecuturi. Cajet. in Sum. „ V. Divinatio. Navar. *c. 11. n. 38.* & alij.

CASUS XXV.

MIles contra glandes & gladios amuleta collo geſſiſſe , aut certas preces ex Pſalmis , aut ſacra Scriptura recitâſſe &c. ait.

RESOLUTIO.

Cùm gladius , & globus ſclopetarius naturaliter corpus humanum penetrare poſſint , & debeant , nonniſi virtute & miraculo divino (quod non præſumitur , & communiter non intenditur : imò ſine peccato tentandi Deum (*A.*) vix intendi , & peti poteſt) aut quod ſupereſt , excipiente vel impediente dæmone hæc penetratio impediri poteſt : proin ſive verba

Digitized by Google

verba ſacra, ſive profana recitaverit, ſive quidvis aliud fecerit, cum credulitate infallibilis eventûs (niſi in Domino Deo ſpem & intentionem firmaverit) peccati mortalis, & ſuperſtitionis reus erit. Ratio eſt, quòd præter Sacramenta in rebus ſacris & verbis nihil ſit, quod infallibilem (ſeu ut loquuntur Theologi ex opere operato) habeat effectum, adeóque qui talem infallibiliter exſpectat, ſive ſacra, ſive profana adhibeat, nonniſi mediante dæmone per tacitam invocationem exſpectare convincitur. Tambur. *n. 44. & 45.* Sanch. de Relig. *l. 2. c. 15. n. 27.* Fulienſ. in 1. Præcept. Decal. a. 6.

„ (*A.*) Q. Quandonam in ſimilibus cenſeatur tentari Dominus Deus? R. Juxta D. Thomam *q. 97. a. 1. in C. & a. 3. ad 2.* Deum quoad ſimilia tentari, quando ab eodem ſine juſta utilitatis & neceſſitatis cauſa petitur, vel certò exſpectatur extraordinarium & miraculoſum auxilium. Quod quidem ſi fiat cum dubio de divina Providentia, vel Potentia, etiam ſpecies hæreſis additur: ſi verò ſine ejusmodi dubio, erit quidem ſimplex tentatio Dei, ex genere ſuo tamen peccatum mortale, ſive contra virtutem Religionis, ſive Spei, ob nimiam præſumptionem & temeritatem: juxta illud Pſalmi 77. *Tentaverunt Deum in cordibus ſuis.*

„ Sacra autem amuleta ex collo geſtare, fervidas preces ex Pſalmodia, vel alias ad Deum fundere, aliaque pia opera exercere, & intuitu horum cum ſpe firma & fiducia ad Deum in cauſa juſtæ utilitatis, vel neceſſitatis auxilium extraordinarium, vel etiam ſupernaturale petere, & ſperare, non ſolùm non peccaminoſum, ſed omninò laudabile & honeſtum eſt, adhortante nos ad hoc frequentiùs ſacrâ Scripturâ per exemplum David cum Goliath. *1. Reg. 17.* Judith cum Holoferne. *Jud. 13.* & alia hujuſmodi. Docet idipſum Gloſſa ſuper *Cap. 6. Deut.* quam allegat S. Thomas *q. 97. a. 1.* Cajet. ibidem.

Digitized by Google

„ Huc reducuntur etiam purgationes veteres per ferrum „ candens, vel aquam ferventem ad eluenda vel detegenda „ crimina imponi ſolitæ &c. modò prohibitæ in lib. 5. Decret. „ de quibus Delrius *lib. 4. c. 4. q. 4.* ubi oſtendit, Deum „ ſimplicibus & innocentibus ad ejuſmodi purgationis mo- „ dum adactis, ſæpiùs miraculis ſuccurriſſe, eorundémque „ innocentiam demonſtrâſſe, haud dubiè ob firmam ſpem & „ fiduciam, quam in eo collocabant.

CASUS XXVI.

VIce verſa: Alius ad ſolvendam induritiem Adverſarij, gladium hoc fine terræ aut pani infixiſſe, glandem vel acumen gladij inaurari feciſſe &c. imò quandoque ſolis verbis, iisque vel ſacris, vel ludicris & exoticis, aut ſignis & geſtibus per ſe ridiculis, eandem efficaciam armis ſuis conciliâſſe &c. confitetur.

RESOLUTIO.

RArò peccatur ſolvendo indurationem alterius, quia gladius meus ſine omni dæmonis ope penetrare poteſt, & tantùm id procurandum eſt, ne dæmon gladium excipiat, aciem infringat, aut ſolidum corpus quaſi clypeum pro defenſione ſui Clientis objiciat. Proin ſive aquâ benedictâ, ſive precibus (bona intentione & ſine admixtione aliorum, quæ irreverentiam Dei, falſitatem aut blasphemiam importent, adhibitis) dæmonem fugare poſſim, ex ſe licitum eſt: & ſi etiam aliundè læſio juſta ſit, puta causâ defenſionis, authoritate publica &c. nullum peccatum erit. Similiter cùm pactum dæmonis ordinariè ad ferrum & plumbum conceptum ſit, licebit cæteris paribus ex fine, hoc pactum eludendi gladio inaurato, glande vitrea &c. uti. Item cùm in ipſis conventionibus cum dæmone certæ plerumque exceptiones inter-

Digitized by Google

interveniant (quod ex aſſertione & tortura magorum innoteſcit) v.g. gladius nullus penetrabit, niſi fortè is terræ priùs infixus, niſi ſignum crucis in eo inſculptum ſit &c. licebit etiam ex propoſito conditionem & pactum alterius ſolvere. Ratio horum omnium eſt, quia licitum eſt aliquid facere non ex pacto novo cum dæmone ſeu tacita invocatione illius: nec exſpectando beneficium ab eodem, ſed potiùs ob inimicitiam evertendo pacta illius, & deſtruendo opus ſuperſtitioſum. Ut docet Cajet. *tract. 12. n. 2.* Leſſ. *l. 2. c. 44.* dub. ult. Delrius *l. 6. c. 2. ſec. 1. q. 3.*

Aliud ſentiendum, ſi quis certa verba nugatoria, geſticulationes & ſigna exotica, quæ novam fortioris dæmonis invocationem, Prudentum & Doctorum judicio importarent: quod ordinariè timendum, cùm non res, vel actio aliqua ſimplex, ſed multa, diverſa, & per ſe vana adhibenda ſunt. Velut enim non licet maleficium maleficio pellere, ita nec licet pactum dæmonis alio pacto, vel ſigno ſuperſtitioſo diſſolvere: non enim licet facere mala, ut eveniant bona.

„ Videantur dicta Caſu 19. 21. & 22. ac dicenda Caſu 28.
„ ubi traduntur quædam Regulæ dignoſcendi ſuperſtitioſa à
„ non ſuperſtitioſis.

CASUS XXVII.

CONſulit unus, confitetur alter de dubiis uſibus v.g. virgarum ad inveniendum theſaurum, aut fontes &c. curatione vulnerum, infigendo enſem vel clavum equi &c. in adipem, aliíſque actionibus in diſtans: item uſu ſchedarum, aliarúmque rerum modici valoris & efficaciæ contra vulnera, incendia, peſtem &c. Quid uni conſulendum? Quid de altero practicè judicandum, vel interrogandum?

RESOLUTIO.

IMprimìs inter conſulentem, & confitentem hæc differentia obſervanda eſt: quòd priori id conſulendum, quod ſecundùm ſe tutum eſt, & ſine periculo exerceri poteſt, ne ſcilicet conſilium petens exponatur periculo peccandi. Confitens autem magìs ſecundùm ſuam conſcientiam judicandus, & tunc mortaliter peccâſſe cenſendus ſit, ſi vel ſciens, vel dubitans periculoſis & dubiis mediis uſus ſit. Econtrà ſi bonâ fide putavit, media naturalia, & licita eſſe, excuſandus erit, ſi res ſecundùm ſe dubia, adeóque ignorantia invincibilis appareat.

Secundò. Cæterùm Confeſſarius caveat præcipitantiam, ne aut nimìs facilè permittat, aut approbet, quod periculoſum, aut forte diabolicum eſt: aut econtrà temerè damnet cum perturbatione pœnitentis, aut ſui contemptu, quod ab aliis Doctioribus approbatum, vel approbandum erit. Præſertim illi principio philoſophico, non dari naturaliter actionem in diſtans, non nimium innitatur, propter effectus complures ſympateticos & antipateticos, quos paſſim experimur: item propter virtutes & influentias occultas, quas non raró ultrà, quàm poſſibile, primo intuitu crederemus, in diſtans extendi deprehendimus. Varia horum exempla videri poſſunt in Delrio, Tambur. Bonac. ac præſertim S. Auguſtino *l. 21.* de Civit.

Tertiò. Igitur conſultiſſimum erit, pœnitentem diſponere, ut extra confeſſionale de hujusmodi dubiis ſe, vel alios conſulat, (*A.*) ubi liberiùs loquendi, & indagandi occaſio erit: interim admonendo, ut vel abſtineat ab uſu rerum hujusmodi dubiarum, vel ſaltem ea, quæ naturalem efficaciam etiam juncta cum aliis habere omninò non poſſunt, puta verba, aliáve ſigna ex inſtituto, geſtus aut habitus corporis &c. intermittantur: & reliqua cum expreſſâ

pro-

proteſtatione, & devotâ mentis intentione &c. quòd nullo modo operâ dæmonis uti velit &c. applicet, & eum effectum, qui etiam naturaliter ſequi poterit, intendat. Vide Laym. *c. 4. n. 6.* Tambur. *c. 6. §. 1. n. 61.* & ſeq.

„ (*A.*) Q. 1. Si dubium ſit, an effectus contineatur in cauſa „ naturali vel ejus vires excedat, quid præſumendum? 2. Si „ conſtet, effectum eſſe ſupra vires naturæ, quid judicandum, „ an à Deo, vel diabolo ſit? R. *ad 1.* cum Bonac. *punct. 4.* „ *n. 9.* Clavi Regiâ *l. 4. c. 6.* Tambur. loc. cit. & Aliis, præ- „ ſumendum eſſe pro viribus naturæ, adeóque utentem tali „ re (cæteris paribus, & ſecluſis aliis inconvenientibus) non „ peccare. Ratio eſt, tum quòd dubium ſit explicandum in „ mitiorem partem: tum quòd melior ſit conditio ipſius na- „ turæ, quæ ex ſæpiùs contingentibus præſumenda eſt potens, „ & mirabilis in ſuis operibus. Certum enim eſt, multas res „ naturales mirabili pollere virtute à pleriſque etiam Viris do- „ ctis incognitâ. Meritò tamen monent citati Authores, „ adhibentem ſimilia optimè facturum, ſi fidem certam non „ adhibeat, nec infallibiliter effectum ſecuturum expectet, „ proteſtationémque (ut in caſu dictum) faciat, quòd nolit „ effectum conſequi, niſi mediante cauſâ & virtute naturali, „ ſecluſâ omni ſuperſtitione. *Ad 2.* R. Niſi talia ſigna ad- „ ſint, ex quibus prudenter judicari poſſit effectum à Deo, „ vel bono Angelo procedere, præſumendum eſt, eſſe ſuper- „ ſtitioſum. Hoc ipſo enim, quòd conſtet, eundem vires „ naturæ excedere, nec ſufficiens fundamentum habeatur, „ illum Deo adſcribendi, nihil reſtat, niſi ut dicatur, eſſe „ ſuperſtitioſum, & procedere à diabolo.

CASUS XXVIII.

HOmo ſimplex & rectus, à ſtrigis & vene- ficis ſe infeſtari queritur, unaque conſilij causâ propo- nit

nit remedia, ſibi ab aliis ſuggeſta, an practicè liceant? v. g. certas preces, aut Rhythmos dicere, ſuſpendere ad januam barbam hircinam, citare verbis, aut alio modo ſtriges cogere, ut ſequenti die compareant, vel efficere, ut ipſæ torqueantur, vel dolorem ſentiant?

RESOLUTIO.

GEneraliter licitum eſt, operationem dæmonis avertere, vel impedire, ipſumque dæmonem, vel ejus clientes domo arcere, & excludere: dummodò hoc ipſum non fiat invocando, aut quaſi rogando dæmonem, vel uſurpando talia ſigna ſuperſtitioſa, quæ dæmoni placent, & ad quorum poſitionem ultrò nocere deſinat, vel per alium dæmonem potentiorem deſiſtere cogatur. Uti fuſè explicant Leſſ. *l. 2. c. 44.* dub. ult. Delrius *l. 6. c. 2. ſec. 1. q. 3.*

Unde in praxi licita cenſenda ſunt verba vel preces, ſi per ſe nihil blaſphemum, aut falſum, aut omninò ludicrum & ineptum; ſed aliquam invocationem Dei, vel Sanctorum continent. Nec ſtatim damnanda erunt ex eo, quòd rhythmica ſint: quamvis enim verba etiam ſacratiſſima adhibere ad ſanitatem, aliúmve effectum iuſolitum obtinendum, ſuperſtitioſum ordinariè ſit, tamen non idem judicandum, ſi ad avertendum, & arcendum dæmonem verba ſacra adhibeantur: quia Deus non ſolet, nec præſumitur facere miracula ad quasvis preces & verba ſacra; conſequenter effectus ſecutus à dæmone provenit. At verò ſolet ad preces à certis Viris ſanctis originem ducentes avertere & coërcere dæmonem, ut exempla & hiſtoriæ teſtantur. Ulteriùs ſi experientia teſtetur, res ſimplices ſine ſuperſtitioſis cæremoniis intervenientibus arcere maleficas: uti ſuſpenſio barbæ hircinæ &c. id tolerari & præſumi poteſt, pactum ex parte ſagarum eſſe, quatenùs talibus poſitis nocere non poſſint. Denique & econtrà, ſtriges ad comparendum citare, impedire, ne aper-

tis

tis januis abire poſſint, aut facere, ut illæ abſentes ſentiant dolores: & univerſim intendere effectum præternaturalem, aut procurare, ut ſagæ facere non poſſint, quod per naturam ſine ope dæmonis poſſent, hoc non eſt impedire, ſed implorare dæmonem, & per ejus cooperationem cogere, & affligere ſagas, proin magicum & diabolicum: ut paſſim docent AA. Unde pro coronide hujus materiæ

„ Q. Undenam univerſim dignoſci poſſit, effectum aliquem eſſe magicum & ſuperſtitioſum? R. Tres ſaltem „ regulas aſſignari poſſe. 1.ma Eſt, quando adhibentur media „ vana & inutilia tanquam neceſſaria ad ejuſmodi effectum. „ Ejuſmodi media ſunt verba ignota, falſa, apogripha, ab- „ ſurda, non cohærentia: vel etiam ſacra, ſed detorta &c. „ item certi characteres, figuræ, cruces certis locis, aut nu- „ mero iteratæ: item certi ritus & obſervantiæ inutiles, indif- „ ferentes & ſuperflui, uti certa corporis poſitura, certi colo- „ res, dies & horæ, & alia ſexcenta his ſimilia, quæ quivis „ prudens judicare poteſt, non habere connexionem, aut „ virtutem ad effectum producendum. 2.da Regula deduci- „ tur ex modo operandi, ac præſertim ex nimia diſtantia loci, „ quando nimirum medium applicatur in loco tam diſtanti, „ ut ex principiis philoſophicis concludatur, effectum inten- „ tum eſſe extra ſphæram activitatis cauſæ applicatæ: con- „ ſtat enim ex meliori Philoſophia, agens naturale interruptâ „ ſphærâ activitatis effectum ſuum producere non poſſe. „ Quouſque autem cujusvis cauſæ in particulari activitas ſe „ extendat, altioris eſt indaginis, & dependet potiſſimùm ab „ experientia, & doctorum Virorum in ſimilibus verſatorum „ prudenti judicio. 3. Regula eſt, quando effectus excedit „ naturalem facultatem & efficaciam ipſius cauſæ, ſeu quan- „ do res adhibita non habet ſufficientem virtutem producen- „ di ejuſmodi effectum: nec etiam ſufficiens ratio ſuppetat,

„ Deo vel Angelis bonis dictum effectum adſcribendi ; tunc „ enim clarum eſt , non poſſe aliundè procedere , quàm à „ malo ſpiritu defectum virtutis ſupplente. Interim optimè „ monet Delrius *l. 2. q. 5.* ſedulò in diſquiſitione materiæ „ hujus cavendum eſſe duplex extremum. Alterum, ne ni- „ mium creduli cenſeamus , omnes effectus eſſe naturales, „ quia multoties dæmon quædam naturalia admiſcet , ut to- „ tum naturale putetur. Alterum , ne temerè condemne- „ mus : cùm multarum rerum naturæ (teſte D. Auguſt. *l. 21.* „ de Civ.) noſtram ſcientiam ſuperent , & fallant. De reli- „ quo videri poſſunt D. Thomas *2. 2. q. 95. & 96.* Valentia. „ Delrius. Sanch. Suarez. Leſſius. Clavis Regia. Toletus „ & alij , quos refert , & ſequitur Bonac. in prim. præcept. „ Decal. *diſp. 3. q. 5. punct. 4. n. 18.*

CIRCA SECUNDUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

Non aſſumes Nomen Domini DEI tui in vanum.

VElut in primo Decalogi Præcepto præcipimur , non alteri , niſi ſoli & vero DEO divinum Honorem & Cultum exhibere , ita in ſecundo jubemur ejuſdem Nomen debito proſequi honore, & nullis laceſſere injuriis, ſeu *non in vanum aſſumere*, quod cùm potiſſimùm fiat pejerando , blaſphemando, ac DEO promiſſa ſeu vota non obſervando , & adimplendo , idcircò hìc agendum de Juramentis, Blaſphemiis , & Votis. Sit proin

Digitized by Google

CASUS XXIX.

COnfitetur Ruſticus, ſe blaſphemâſſe & juráſſe (qui modus confitendi in noſtris partibus frequens eſt) quid cenſebit Confeſſarius?

RESOLUTIO.

Cùm ex modo confitendi appareat, hæc duo confundi, Blaſphemiam & Juramentum, ſeorſim examinandus erit pœnitens. Primò quomodo blaſphemaverit, an v. g. per SS. Sacramenta, vel aliis Domino Deo injurioſis verbis? Secundò quomodo juraverit (*A.*) & quidem an aliquid, quod falſum eſſe ſciebat, juramento affirmaverit? vel an ſub jurejurando aliquid facere vel omittere promiſerit, nec tamen ſervaverit? &c. Quòd ſi reum ſe fateatur, ſpecialiter de damno tertij interrogandum: maximè ſi judicialiter falſum jurâſſet. Et de cætero ea, quæ ſequentibus caſibus declarantur, obſervanda erunt.

„ (*A.*) Q. Quid ſit Juramentum? R. ex S. Thoma *2. 2.* „ *q. 89. a. 1.* eſſe invocationem Divini Numinis in teſtimonium alicujus rei; vel ut Clariſſimus noſter P. Engl *Tit. de* „ *Jurejur.* definit: *Eſt invocatio divini teſtimonij ad fidem di-* „ *ctis faciendam, & promiſſionem firmandam.* Dicitur pri- „ mò *Invocatio* ſcilicet vel explicita, quando quis expreſsè „ Deum adducit, uti habetur *2. ad Cor. 1. Teſtem Deum invoco.* „ vel implicita, quando aliquid fit, quod implicitè involvit „ invocationem Dei, ut dum quis rogatus, ut juret, ſub- „ ſcribit ſchedam, in qua juramentum continetur, vel manu „ tangit librum Evangeliorum &c. nam verba non eſſe de „ neceſſitate juramenti, communis tenet DD. Implicitè „ quoque juratur per creaturas, non quidem abſolutè ſpectatas (ſic enim potiùs foret blaſphemia, vel idololatria) ſed

„ quatenus habent ordinem ad Deum, ſive quatenus in iis-
„ dem ſpecialiter Bonitas & Perfectio divina relucet; qua ra-
„ tione Moyſes juravit *Deut. 3. & 4. Teſtes invoco cælum &*
„ *terram.* Nec taliter jurando incurritur excommunicatio
„ *c. Clericum. 22. q. 1.* lata in jurantes per creaturas: nam di-
„ ctum C. non eſt intelligendum de juramento per creaturas,
„ quatenus per eas invocatur Divinum Numen in teſtimoni-
„ um, ſed de juramento Gentilium per Jovem, Solem &c.
„ nomen Divinitatis hiſce attribuentium; ut docet Lay. hîc
„ *c. 1. n. 5.* Illſung. *q. 2.* de Cult. Relig. *n. 45.* Dicitur 2.
„ *Divini Numinis in teſtimonium.* Nam confirmare aliquid
„ mera authoritate humana, vel per falſos Deos &c. non eſt
„ verè jurare, nec ex vi talis juramenti præciſè inducitur ob-
„ ligatio præſtandi id, quod eſt promiſſum, niſi forſan ex
„ conſcientia erronea quis putaverit, ſe verè jurare. Ut do-
„ cet Sayrus *l. 5. c. 3. n. 21.* Leſſ. Bonac. & alij.

CASUS XXX.

Cùm diverſæ ſint ſpecies & diviſiones juramentorum, puta Judiciale & Extra-judiciale, Aſſertorium & Promiſſorium, per Invocationem & Execrationem &c. pœnitens tantùm ſe accuſat, ſe ſemel falſum juramentum juraſſe, non exprimendo in qua ſpecie: nunquid ſatìs?

RESOLUTIO.

Quamvis juramenta varia, (*A*) & tum quoad materiam, tum etiam quoad effectum ſpecie diverſa ſint, quia tamen in ratione peccati omnia conveniunt, eandémque malitiam ex eo, quòd Deus, qui eſt æterna Veritas, in teſtimonium falſitatis invocetur, non erit opus, aliam ſpeciem exprimere vel indagare. Ut docent Tambur. in Opuſc. de Confeſs. *lib. 2. c. 3. §. 2.* Bonac. *q. 1. punct. 2. n. 2.* Azor, Valentia & alij.

„ (*A.*)

„ (*A.*) Q. 1.mò Quotuplex ſit Juramentum ? R. Jura-
„ mentum dividi in Aſſertorium , Promiſſorium , Commi-
„ natorium , & Execratorium. Per primum confirmatur di-
„ ctum de præſenti , vel de præterito. Per ſecundum promit-
„ titur aliquid in futurum. Per tertium alteri pœnam pro-
„ meritam comminamur. Per quartum nobismet ipſis ali-
„ quid mali imprecamur , niſi verum ſit , quod aſſerimus.
„ Exemplum primi eſt : *Teſtem invoco Deum , quòd verum di-*
„ *xerim.* Secundi : *Quòd cras tibi ſolvam.* Tertij : *Quòd*
„ *hanc vel illam pœnam velim infligere.* Quarti : *Deus me*
„ *damnet , niſi fecero.* Ulteriùs aliud eſt juramentum ſim-
„ plex , aliud ſolemne : quod fit cum certis quibusdam cir-
„ cumſtantiis v. g. coram Notario , teſtibus , ſub certa verbo-
„ rum forma , in judicio &c. Aliud denique eſt Juramentum
„ abſolutum , aliud conditionatum , cui nimirum certa con-
„ ditio apponitur.

„ Q. 2. Quid requiratur , ut Juramentum ſit actus virtu-
„ tis Religionis ? R. Requiri tres conditiones , nempe Ve-
„ ritatem , Judicium & Juſtitiam , juxta illud *Hieremiæ 4.*
„ *Jurabis in veritate , & in judicio , & in juſtitia.* Unde ſi
„ deſit veritas , ſive ſi falſum juretur , erit perjurium ; ſi de-
„ ſit judicium , ſive debita diſcretio & reverentia , erit teme-
„ rarium ; ſi denique deſit juſtitia , ſive ſi res jurata non ſit
„ licita aut honeſta , erit iniquum. Circa quæ videri poſſunt
„ S. Thomas *2. 2. q. 89. a. 3.* Clavis Regia *lib. 5. c. 4. n. 1.*
„ & alij ab hac citati.

CASUS XXXI.

ALiquis ex conſuetudine ad ſingulas aſſertiones addidit : Deus ſit teſtis. Diabolus me rapiat ; **Auf mein Ayd.**

Digitized by Google

RESOLUTIO.

INquirendum primò. An etiam falſò interdum juraverit, ſive aſſerendo, promittendo &c. abs hoc peccatum tantùm veniale cenſendum: nam fruſtra, vel levi de cauſa, etſi ad confirmationem veri, Divinum Nomen aſſumere, quandam irreverentiam continet. Et facilitas taliter jurandi etiam denique periculum pejerandi poſt ſe trahit. Ut notat D. Thomas *2. 2. q. 89. a. 2. ad 1.*

2. Qui ex prava conſuetudine etiam falſum aliquid juramento confirmavit, interrogandus eſt, an deliberatè & advertenter, ſcilicet ſciens & cogitans, tum falſum eſſe, quod aſſeverabat, tum etiam ſe hîc & nunc jurare, Deúmque teſtem ſtatuere aſſertionis ſuæ &c. Secus propter indeliberationem excuſari poterit; quia univerſim ad peccatum mortale requiritur, ut ſit plenè voluntarium, vel in ſe, vel ſaltem in ſua cauſa: & undecunque defectus hujus ſit, excuſatur operans à mortali, ut paſſim docent AA. Interim.

Tertiò. Monendus, ut conſuetudinem hanc malam corrigere ſtudeat; ſuggerendo, quòd, ſi conſueverit falſum jurare, aut ſimul jurandi, ſimúlque mentiendi conſuetudinem habeat, teneatur ſub peccato mortali eandem emendare. Aliud dicerem, ſi vir cæteroquin verax conſuetudinem temerè jurandi habeat (*A.*) etſi hîc & nunc, ſed rariùs etiam pejeraverit.

„ (*A.*) Q. Quid ſentiendum univerſim de conſuetudine „ jurandi? R. Tripliciter aliquem habere poſſe conſuetu- „ dinem jurandi. Primò non tantùm jurandi, ſed etiam „ mentiendi. Secundò: jurandi quidem, ſed non mentiendi. „ Tertiò: jurandi & mentiendi, non tamen conjungendi „ mendacium cum juramento. Primus ſi ſoleat conjungere „ juramentum cum mendacio, eſt in ſtatu peccati mortalis, „ quamdiu non conatur ejuſmodi conſuetudinem evellere,

„ nec

„ nec poteſt abſolvi, niſi eam extirpare promittat, eò quòd „ continuò verſetur in proximo periculo pejerandi. Ita Sua- „ rez. Valentia. Ledeſma. & alij. Secundus nec eſt in ſtatu „ peccati mortalis, nec mortaliter peccat, etſi non conetur „ talem conſuetudinem evellere, eò quòd hæc non ſit occa- „ ſio pejerandi, ſed ſolùm jurandi ſine neceſſitate, adeóque „ ſolùm peccandi venialiter, uti cum præcit. AA. docet Bo- „ nac. *diſp.* 4. *q.* 1. *punct.* 13. *n.* 4. Tertius juxta eundem „ Bonac *n.* 5. & alios tenetur quoque ſub mortali ejuſmodi „ conſuetudinem extirpare: cùm enim ſit aſſuetus tam ju- „ ramentis, quàm mendaciis, moraliter loquendo, ſemper „ eſt in periculo incautè conjungendi juramentum cum men- „ dacio, & conſequenter pejerandi. Quòd ſi tamen talis ſe „ corrigere nitatur, & forſan ſine plena advertentia ex con- „ ſuetudine jurandi perjuret, non poterit condemnari pec- „ cati mortalis, eò quòd tale perjurium non ſit plenè volun- „ tarium, nec in ſe, nec in ſua cauſa: non in ſe ob defe- „ ctum plenæ advertentiæ: non in ſua cauſa, ob conſuetu- „ dinem jam retractatam per conatum ſeſe corrigendi.

CASUS XXXII.

ALius ſe juráſſe ait tali formulâ: Quàm verè vivo: quàm verè hîc ſto: ſub fide ſacerdotali: per conſcientiam meam teſtor &c.

RESOLUTIO.

Cùm hæc & ſimilia verba non ſignificent Deum pro teſte invocari, ſed tantùm per authoritatem & fidem humanam ſerium & veracem animum declarent, juramenta non ſunt. Et ſi falſum ſit, quod tali ratione aſſeritur, magnum & turpe mendacium erit: interim ex ſuo genere peccatum veniale, niſi deceptio hæc proximo damnoſa aut ſcandaloſa

ſit;

Digitized by Google

ſit; ita Navar. *c. 12. n. 2.* Tambur. *lib. 3. c. 1. §. 1. n. 5.* & ſeq. Bonac. *punct. 1. n. 2.* Ubi tamen notandum, quòd ſi pœnitens tales formulas dicta ſua confirmandi judicaret eſſe juramenta, adeóque talia dicendo intendiſſet verè jurare, Deúmque teſtem ſui mendacij invocare, tum per juramentum internum mortaliter peccâſſet. De quo pœnitens interrogari poterit, cùm modus confitendi aut aliæ circumſtantiæ veroſimile faciant, eum in tali opinione eſſe: v. g. ſi dicat, ſe jurâſſe &c.

„ (*A.*) Quæri hîc poteſt 1. An jurare cenſendi ſint Nobi- „ les quidam vel Aulici, qui hoc tempore ſingulis fermè di- „ ctionibus aſſueti ſunt addere hæc verba: Per Dieu, ſeu per „ Deum. 2. An peccatum perjurij incurrant, dum conve- „ nientes jurant, ſe primum locum non obtenturos, non ad „ dexteram ſeſſuros &c. cùm tamen ſæpiſſimè id ipſum faci- „ ant poſtmodum? R. ad 1. Hæc & ſimilia plerumque ſine „ juramento pronuntiari: etſi enim verba de ſe ſint juratoria, „ ex circumſtantiis tamen deſumi poteſt, potiùs ex civilitate, „ abſque animo jurandi proferri. In juramentis autem po- „ tiùs intentionem, quàm verba ponderanda eſſe, imò nul- „ lum fieri juramentum, ubi non adeſt intentio jurandi, paſ- „ ſim docent AA. R. ad 2. Neque in his caſibus facilè per- „ jurium incurri, tum quia taliter jurantes non inten- „ dunt jurare, vel ſaltem non intelligendi ſunt in „ ſenſu abſoluto, ſed accommodo, veluti dixit Petrus „ ad JEſum: *Tu Domine non lavabis mihi pedes in æter- „ num.* Niſi ſcilicet aliud efficaciter juſſeris, vel tua beni- „ gnitate & civilitate me viceris &c. Optimè tamen monet „ Sayrus in ſua Clavi Regia *lib. 5. c. 5. n. 14.* hæc & ſimilia pie „ quidem interpretanda eſſe ex parte jurantis, à parte rei ta- „ men indiſcreta eſſe juramenta: atque jurantem communi- „ ter peccare ſaltem venialiter, ac proin ab ore Chriſtiano- „ rum eſſe ableganda.

CA-

CASUS XXXIII.

VErba & formulæ dubiæ uſurpantur, v. g. per animam meam: Deus ſcit hoc eſſe verum: Bey Gott: Tam verum eſt, ac ſi Deus diceret &c.

RESOLUTIO.

ETiam ſimilia verba, quæ enuntiativa tantùm ſunt, & ſolùm comparationem, quamvis falſam & ineptam, tamen invocationem Dei in teſtimonium non ſignificant. Interim quia Dei mentio expreſſa fit, vel talia dicuntur, quæ in opinione vulgi pro juramento habentur, ordinariè interrogandus erit pœnitens, an cogitaverit, vel intenderit jurare, & Deum teſtem ſtatuere ſuæ aſſertionis, vel promiſſionis. (*A.*)

Quantum ad illa verba: Per animam meam: ſub jactura æternæ ſalutis &c. ſciendum, ea frequenter tantùm eum ſenſum habere poſſe, quòd quis memor ſalutis, peccati & periculi animæ ſuæ loquatur, vel promittat: quo caſu & ſenſu juramenta non ſunt. Interim ubi de intereſſe aut damno gravi illius, cum quo ſermo eſt, agitur, gravem obligationem important, agendi & promittendi ſeriò, adeóque ſub peccato mortali. Uti fuſiùs explicat Tambur. *lib. 3. c. 3. §. 1.* & ſeq. Illſung hìc *a. 3. n. 55. & 56.* & alij.

At verba illa: Deus me in hoc loco puniat, moriar hoc momento, rapiat me malus dæmon &c. (vel prout Antiquis in uſu erat excludendo dæmonem: hæc faciat mihi Deus, & hæc addat. Item ſi reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Pſal. 7. &c.) Hæc, inquam, & ſimilia ſunt juramenta per execrationem, & continent in ſe invocationem, ſeu provocationem Dei, ut, ſi falſum ſit, puniat: & in conſequentiam ac virtualiter, ut, ſiquidem non punit, hoc ipſo teſtetur, verum eſſe, quod ſub tali execratione aſſeritur, vel promittitur. Unde ſi di-

Digitized by Google

ctis falſis ejuſmodi juramenta execratoria adhibeantur, niſi forſan ex motu primò primo fiant, adeóque indeliberatio, vel animus non jurandi excuſet, gravia perjuria erunt teſte S. Auguſtino in verba illa Pſal. 7. priùs alleg. (*B.*)

„ (*A.*) Q. 1. Undenam univerſim dignoſci poſſit eſſe, vel „ non eſſe juratum? R. à Tambur. *cap. 1. §. 3. n. 6.* ex Sanc. „ Suar. & aliis, hanc deduci regulam. Vel enim quis 1. po- „ ſitivè invocat Deum tanquam teſtem ſuorum dictorum, „ qualiacunque denique proferat verba, & tunc certò erit ju- „ ramentum, ſaltem internum. Vel 2. poſitivè non invocat: „ & tunc certò juramentum non erit, niſi materialiter dunta- „ xat hoc ipſo, quòd poſitivè quis nolit Deum in teſtimoni- „ um adducere. Vel denique 3. præſcindít ab ejuſmodi in- „ vocatione ita, ut nec intendat, nec non intendat invocare. „ Et tunc iterum non erit Juramentum, ob defectum invo- „ cationis teſtimonij divini: hoc ipſo enim quòd quis abſtra- „ hat, non invocat &c.

„ (*B.*) Q. 2. Quid dicendum de Juramentis comminato- „ riis parentum erga filios, dominorum erga famulos &c. „ dum frequenter jurant, ſe eosdem caſtigaturos, à famula- „ tu dimiſſuros &c. & poſtmodum intermittunt? R. Si ho- „ rum caſtigatio, dimiſſio &c. cedat in eorundem bonum, „ adeóque etiam in obſequium Dei, & ſerio juramento fir- „ mata ſit, omninò præſtandam eſſe. Dabitur tamen excu- „ ſationi locus, ſi nimirum ſuperveniat emendatio, aut veniæ „ deprecatio &c. nam ſimilia juramenta ex communi inter- „ pretatione & recepta conſuetudine imbibunt tacitam con- „ ditionem, niſi rerum ſtatus mutetur. Velut univerſim, ſi „ promiſſio de re bona vel licita habeat annexam tacitam ali- „ quam conditionem, vel ex diſpoſitione Juris, vel ex rece- „ pta conſuetudine, vel ex mente ipſius promittentis, etiam „ juramentum ipſi appoſitum cenſetur habere illam conditio-

„ nem:

Digitized by Google

„ nem : quoniam omne juramentum ſequitur naturam actûs, „ ſuper quem cadit, ut docet Gloſſ. & Abbas in *c. Quem-* „ *admodum. de Jur. Jur.* & DD. communiter. Cujus ratio „ eſt, quòd juramentum promiſſioni adjectum eandem non „ immutet, ſuperaddendo novam obligationem extenſivè, „ ſed ſolùm intenſivè, ſcilicet ex virtute Religionis. Adeo- „ que ſi promiſſio ſemel de ſe eſt conditionata, etiam mane- „ bit conditionata adjecto juramento, & ſolùm dabitur ma- „ jor obligatio ex virtute Religionis, promiſſum exequendi, „ vel non exequendi ſecundùm annexam conditionem. In „ omni autem juramento promiſſorio, quamvis abſolutè fa- „ cto, ſequentes tacitæ conditiones continentur. 1. Si pote- „ ro. 2. Salvo Jure Superioris. 3. Niſi is, cui juratum „ principaliter, obligationem remittat. 4. Si res jurata non „ ſubeat notabilem mutationem. Gloſſ. & Abbas *in cit. c.* „ *Quemadmodum. de Jur. Jur.* Sayr. Laym. & alij.

CASUS XXXIV.

JUravit aliquis, ſe neſcire, vel ſe non feciſſe &c. ſive intra ſive extra judicium, ſub reſtrictione & conditione mentali, vel aliis verbis ambiguis & æquivocis interrogantem addito juramento deludit.

RESOLUTIO.

ANte reſolutionem hujus Caſûs neceſſariò præmittendas duxi propoſitiones, quas Innocentius XI. tanquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas damnavit. Quarum prima, ordine prohibitionis 25. hæc eſt: *Cum cauſa licitum eſt jurare, ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.* Secunda, ordine 26. *Si quis vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propriâ ſponte, ſive recreationis cauſâ, ſive quocunque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera*

Digitized by Google

fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fuit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt perjurus. Tertia, ordine 27. *Cauſa utendi his Amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium Virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens & ſtudioſa.* Quarta, ordine 28. *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

Jam ad reſolutionem casûs R. 1. Si Judex legitimam habeat poteſtatem ſuper comparentes in judicio, & ſi procedat ſecundùm formam juris: nec teſtibus, nec reo licitum eſſe uti reſtrictione mentali, aut æquivocationibus, ſed teneri nudam fateri veritatem, & ſecùs facientes peccare graviter, ac inſuper jurantes eſſe perjuros. Ita conformiter præmiſſis propoſitionibus communis cum D. Thoma *2. 2. q. 69. & 70.* Ratio eſt, quòd ſine ejuſmodi obligatione nec proceſſus judiciales inſtitui, nec accuſatores ſine periculo deficiendi in probatione reos ad Judices deferre poſſent, ſicque potiſſima crimina manerent impunita, ſimúlque maxima daretur libertas peccandi. Quòd ſi autem Judex non utatur formâ & ordine juris, vel id ipſum reo non ſufficienter manifeſtet, non teneri reum fateri crimen, præſertim cum periculo vitæ, ſed poſſe ſalvâ veritate illud celare, denuò docet S. Thomas *cit. q. 69. a. 1. & 2.* Ratio eſt, quòd Judex non habeat poteſtatem formandi proceſſum, niſi ſecundùm formam juris, adeóque neque obligandi reum, ejuſmodi proceſſui ſeſe accommodandi. Neque talem agere contra inhibitionem Innoc. XI. docet cit. Clariſſ. P. Illſung in ſua Theolog. Pract. *tr. 4.*

d. 2.

Digitized by Google

d. 2. q. 1. num. 34. dicens : Velut non eſt univerſaliter illicitum jurare , ſed tantùm , quando deſunt debitæ conditiones Judicij , Veritatis , & Juſtitiæ , ita etiam Pontifex in damnatione relatarum propoſitionum non univerſaliter declaravit illicitam reſtrictionem mentalem , ſed tantùm , quando non habent debitas conditiones ibidem à ſe declaratas, quæ proinde videri poſſunt. Docet idipſum Cardenas *Diſſert. 19. c. 7. num. 87.* qui licèt non admittat reſtrictiones mentales , admittit tamen , ſimilia plura fieri poſſe per amphibologias & æquivocationes , non obſtantibus propoſit. Innoc. XI. priùs adductis , ut mox dicetur.

R. 2. Extra judicium licitum eſſe juſta de cauſa uti amphibologiis ad occultandam veritatem (& conſequenter etiam taliter jurare , ſi ſufficiens cauſa ſubſit) quatuor modis. Primus eſt per verba æquivoca : E. g. Occidiſti Gallum hominem , & aliundè non obligaris fateri veritatem , potes eandem occultare , dicendo te non occidiſſe , ſcilicet gallum gallinaceum , quod de ſe verum eſt. Secundus modus eſt : Quando verba ex ſua ſignificatione non ſunt ambigua , ſed ex circumſtantiis limitantur ad aliud ſignificatum. Sic S. Franciſcus interrogatus à miniſtris juſtitiæ , an non latrones quidam tranſierint ? mittens manus in manicas reſpondiſſe dicitur : *Non tranſiêre hàc ;* quod denuò verum erat. Tertius modus deſumitur ex S. Auguſt. lib. contra Mend. *c. 10.* & fit per metaphoras vel allegorias. Per quas à mendacio S. P. excuſat illud factum , quo Jacob ad Iſaac dixit : *Ego ſum Primogenitus tuus Eſau* : myſticè ſcilicet , & mataphoricè. Sic etiam nonnulli quandoque ſtudio mortificationis laudabiliter dediti , dum ad delicatiores cibos invitantur , reſpondent , ſibi tales non conducere , id eſt in ſenſu ſpirituali & metaphorico. Quartus denique modus fit , cùm quis reſpondet ad mentem interrogantis , quin alter id ritè percipiat :

Digitized by Google

Ut dum quis petenti panem, reſpondet, ſe nullum habere, etſi habeat aliquem, omninò tamen ſibi neceſſarium: nam petens non cenſetur petere, niſi eum, quô alter carere poteſt. Ita cit. Cardenas in ſua Criſi Theolog. *diſſert. 19. c. 4. ſuper propoſit. 26. 27. & 28.* Innocent. XI.

Sed quidquid de his ſit, pro praxi ac præſertim tribunali ſacro optimè jampridem monuit Reverend.^mus Author hujus opuſculi. univerſim æquivocationes, amphibologias, & ſimilia periculoſas eſſe, & cùm ſeriò agendum, absque gravi & ſufficienti cauſa non practicandas: proin conſulentem in futurum ad nudam veritatem dicendam diſponendum, confitentem verò, & de præterito accuſantem ſe, ſecundùm opinionem & conſcientiam ſuam judicandum eſſe.

„ Quæri hîc poteſt: Qualis oriatur obligatio ex juramen- „ to ficto, ſimulato, vel doloſo? R. 1. Si ex juramento fi- „ cto, ſimulato vel doloſo, grave nocumentum, vel dece- „ ptio notabiliter damnoſa tertio evenerit, etſi jurans non „ perjurus, tamen gravis peccati reus, & ad reſtitutionem „ obligatus erit. Ita D. Thomas *2. 2. q. 89. a. 7. ad 4.* Ratio „ eſt clara: Hoc ipſo enim, quòd ſit cauſa injuſta gravis „ damni proximi, tenetur id reſarcire ex virtute juſtitiæ & „ æquitatis ratione. R. 2. Si juramentum fictum vel ſimu- „ latum non ſit doloſum, nec conjunctum cum damno pro- „ ximi, nec etiam in jurante adfuit mens ſe obligandi: ad „ nihil tenetur taliter fictè jurans per ſe loquendo, etſi forſan „ peccet mortaliter ob gravem irreverentiam divini Numinis, „ quod exteriùs ſaltem (licèt fictè) in teſtimonium adducit: „ niſi forſan gravis metus vel injuria excuſent, ut docet Ca- „ jetanus & alij. Ratio reſponſionis eſt, quòd nec oblige- „ tur ex virtute Religionis, nec ex virtute Juſtitiæ. Non ex „ priori, utpote quia non juravit verè, ſed tantùm fictè; „ non ex poſteriori, quia non adfuit animus ſe obligandi, „ ne-

Digitized by Google

„ neque exinde damnum aliquod evenit proximo, ut ſuppo-
„ nitur. Benè tamen advertit Illſung *tract. 5. diſp. 1. q. 2. n.*
„ *56.* taliter jurantem in foro externo tum ob præſumptionem
„ veri juramenti, tum in pœnam fictionis graviter injurioſæ
„ divinæ Authoritati ad ſtandum promiſſis condemnari poſſe.
„ Dixi inſuper *per ſe loquendo:* nam poſſet quoque talis ob-
„ ligari ad impletionem juramenti ficti ratione ſcandali, quod
„ oriretur ex non obſervatione dicti juramenti: ut docent Ca-
„ jet. Leſſ. Azor. Bonac. & alij. Quòd ſi quis juravit fictè
„ animo tamen ſerio ſe obligandi, non tenebitur quidem ex
„ virtute Religionis, benè tamen ex virtute Juſtitiæ, ſub cul-
„ pa gravi vel levi pro qualitate materiæ, uti conſideranti
„ facilè patet. R. 3. Qui ſeriò juravit, animo tamen non ſe
„ obligandi, tenetur ex virtute Religionis ſub gravi peccato
„ adimplere, quod promiſit. Ita denuò Cajet. Covarr. Greg.
„ de Valentia. Sayrus & alij. Ratio eſt: tum quòd talis te-
„ neatur procurare, ne Deus ſit teſtis falſitatis. tum quia
„ obligatio adimplendi promiſſum videtur ſequi ad juramen-
„ tum tanquam effectus connaturalis, veluti calor ad ignem
„ &c. Vide AA. cit.

CASUS XXXV.

PRomiſit nonnemo latroni ſub juramento dare aut mittere pecunias ex neceſſitate & coactè. Alius juravit redire in carcerem, ſiſtere ſe Turcis in captivitatem. Alius, cùm de jure non poſſet promittere vel donare &c. promiſit ſub jurejurando: vel donavit, ſimúlque juravit, non revocare donationem: v. g. Filiusfam: Vir Uxori: Alius ultra 500. ſolidos &c.

RESOLUTIO.

REgula in SS. Can. fundata eſt. Juramentum, quod ſine periculo animæ ſervari poteſt, ſervari debet. *C. Cùm con-*

tingat. 28. de Jurejur. Et contra ſuum juramentum faciens perjurus eſt. Unde ad propoſita in caſu diſtinctè reſpondendo: teneris ſolvere Latroni pecunias cum juramento promiſſas, etſi ad hoc gravi metu & injuria coactus: uti expreſsè habetur *in C. Si verò. de Jurejur. Item C. Ad audient. de his, quæ vi &c.* Ratio eſt: etſi enim Latro per iniquitatem ſuam nullum acquirit Jus exigendi, vel accipiendi, jurans tamen obligatur Deo, ut impleat, quod per nomen ejus promiſit: ut loquitur divus Thomas *q. 89. a. 7. ad 3.* benè tamen advertit Laym. *tr. 3. c. 7. n. 2.* Ejuſmodi juramentum iniquè extortum ſtrictæ interpretationis eſſe: ita ut jurans teneatur quidem ſolvere pecunias Latroni, poſſe tamen eaſdem in judicio iterum repetere, petendo reſtitutionem in integrum. Quòd ſi juravit quoque, ſe non repetiturum, tenebitur quidem juramento, poterit tamen iniquum exactorem accuſare de crimine, vel denuntiare, ut Judex ex Officio procedat, prout notat Gloſs. *in cit. C. de Audient.* Similiter è carcere dimiſſus cum juramento ſpondens reditum, etiam cum certo vitæ ſuæ periculo, vel alio graviſſimo malo redire tenetur. Ut denuò docet communis. Ratio eſt, quòd ejuſmodi juramentum de ſe non ſit illicitum: & reditus ſit actus fortitudinis, patientiæ, ſimúlque magnæ veracitatis & fidelitatis, adeóque honeſtus. Eodem modo loquendum de donationibus in caſu propoſitis, quatenùs ſcilicet nullam involvunt inhoneſtatem, nec ſunt contra bonum publicum, vel bonos mores. Nam inter alios effectus juramenti numeratur, quòd contractus & pacta, etſi de ſe invalida, convalidare ſoleat. (*A.*) De quo videri poſſunt Bonac. de Contract. *q. 1. punct. 1. n. 7. & ſeq.* Laym. *tr. 3. c. 6. n. 7. & c. 8. &c.* Unum tamen ſupereſt remedium, quòd, ſi juramentum metu extortum, aut inconſultè cum improviſo ſuo nocumento præſtitum ſit, à S.

Pont.

Digitized by Google

Pont. tanquam Chriſti Vicario in terris diſpenſatio peti, & faciliùs obtineri poſſit, eo modo, quo de Votis infrà dicetur.

„ (*A.*) Q. 1. An & quomodo juramentum factum contra „ Legem civilem obliget? R. Obligare, ſi fiat contra Legem, „ quæ immediatè & primariò reſpicit favorem & commodum „ perſonæ privatæ, quæ jurat, modò non vergat in præjudi- „ cium tertii. Non autem obligare, ſi fiat contra Legem, „ quæ primariò & immediatè reſpicit bonum publicum. Ita „ cit. Bonac. in Decal. *diſp. 4. q. 1. punct. 5. n. 1. & 2.* allegans „ communem DD. Ratio prioris eſt, quòd quævis perſona „ poſſit cedere favori ſuo, adeóque & ſe ipſam cum juramen- „ to obligare contra Legem ſibi primariò faventem, modò id „ non fiat in præjudicium tertii. Ratio poſterioris eſt, quòd „ Lex immediatè reſpiciens bonum publicum ordinariè ob- „ liget ſub culpa, & in conſcientia, contra quam juramen- „ tum non poteſt obligare, utpotè quod non eſt vinculum „ iniquitatis. Hinc etſi Clericus juret, ſe compariturum co- „ ram Judice laico, non tamen comparere tenetur, quia privi- „ legium fori non eſt conceſſum eidem ut perſonæ privatæ, „ ſed principaliter S. Ordini, & Statui Clericorum in commu- „ ni. Econtra pactum renuntiationis e. g. de non ſucceden- „ do in paterna hæreditate ſecundùm Leges irritum eſt, acce- „ dente tamen juramento obſervandum, juxta c. Quamvìs „ pactum. de Pactis. in 6. Plura ſimilia vide in Laymanno „ & aliis.

„ Q. 2. Qualem obligationem pariat Juramentum præſti- „ tum alteri ex errore, vel dolo illius? R. 1. Si error & „ dolus ſint circa ſubſtantiam rei promiſſæ, vel ſi ſint cauſa „ finalis, ita ut alter non juràſſet, niſi tali errore vel dolo „ inductus, juramentum non obligare. Ratio eſt, quia, ut „ juramentum obliget, requiritur conſenſus & voluntas ju- „ rantis, quæ nunquam cenſetur adeſſe, ubi error vel dolus

„ verſantur circa ſubſtantiam rei, vel habent rationem cauſæ „ finalis. Laym. *c. 7. n. 5.* & alij ab eo relati. R. 2. Si error „ & dolus ſolùm verſentur circa accidentalem rei conditio-„ nem vel circumſtantiam, non infirmare juramenti obliga-„ tionem, ſed opus eſſe relaxatione illius. Ratio patet à „ contrario, hoc ipſo, quòd adſit conſenſus ſubſtantialis, & „ acceſſorium ſequatur ſuum principale. Vide Bonac. tum in „ Decal. loc. priùs cit. *p. 8.* tum de Contract. *diſp. 3. q. 1. p. 2.*

CASUS XXXVI.

COnfitetur aliquis, ſe juràſſe, injuriam ulciſci, inimicum occidere &c. Alius, non ampliùs dare mutuum, aut fide jubere &c. Alius, non ampliùs ingredi hoſpitium vel aliam certam domum honeſtam.

RESOLUTIO.

ALiâ hìc regulâ utimur, quæ dicit: Juramentum non eſt vinculum iniquitatis. *c. Quanto. 18. de Jure Jur.* Cùm enim juramenti promiſſorij vis in eo conſiſtat, quòd Authoritas & quaſi Fidejuſſio Dei interponatur, Deus autem nolit, nec poſſit cooperari ad id, quod peccaminoſum eſt: ideò nulla ex tali juramento naſcitur obligatio. Uti communis tenet Theolog. (*A.*) Interim quia hoc ipſum, quòd quis tentet Deum conſtituere quaſi Authorem aut Fidejuſſorem peccati committendi, magna injuria reſpectu Authoris omnis Boni eſt, ideò peccatum, & quidem mortale eſt, maximè ſi res taliter promiſſa gravis & mortalis ſit: uti docent S. Th. *2. 2. q. 89. a. 7. ad 2.* Clavis Regia *lib. 5. c. 7. n. 2.* Suarez, Valent. & alij.

Benè tamen hìc obſervandum eſt: Aliud eſt eſſe Juramentum *illicitum*: aliud *de re illicita.* Frequenter enim contingere poteſt, ut juramentum ſit illicitum, quia e. g. ſit imprudenter,

Digitized by Google

ter, prodigè ; contra legem vel præceptum, quin tamen res promiſſa & jurata ſit illicita vel prohibita : & tunc etſi jurans peccet jurando, tamen tenetur adimplere, quod promiſit, & juramento confirmavit, cùm in tali caſu juramentum non ſit vinculum iniquitatis, & ſine periculo animæ, ſive ſine peccato obſervari poſſit, & conſequenter etiam obſervari debeat juxta reg. priori caſu traditam, & communiter in hac materia obſervari ſolitam.

Quòd ſi res jurata, vel abjurata nec bona nec mala ſit, videndum, an fortè in favorem hominis, cujus intereſt, an ſoli Deo facta ſit ? Si primum : poteſt homo remittere, & cenſetur remittere, ſi omnis utilitas aut intereſſe ipſius ceſſat. Si ſecundum : Deus ſemper remittit, imò nunquam acceptat, quod hîc & nunc, omnibûs conſideratîs, nec bonum, nec proin ſibi acceptum eſt. Dixi *omnibûs conſideratîs.* Nam ſi actio vel actionis omiſſio ex objecto quidem indifferens ſit, ex circumſtantiis tamen rationem boni vel virtutis participet, juramentum de ea præſtitum omninò obligabit. E. g. Jurâſti, non ampliùs transire per hanc viam, accedere campum &c. ſi alia cauſa non adjiciatur, nulla erit obligatio. Quòd ſi tamen non ampliùs transeundo hanc viam, evites culpam vanitatis, aut accedendo campum fugias malorum ſociorum conſortium, omninò juramento conformiter id facere obligaris, eò quòd ejuſmodi actiones, etſi ex objecto indifferentes, ex circumſtantiis tamen habeant rationem virtutis, adeóque etiam Deo ſint acceptæ. Navar. Leſſ. Laym. & alii communiter.

„ (*A.*) Q. Quid ſentiendum de eo, qui juravit ſe facturum „ opus aliquod venialiter peccaminoſum, quod poſtmodum „ in reverentiam juramenti etiam adimplevit ? R. Ejuſmo- „ di impletionem, ſi fiat malitioſè, involvere blaſphemiam. „ Nam adimplere peccatum, quia juratum eſt, ac ſi Deus il-

„ lud ſuâ authoritate confirmaret, blaſphemum eſt. Quòd „ ſi tamen quis bonâ fide, & per ignorantiam rem taliter ju- „ ratam adimpleret, potiùs culpam venialem minueret, quàm „ augeret, pro modo & menſura ignorantiæ ac conſcientiæ „ erroneæ. Vide Sayr. *lib. 5. c. 7. n. 2.*

CASUS XXXVII.

PRomiſit aliquis ſub jurejurando rem leviſſimi momenti, dubitat, an ſub mortali teneatur implere? Aut promiſit v. g. 100. denarios, & ſolvit 90.: promiſit ad Calendas Januarij, & ſolvit biduo, vel triduo poſtea &c. Quærit, an parvitas materiæ à peccato excuſare poſſit?

RESOLUTIO.

IN juramento aſſertorio ſecundùm ſe, & quoad intentionem adimplendi, quod juratur, non datur parvitas materiæ. Unde qui jurat unum obolum dare, ſi hoc præſtare non intendit, dum jurat, peccat mortaliter, quia Deum teſtem falſi, & approbatorem mendacij ſciens conſtituit: ut cum S. Thoma *q. 89. a. 7.* communis tenet DD. At verò, qui ſeriò intendit præſtare id, quod juramento promiſit, etiam minimum, is jurando non peccavit, nec Deum teſtem falſi ſciens & ex intentione conſtituit: cùmque juramentum ritè factum & præteritũ ſit, ſolùm obligatio manet ad exequendũ id, quod quis juramento promiſit. Quòd ſi dein in executione modicum quid deficiat, parvitas materiæ probabiliſſimè à mortali excuſabit, ſicut in aliis obligationibus etiam in Jure divino fundatis, ut in votis (v. g. in voto Paupertatis) parvitas materiæ à mortali excuſat. Ratio eſt, quòd juramentum, quatenus eſt promiſſorium, fiat vel in gratiam Dei, vel hominis: atqui nec Deus, nec homo, rationabiliter cenſetur velle obligare ſub culpa gravi ad præſtandam rem valdè levem vel leviſſimam: ergò in executione juramenti probabiliſſi-

Digitized by Google

liſſimè datur parvitas materiæ, quæ à mortali excuſat. Imò ſi juramentum promiſſorium fuerit de re leviſſima e. g. dandi obolum puero, quoad executionem non obligare niſi ſub veniali, docet S. Antonin. *p. 2. tit. 10. c. 4. §. 2.* Clavis Regia. *c. 4. n. 28.* & plures ibidem relati. Pro coronide breviter.

„ Q. Quot modis ceſſet juramenti obligatio? R. Obli-
„ gationem juramenti promiſſorij, vel comminatorij ceſſare
„ 1.mò, quando res juramento promiſſa fit illicita, indiffe-
„ rens, impoſſibilis, vel impeditiva majoris boni. Quoniam
„ hæc non ſunt materia juramenti, utpote Deo inaccepta.
„ Secundò. Ceſſat obligatio juramenti promiſſorij remiſſione
„ ſeu relaxatione ejus, in cujus favorem factum eſt, quia is
„ poteſt cedere jure & favore ſuo. Tertiò. Ceſſat obligatio
„ juramenti irritatione facta per Superiores, quibus tum Per-
„ ſona jurantis, tum materia juramenti ſubjecta. Quartò.
„ Tollitur obligatio vel per diſpenſationem, vel per commu-
„ tationem. Nam legitimus Superior poteſt ſaltem ex certis
„ cauſis & conditionibus ſubtrahere materiam, & ſic debi-
„ tum remittere, vel eam commutare in aliam. De quibus
„ fuſiùs videri poſſunt Leſſ. Bonac. Sayrus. Azor. Laym.
„ Tambur. Illſung & alij.

De Blaſphemiis.

CASUS XXXVIII.

CONfitetur aliquis ſe blaſphemâſſe decies circiter: numquid ſatis?

RESOLUTIO.

INterrogandum, quo modo, ſeu quibus verbis blaſphematum ſit? (*A.*) Hócque ex triplici cauſa. 1. Quia ex probabili quorumdam ſententia circumſtantia *Quid*, etſi ſpeciem non mutet, tamen neceſſariò in confeſſione exprimenda

eſt, ut de furto infrà dicetur. 2. Quia diſcerni debet, an non contigerit blaſphemia hæreticalis aſſerendo & enuntiando de Deo falſum: v.g. Deus eſt injuſtus: Deus non curat, non ſcit res noſtras: &c. qui caſus reſervatus erit, ſi cum externa etiam interna hæreſis, ſive intentio talia ſentiendi de Deo acceſſerit. Vide dicta *Caſu 2do.* 3. Quia frequenter pœnitentes pro blaſphemia habent, quæ potiùs maledictiones, aut irati animi exclamationes ſunt: ut cùm fulmina & grandines imprecantur: vel Diabolus aut aliud quidpiam tantùm uno verbo nominantur &c. abſque eo, quòd ullam contumeliam Creatoris ſonent, aut ſignificent, de quibus infrà *Caſu 41.* Ubi tamen ſciendum, non tantùm tunc blaſphemari, cùm verba expreſsè & completo ſenſu injuriam vel inhonorationē Dei ſignificant, ſed etiam cùm ea, quæ ſpecialiter ad Deum reſpectum habent, ut Sacramenta, Sanguis & Membra Chriſti, B.mæ Virg. Mariæ &c. perversè & injurioſo modo nominantur cum indignatione erga Deum, vel cum intentione ſive formali ſive etiam virtuali Deum per hæc quaſi irritandi, ſpernendi, aut inhonorandi: ut cum D. Thoma *2. 2. q. 13. a. 1. ad 2.* communis docet Theolog.

„ (*A.*) Q. Quid & quotuplex ſit Blaſphemia? R. Blaſ-
„ phemiam à D. Thoma *loc. cit. in c.* definiri, *quòd ſit viti-*
„ *um, quo homo corde vel ore ſecundùm intellectum vel affe-*
„ *ctum Deo tribuit, quæ ei non conveniunt: vel negat, quæ ei*
„ *conveniunt.* Ab aliis breviùs dicitur contumelia, vel ma-
„ ledictio Dei. Blaſphemia directè opponitur laudi Dei:
„ quemadmodum enim Deus potiſſimùm laudatur tum corde,
„ tum ore, ita etiam hoc duplici modo à peſſimis creaturis
„ ſolet maledici & blaſphemari. Unde blaſphemia 1. dividi
„ ſolet in blaſphemiam cordis & oris: quibus aliqui etiam
„ addunt blaſphemiam operis, quatenus e. g. quis conculcat
„ Imagines Sanctorum; vel ex contemptu Dei in cælum ſpu-

„ it

„ it &c. 2. Dividitur in ſimplicem & hæreticalem. Hæc eſt, „ quæ articulis Fidei directè opponitur, e. g. ſi quis dicat: „ Immiſericors, ignarus, improvidus eſt Deus: & ſi ſit ex- „ terna, ac cum pertinacia intellectûs conjuncta, non ſolùm „ blaſphemiam, ſed formalem hæreſin, & caſum Bullæ Cœ- „ næ conſtituit. Simplex eſt, quæ non procedit ex interna „ infidelitate: e. g. dum quis dicit: Maledictus ſit Deus. „ 3. Ac congruè pro tribunali ſacro dividitur blaſphemia in „ formalem, & interpretativam, ſeu in explicitam & impli- „ citam. Quænam ſit explicita, jam patet ex definitione da- „ ta; implicita autem variè contingere poteſt. Ut 1. Si quis „ blaſphemet creaturas per ordinem ad Deum, vel iiſdem ali- „ quid divinitatis attribuat. 2. Quando Sancti aliquâ affi- „ ciuntur contumeliâ, utpote qui per ſe & ſemper habent or- „ dinem ad Deum. 3. Si contumelioſè vocentur Sacramen- „ ta, vel alia ſigna & Myſteria Redemptionis noſtræ, ſem- „ per cum Deo & Chriſto Redemptore habentia conne- „ xionem. 4. Si proferantur verba vel ex ipſius dicentis „ intentione, vel ex communi hominum uſu & accepta- „ tione, aut idiomatis ſignificatione contemptum & con- „ tumeliam Dei indicantia &c. Cæterùm blaſphemia re- „ gulariter & ex genere ſuo ſemper eſt peccatum mortale, „ ut docet D. Thomas *cit. q. 13. a. 2.* Et etiam colligitur ex „ illo *Lev. 24. Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte mo-* „ *riatur.* Quandonam autem indeliberatio vel inadver- „ tentia excuſent, dicetur infra ad caſum 40.

CASUS XXXIX.

ALius ſe frequenter blaſphemâſſe ait, verùm non intendiſſe Dominum Deum contumeliâ afficere, ſed ex indignatione erga hominem, vel propter infortunium &c. id feciſſe.

RE-

RESOLUTIO.

INdagandum tum, an non etiam aliquam indignationem, eámque deliberatam erga Deum habuerit, ex eo, quòd infortunium miſerit, vel permiſerit. Tum licèt non intenderit Deum directè inhonorare: an ſaltem non adverterit hæc verba ex ſe ſignificare, & continere contumeliam Dei, Sanctorum Ejus, (*A.*) aut aliorum Myſteriorum, vel etiam rerum creatarum, quatenùs dicunt ſpecialem ordinem & relationem ad Deum: ita ut Deus licèt non explicitè & directè, implicitè tamen & virtualiter contemneretur & injuriaretur. Hoc enim ſi advertit, & tamen talia verba proferre voluit, non poterit negare virtualem intentionem per talia inhonorandi & blaſphemandi interceſſiſſe: quæ ad culpam mortalem & peccatum blaſphemiæ ſufficit. Ut docet D. Thomas ſæpè citat. quæſt. *13. a.1.ad3.*

„ (*A.*) Q. An blaſphemiæ Dei, B.[mæ] Virginis & aliorum „ Sanctorum differant inter ſe ſpecie, ac proin in confeſſione „ diſtinctè ſint explicandæ? R. Etſi juxta D. Thomam, „ Cajet. & alios, omnes blaſphemiæ conveniant ſpecificè in „ hoc, quatenus Deo vel aliquid attribuant, quod ei non „ convenit, vel ab eo aliquid removeant, quod ei convenit: „ quia tamen differunt in gravitate, ac veluti quantitate in- „ juriæ ac deſpectionis Dei, quæ non videtur mera circum- „ ſtantia peccati, ſed aliquid ſpectans ad objectum & conſti- „ tutionem actûs in ſuo eſſe individuali, prout loquitur Bo- „ nac. hîc *q. 8. punct. 4. n. 2.* idcircò juxta cit. Bonac. Laym. „ Sanch. Illſung. alióſque probatos Authores probabiliùs in „ confeſſione modus blaſphemandi diſtinctè ac ſpecificè eſt „ explicandus, præſertim cùm blaſphemiæ plerùmque habe- „ ant aliam ſpecificam malitiam ſibi adjunctam. Sic e. g. ſi „ ex animo attribuatur creaturæ aliquid Divinitatis, non tan-

„ tùm

„ tùm erit blaſphemia, ſed etiam idololatria. Vel ſi ex abo-
„ minatione erga Deum jaciantur in eum contumeliæ, non
„ tantùm aderit ratio blaſphemiæ, ſed etiam odij Dei. Vel
„ ſi Deus blaſphemetur in SS. ſua Matre aut alij SS. præter
„ contumeliam ipſi Deo illatam etiam committitur directè &
„ immediatè peccatum contra Religionem & Cultum Hyper-
„ duliæ & Duliæ &c. Ut docent DD. præcitati.

CASUS XXXX.

QUid de conſuetudine blaſphemandi, ſive de blaſphemiis ex conſuetudine factis cenſendum?

RESOLUTIO.

DUo quærenda & dijudicanda ſunt. 1. Peccatum actualis blaſphemiæ, circa quod interrogandus pœnitens, an tunc, cùm ex conſuetudine blaſphemavit, adverterit, vel cogitaverit verba talia, quæ proferebat, eſſe blaſphema, Deóque contumelioſa? Si fatetur, interrogandus de numero, & cenſendus toties, quoties, mortaliter peccâſſe. Hoc ipſo enim, quòd ejuſmodi blaſphemiæ fiant cum advertentia ad rei gravitatem, etſi de reliquo ex aliqua præcipitantia vel conſuetudine fiant, ſatis tamen erunt voluntariæ ad rationem gravis peccati, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 13. a. 2. ad 3.* Secundò. De ipſa conſuetudine indagandum, quæ ſi voluntaria ſit, id eſt, ſi pœnitens non ſeriò propoſuit, & conatus eſt eam deponere, & deſueſcere, per ſe eum in ſtatu peccati mortalis conſtituere cenſenda eſt: ideóque ſedulò ſuadendum, & inculcandum, ut mox eliciat propoſitum eam deponendi, & impoſterum, ſi alia media & cautelas amplecti, ſibíque præfigere nolit, ſaltem hoc ipſum propoſitum ſæpiùs renovandi, aut in hunc finem inter preces matutinas & aliàs frequentiùs &c. Deum invocandi. Vide dicta Caſu 31.

Ubi tamen notandum, quòd ſi conſuetudo ſit, verba blaſphemiæ (v. g. Sacramenta &c.) tantùm temerè (*A.*) proferendi ſine ulla averſione vel indignatione erga Deum, nec apprehendendo per ea ſic prolata Deo contumeliam fieri, non ita facilè pro mortali habendam, eo modo, quo ſuprà de conſuetudine jurandi, ſed non ſimul mentiendi, dictum eſt. Quamquam enim utrobique periculum ſubſit, ne is, qui conſuevit ſine neceſſitate vera dicta juramento confirmare, idem faciat data occaſione, ſi falſum proferat: & ſimiliter, ne is, qui joci tantùm cauſa & temerè Sacramenta nominat, idem faciat, ſi impatiens & indignabundus ſit, itaque ſe aliquo modo à Deo averſum, & hæc verba eſſe Deo contumelioſa advertat, adeóque tunc formaliter blaſphemet: tamen hoc periculum remotum, nec ita conſiderandum videtur, ut propterea aliquis actualiter in ſtatu peccati mortalis conſtitutus judicetur, quamvìs ſine dubio conſultum & conſulendum ſit, omninò deponere talem conſuetudinem. Vide Laym. *tr. 10. c. 6. n. 3. & 12.*

„ (*A.*) Q. An blaſphemia ex genere ſuo mortalis quando-„ que contingere poſſit cum culpa ſolùm veniali? R. Si „ quis ex vehementi iræ vel triſtitiæ paſſione, vel etiam ex „ conſuetudine verba blaſphemiæ proferat, ita ut nec peccati „ mortalis gravitas memoriæ occurrat, nec vis ſignificandi „ gravem Dei contemptum & contumeliam, quam ejuſmodi „ verba de ſe blaſphema in ſe continent, apprehendatur, ex-„ cuſari poſſe à peccato mortali, veluti alia peccata ſine ſuffi-„ cienti advertentia & deliberatione facta ob defectum ſuffi-„ cientis voluntarij à mortali excuſantur. Navar. *c. 12. n. 84.* „ Laym. loc. cit. Sin autem perturbatio & paſſio animi non „ ſit tanta, quin detur advertentia vel ad gravitatem mate-„ riæ, vel ad vim ſignificandi verborum, ejuſmodi verba „ blaſphema à mortali nunquam excuſantur. Nec opus erit

„ lon-

,, longo tempore, ut quis rei gravitatem advertat, ſed pote-
,, rit in momento haberi ſufficiens judicium rationis ad me-
,, ritum vel demeritum requiſitum: ut docet Clavis Regia *l.*
,, *6. c. 3. n. 6.* Vide dicta ad Caſum 15tum.

CASUS XXXXI.

CONfitetur pœnitens maledicta, & imprecationes proximo ſuo factas, quid judicandum?

RESOLUTIO.

SI maledicta & imprecationes ex odio fiant, ſive ſi imprecans ita affectus ſit, ut voluntariè & deliberatè malum notabile proximo optet, mortalî culpâ vacare non poſſunt. Ut docent Bonac. *Diſp. 3. q. 8. p. 3. n. 4.* Sayr. Navar. Leſſ. & DD. communiter. Secùs ſi ex præcipitantia iracundiæ verba talia proferantur ſalvâ charitate, tunc enim venialis ſolùm culpa erit: ita cenſendum communiter, cùm parentes filiis, quos aliunde amant & fovent, neſcio, quæ imprecantur: item cùm contubernales & ſocij laborum absque interveniente inimicitiâ vel odiô, ex repentina cauſa, vel occaſione data maledicunt, & imprecantur ſibi mutuò. Neque ſtatim peccatum mortale ſit, tametſi maledicens advertat, verba hæc ſignificare grande malum, v. g. Ut dæmon abripiat &c. modò nil mali intendat, vel optet, ſed tantùm ad oſtendendam diſplicentiam talia cum vehementia proferat. Hinc etiam conſuetudo tam periculoſa non eſt, niſi ſit conſuetudo ſeriò imprecandi, aut cum ſcandalo. Quia tamen aliquale ſaltem periculum eſt, ne ejuſmodi maledictionibus aſſuetus ſeriò aliquando, vel ſæpiùs malum notabile proximo imprecetur, idcircò juxta qualitatem periculi talis conſuetudo ſub gravi vel levi culpa extirpanda eſt, juxta dicta de Conſuetudine jurandi vel blaſphemandi.

Digitized by Google

Interim neceſſe non eſt, ut imprecans id præciſè intendat, quod dicit, hoc enim rarum eſt: ſed ſufficit, ut ex odio optando, vel complacendo, aut quocunque modo intendendo voluntariè malum proximi, etiam in genere tantùm talia maledicta ſeu atteſtationes maligni animi & inimici affectûs proferantur. Et ſecundùm hæc etiam interrogatio Confeſſarij formanda erit. Vide Laym. *l. 4. tr. 10. c. 6. n. 11. & 12.* Tambur. *l. 2. c. 6. ∂. 4. n. 9.* & ſeq.

„ Q. Quale peccatum ſit maledicere creaturis irrationabilibus? R. Si maledictiones cadant ſuper animalia, fruges, arbores &c. quatenus hæ ſunt res proximi, & quidem ex odio & inimicitia erga illum, eſſe peccata mortalia contra charitatem & dilectionem proximi: quia nimirum tenemur eundem diligere, illíque bonum, & non malum exoptare, juxta illud: Quod tibi non vis fieri, alij ne facias. Si autem dictæ res, noſtræ ſint, vel nullius, iiſdem maledicendo præciſè propter ſe (abſtrahendo à nimio impetu iræ &c.) non facilè graviter delinquimus: tum quia ſunt in noſtro dominio, eaſque ſine peccato poſſumus omninò occidere, vel deſtruere: tum quia creaturæ irrationales præciſè ſpectatæ ſecundùm ſe, nec ſunt noſter proximus, nec lege Charitatis comprehenduntur. Bonac. *n. 5.* Tambur loc. cit.

De Votis.

Tria potiſſimùm hîc in Quæſtionem veniunt. 1. Quid ſit Votum? 2. Quatenus & quando obliget? 3. Quomodo tollatur Obligatio Voti?

CASUS XXXXII.

QUidam cum multa devotione, ac deliberatione conſtituit, & præſcripſit ſibi certas preces quotidie

tidie recitandas. Cæterùm interrogatus, num ſciat, vel ſciverit tunc, quid ſit Votum, quæ Voti natura & obligatio &c. rudem & ignorantem rerum talium ſe profitetur.

RESOLUTIO.

IN materia iſta ante omnia diſcernendum, benè & diſtinguendum inter propoſitum & votum: utut enim deliberatè ſeriò & efficaciter propoſitum fiat, non eſt peccatum ſaltem mortale omittere, vel mutare propoſitum, uti omnes fatentur. (*A.*) Votum autem eſſentialiter dicit ultra propoſitum intentionem promittendi Deo factam, ex qua promiſſione non minùs, quàm inter homines obligatio naſcitur, & eſt peccatum ordinarie mortale, votum ſeu promiſſionem Deo factam transgredi. Practicè igitur & ex pœnitente hoc inquirendum erit, an non tantùm propoſuerit, verùm etiam promiſerit? aut an intentio vel cogitatio ſe ex nunc obligandi adfuerit &c. quod ipſum, ſi ille neſciat, conſequenter dubitet, procedendum & præſumendum erit juxta ſequentis Caſûs reſolutionem.

„ (*A.*) Q. Quid ſit Votum? R. ex D. Thoma 2. 2. q.
„ *88. a. 1.* Votum definiri, quòd ſit *Promiſſio libera facta Deo*
„ *de meliori bono.* Dicitur 1. *Promiſſio*, per modum gene-
„ ris, per quod convenit cum promiſſione facta homini.
„ Deinde ut excludatur propoſitum, quod nunquam inducit
„ obligationem in proponente, ut conſtat ex *C. Litterarum.*
„ *de Vot.*: qualem tamen inducit promiſſio, utpote quæ in-
„ volvit voluntatem ſeſe obligandi, ita ut promiſſario (in
„ votis Deo) acquiratur jus exigendi promiſſum. Dicitur 2.
„ *Libera*, ſcilicet ut fiat per liberum voluntatis conſenſum.
„ Nam cùm vovens per votum ſibimet quaſi ponat legem,
„ qua ſe Deo aſtringit, neceſſe eſt, id fieri modo humano,
„ ſeu liberè, quia nemo cenſetur ſe obligare, ſibique onus
„ imponere, niſi plenam habeat animi deliberationem. Cæ-

 „ terùm

Digitized by Google

„ terùm communis regula traditur à DD., tantam requiri & „ ſufficere libertatem ad vovendum, quanta ad mortaliter „ peccandum, uti expreſsè dicit Gloſſa in *c. Mulier. 32. q. 2.* „ *Qui ſe poteſt obligare diabolo, poteſt etiam obligari Deo.* „ Hinc quicunque non eſt capax peccandi mortaliter, etiam „ non erit capax vovendi Deo. Dicitur 3. *Deo facta.* Quia „ votum propriè loquendo ſoli fit Deo, eò quòd ſit actus La- „ triæ, quâ ſolus Deus colitur. Quòd ſi Sanctis dicantur „ quoque fieri vota, id intelligendum eſt, vel quòd fiant ſo- „ lùm in memoriam & honorem eorundem, veluti templa & „ altaria Deo propriè dicata, in honorem & memoriam San- „ ctorum quoque dedicantur, ut explicat S. Auguſt. *lib. 20.* „ *contra Fauſt. c. 21.* & S. Thomas *q. 88. a. 5. ad 3.* vel ſi pro- „ miſſio fiat immediatè ipſi Sancto, non erit propriè votum „ & cultus Latriæ, ſed ſolùm cultus Duliæ, ſive ſacra & reli- „ gioſa obſervantia erga ejuſmodi Sanctum, uti explicat Suar. „ *l. 1. c. 16. n. 9.* Laym. *tr. 4. c. 1. n. 6.* Dicitur denique *de* „ *meliori Bono.* Ubi duæ conditiones involvuntur. 1. Ut „ res promiſſa ſit bona, ſive aliunde jam ſit præcepta, ſive non: „ & 2. ut ſit melior, quàm ejus oppoſitum, ſive ut non ſit „ impeditiva operis melioris & perfectioris, quoniam hoc ipſo „ non eſſet Deo accepta. Sèd hæc omnia magis patebunt ex „ Caſibus ſubſequentibus.

CASUS XXXXIII.

QUid ſi idem ſe dubitare aſſerat, votúmne an propoſitum fuerit? aut tametſi cogitatio & verba de voto fuerint, dubitare ſaltem, an intentionem vel etiam cogitationem ſe obligandi ſub peccato mortali ullam habuerit?

RESOLUTIO.

IN dubio præſumi pro libertate, & neminem cenſeri obligatum, niſi de cauſa obligationis conſtet (*A.*) communis eſt ſen-

ſententia juxta Regulam *65. Juris in 6.* In dubio melior eſt conditio poſſidentis : conformiter *L. Arianus. ff. de Verb. oblig.* Ubi dicitur 1. In dubio potiùs liberatio, quàm obligatio inducenda eſt. Igitur ſi verè dubitet pœnitens, aut neſciat, an votum vel propoſitum conceperit, pro libertate judicandum, & ne pœnitens per conſcientiam erroneam peccet impoſterum, de hoc ipſo inſtruendus erit, quòd in dubio ſupponere liceat, non votum, ſed ſolùm propoſitum fuiſſe : idque eò tutiùs, ſi ita diſpoſitus & reſolutus ſit, quòd ſi ſciret votum & obligationem ſubeſſe, omninò implere vellet. Sanch. *l. 1. in Decal. c. 10. n. 36.* Bonac. *de Pecc. diſput. 2. q. 4. p. 7. n. 18.* Tambur. *l. 1. c. 3. §. 7. V. Votum.* Engl. *tit. de Vot. n. 2.* cum communi Theolog. contra Clavem Regiam, Azor, & alios quosdam, volentes, in dubio obligationem ſtare pro voto.

Interim ſicut aliàs in actibus humanis voluntas & intentio virtualis idem fere poteſt, quod actualis, ita etiam in voto ſufficit intentio virtualis promittendi, aut ſe obligandi. Ut denuò communis tenet DD. Proin qui de Voto cogitavit, & plus quàm propoſitum facere voluit, virtualiter ſe obligare voluiſſe, itaque verum votum emiſiſſe cenſendus eſt. Velut e. g. is, qui ordines majores, quibus votum Caſtitatis annexum eſſe non neſcit, voluntariè ſuſcipit; item qui in Religione ſolemnem Profeſſionem emittit, etſi nihil explicite cogitans de Voto, ſed planè diſtractus &c. tamen votum Caſtitatis & Religionis verè emittit per intentionem virtualem. Qualis operandi modus etiam ad conficienda Sacramenta ſufficit, uti omnes fatentur.

„ (*A.*) Q. Quid ſentiendum de eo, qui votum emiſit, ani-
„ mo tamen non ſe obligandi, vel ſaltem non exequendi pro-
„ miſſum? R. 1. Qui vovit animo ſe non obligandi, vi voti
„ ad nihil tenetur. Ratio eſt, quòd talis non verè, ſed ſo-
„ lùm

Digitized by Google

„ lùm apparenter & verbaliter voveret, quod ad rationem voti „ non ſufficit, ut conſtat ex dictis ad caſum priorem. Unde „ ſuſcipiens Sacros Ordines cum expreſſa intentione non ſe „ obligandi ad Caſtitatem, præciſè ratione voti ad eam non „ obligatur: quamvìs aliunde obligetur, ſcilicet tum ratione „ ſcandali vitandi, tum vi Statuti Eccleſiaſtici, eum ad ma- „ trimonium inhabilitantis, & ad dictum votum ſuſcipien- „ dum obligantis. Vide Tambur. *l. 3. c. 12. §. 1.* Bonac. *in De-* „ *cal. diſp. 4. q. 2. p. 1. n. 8. & ſeq.* R. 2. Qui vovit animo „ ſe obligandi Deo, quamvìs non exequendi promiſſum, ve- „ rè obligatur ad exequendum, quod promiſit, ſub gravi vel „ levi culpa pro qualitate materiæ promiſſæ: ut ex communi „ docent Nav. *c. 12. n. 27.* Laym. *tr. 4. c. 1. n. 2.* Bonac. *loc.* „ *cit. n. 14.* Illſung *tr. 5. diſp. 1. q. 3. n. 75.* Ratio eſt, quòd „ ad votum ſeu promiſſionem vero animo factam connatura- „ liter ſequatur obligatio, veluti calor ad ignem, nec ipſa „ actualis executio ſit de ratione voti, ſed ſolùm effectus „ ejuſdem: veluti in contractu emptionis & venditionis con- „ naturaliter quidem ſequitur obligatio tradendi, ipſa autem „ actualis traditio vel executio ſolùm eſt effectus ejuſdem. „ Vide Tambur. loc. cit. *n. 4.* ubi plura refert abſurda ex „ contraria opinione ſequentia.

CASUS XXXXIV.

NOnnemo in ebrietate devotus votum facit: aut in prima adoleſcentia; vel aliàs præcipiti Spiritûs impetu ſine præcedente deliberatione, aut ſaltem non prævisis difficultatibus, quas nunc experitur: quas, ſi præſciviſſet, nunquam voviſſet v. g. Caſtitatem perpetuò ſervare, Ordinem Capuccinorum ingredi &c.

RE-

Digitized by Google

RESOLUTIO.

QUia Votum per ſe res gravis eſt, gravémque ſub mortali obligationem producit, non poteſt fieri ſine ea deliberatione, quæ ad peccatum mortale ſufficeret: ut jam conſtat ex dictis ad Caſum 42. Igitur ſi ex tali præcipitantia, ebrietate, aut rationis & judicij vel defectu vel perturbatione votum fiat, ut tantùm ſemiplena deliberatio, & imperfecta rationis advertentia, qualis ad peccatum quidem veniale, non verò ad mortale ſufficeret, interceſſerit, non cenſendum eſt votum. (*A.*) Uti cum communi docet Laym. *tr. 4. c. 1. n. 3.*

Econtra autem non omnes circumſtantias, difficultates, & incommoda prævidiſſe, ſicut in contractibus & obligationibus inter homines factis non relevat, ita nec in votis ſeu promiſſionibus Deo factis conſiderandum eſt: niſi ad ſummum, ut pro cauſa diſpenſandi, & diſpenſationem vel commutationem in voto obtinendi allegari poſſit. Excepto (quod extra hunc caſum, & valdè extraordinarium eſt) ſi exinde error aut ignorantia ſubſtantialis, vel omnimoda rei promiſſæ inconſideratio inferri poſſet: quoniam tunc ob defectum ſufficientis voluntarij nullum foret votum, & conſequenter etiam nulla oriretur obligatio; ut docet Leſſ. *l. 2. c. 40. dub. 2. n. 11.* & communiter DD. Vide dicta *ad Caſum 35.* de Juramentis *&. q. 2.*

„(*A.*) Q. Quid dicendum de eo, qui certò quidem ſcit ſe „voviſſe, dubitat tamen, an cum ſufficienti deliberatione id „fecerit? R. cum Nav. Bonac. & aliis, in tali caſu probabiliùs voventem obligari. Ratio eſt, quia poſſeſſio ſtat pro „voto, quod conſtat factum fuiſſe. Probato autem facto „præſumuntur adfuiſſe neceſſaria ad illud. Dein præſumptio deſumitur ex communiter contingentibus, & fieri ſolitis: communiter autem vota fieri ſolent deliberatè; ergò „etiam in tali caſu cenſendum eſt, adfuiſſe ſufficientem de-

„ liberationem, & conſequenter verum fuiſſe emiſſum votum.
„ Quamvis aliqui teneant contrarium, eò quòd ipſa delibera-
„ tio ſit de ſubſtantia voti, atque hac dubia etiam ipſum vo-
„ tum ſit dubium, adeóque poſſeſſio ſtet pro libertate.

CASUS XLV.

FOemina ſe voviſſe & promiſiſſe ait, ſed tantùm B.^mæ Virgini, Angelo Cuſtodi &c.

RESOLUTIO.

SI hujuſmodi Vota Deo in honorem B.^mæ Virginis, aliorúmve Sanctorum fiant, verè & propriè vota erunt: & ita in dubio præſumendum eſt: (*A.*) ſicque ipſam Eccleſiam intentionem voventium piè interpretari dicit S. Antoninus *p. 2. t. 11. c. 1. §. ultim.* Clavis Regia *L. 6. c. 1. n. 11.* Quòd ſi præciſè B.^mæ Virgini, vel Sanctis promiſſio fiat, non propriè vota erunt, ut jam conſtat ex dictis ad Caſum 42. Interim ex virtute Fidelitatis obligationem parient, & quidem ſub peccato: velut enim Sancti in cœlo ab Eccleſia canonizati poſſunt orari, ac ob propriam excellentiam & dignitatem cultu Duliæ etiam adorari, ita quoque poſſunt iiſdem fieri promiſſiones bonorum operum, quarum transgreſſio juxta intentionem voventis & qualitatem materiæ erit gravis vel levis contra fidelitatem & obſervantiam ipſis ſpecialiter debitam, adeóque in confeſſione explicanda, ut docet Tambur. *l. 3. c. 14. n. 2.* & alij.

„ (*A.*) Q. Quid ſentiendum de Votis, quæ fiunt in ma-
„ nus Epiſcoporum, vel Prælatorum? R. cum D. Thoma
„ *2. 2. q. 88. a. 5. ad 3.* eſſe vera vota, quia juxta receptam
„ praxin & conſuetudinem Eccleſiæ verè fiunt Deo, ita ut
„ Epiſcopus vel Prælatus ſolùm ſit teſtis: vel potiùs ut lo-
„ quitur Clav. Reg. loc. cit. quatenus ſunt loco Dei, ſecun-

„ dùm

Digitized by Google

„ dùm dignitatis participationem & poteſtatem, quam ha-
„ bent, prout gerunt vicem illius; econtra ſi quis alteri vo-
„ veat, vel promittat, præcisè quâ homini ſe e. g. non am-
„ pliùs luſurum, vel domum ſuſpectam acceſſurum &c. nul-
„ lum erit votum, hoc ipſo, quòd non ſit promiſſio nec ex-
„ plicitè, nec implicitè facta Deo. Ut docet Navar. *c. 12. n. 25.*
„ Bonac. *diſp. 4. q. 2. p. 1. n. 17.*

CASUS XLVI.

ALia vovit non laborare in pervigiliis poſt horam ſecundam, ſeu ſignum campanæ datum &c.

RESOLUTIO.

QUia Vota ſoli Deo fiunt, tunc obligant, cùm à Deo acceptata, eíque rata & grata judicari poſſunt. Proin ſi res promiſſa ex ſe illicita ſit, etſi tantùm venialiter, nullum cenſendum eſt votum, cùm nec ex ſe Deo acceptum eſſe poſſit, quod malum eſt, nec mala facere liceat, ut eveniant bona. Ut cum D. Thoma *loc. cit. a. 2.* communis tenet Theolog. At in indifferentibus cautiùs procedendum, nec ſtatim votum pro nullo habendum. Quamvis enim ea, quæ bona non ſunt, ſed indifferentia, Deo accepta non ſint, ut denuò docet D. Thomas loc. cit. (*A.*) quia tamen ex fine bona fieri poſſunt, ideò finis propoſitus examinandus erit: v. g. in caſu poſito Votum non laborandi, ſi ea intentione factum ſit, ut orationi vacare, Eccleſiam adire poſſit, valebit, & obligabit, ſecus ſi tantum otium, aut nuda omiſſio operis in mente fuit. Vide Laym. *tr. 4. c. 2. n. 8.*

„ (*A.*) Q. 1. An obliget Votum, ſi vovens dubitet, utrùm
„ materia promiſſa ſit indifferens, vel bona? R. Probabiliùs
„ obligare juxta dicta ad Caſum 44. quia nimirum poſſeſſio
„ ſtat pro Voto. Quòd ſi tamen vovens ex ratione verè pro-

„ babili & prudenti poſſit formare judicium, materiam pro-
„ miſſam eſſe rem indifferentem, etſi forſan contrarium vi-
„ deatur probabilius, poterit dubium excutere, ſicque ratio-
„ ni ſuæ verè probabili & prudenti innixus deobligari. Om-
„ nium tamen optimè fiet in tali caſu, ſi quis deobligetur à
„ ſuo Confeſſario, ritè judicante, materiam promiſſam eſſe
„ rem indifferentem: vel omninò petat diſpenſationem. Ut
„ docet Clav. Reg. *l. 6. c. 3. n. 13.*

„ Q. 2. Quid dicendum de voto nunquam peccandi ve-
„ nialiter? R. 1. Votum nunquam peccandi venialiter ple-
„ nè deliberatè: item abſtinendi ab omni veniali circa deter-
„ minatam aliquam materiam: e. g. nunquam jocosè menti-
„ endi, vel per auxeſin loquendi, probabiliùs obligare. Ut
„ docent Suarez *l. 2. c. 3. n. 4.* Sayrus *l. 6. c. 3. n. 9.* & multi
„ ab his relati. Ratio eſt, quòd ejuſmodi votum ſit de ob-
„ jecto bono, ac moraliter quoque cum gratia Dei poſſibili,
„ ut patebit clariùs ex mox dicendis. R. 2. Votum abſolutè
„ nunquam peccandi venialiter probabiliùs non obligare, eò
„ quòd ſit de re viâ ordinariâ impoſſibili. Etſi enim homini
„ cum gratia Dei ordinaria ſit poſſibile, evitare omne pecca-
„ tum cum plena animi deliberatione factum, vel circa de-
„ terminatam aliquam materiam etiam ſemiplenè delibera-
„ tè commiſſum, non tamen videtur eidem poſſibile ſine ſpe-
„ ciali privilegio evitare omnia ex ſubreptione, & imperfe-
„ cta deliberatione facta, juxta illud *1. Joan. 1. Si dixeri-
„ mus, quòd peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & ve-
„ ritas in nobis non eſt.* Definitur quoque id in Conc. Mile-
„ vit. *Can. 6. 7. & 8.* Trid. *Seſſ. 6. c. 23.*

CASUS XLVII.

QUædam vovit non intrare certam Eccleſiam ex cauſa non videndi amaſium &c. Quærit, an obli-

obligare ſe potuerit, & toto tempore vitæ obligata maneat, opus bonum, ſcilicet viſitandi Eccleſiam intermittendi?

RESOLUTIO.

ETſi non liceat facere mala, ut eveniant bona, licitum tamen, Deóque gratum eſt, omittere bona (quæ ſupererogatoria, neque hìc & nunc in præcepto ſunt) ne eveniant mala, vel ne impediatur majus bonum. Igitur hujuſmodi vota per ſe valent, & in his circumſtantiis obligant, hoc ipſo quia ſunt de meliori bono; at ſi mutentur circumſtantiæ, & penitùs ceſſet periculum peccandi in Eccleſia, adeóque vitare Eccleſiam res bona & Deo grata ampliùs non ſit, ceſſabit etiam votum, quia ad eum ſtatum pervenit, à quo incipere non poſſet, & in hunc eventum nec à Deo acceptatum, nec à vovente intentum eſt. Tambur. *l. 3. c. 14. §. 6. n. 7.* & Alij.

„ Q. 1. An votum ſit validum de re, quæ hìc & nunc qui-
„ dem eſt indifferens, ſucceſſu tamen temporis fit bona? 2.
„ Quid ſentiendum de Votis, quorum materia partim eſt bo-
„ na, partim mala vel indifferens: partim poſſibilis, partim
„ impoſſibilis? R. ad 1. Si intentio voventis directa fuit in
„ rem præcisè, prout hìc & nunc erat indifferens, nullum
„ fuiſſe votum, utpote non de meliori bono. Nec refert,
„ dictam rem tractu temporis de ſtatu indifferentiæ transîiſſe
„ in bonam, ſeu meliorem: *Nam tractu temporis non firma-*
„ *tur, quod ab initio non ſubſiſtit. c. Non firmatur. de Regulis*
„ *Juris in 6.* Quòd ſi tamen vovens intentionem habuiſſet,
„ adimplendi votum etiam pro eo tempore, quo res bona &
„ honeſta futura fuiſſet, omninò obligaretur, cùm tale vo-
„ tum non ampliùs foret de re indifferenti, ſed honeſta &
„ bona. Bonac. *in Decal. diſp. 4. q. 2. p. 4. §. 2. n. 9.* R. ad 2.
„ Servandum eſſe votum quoad partem honeſtam, bonam &
„ poſſibilem, ſi ea ſeparari poſſit à parte impoſſibili & turpi.
„ Excipe, niſi vovens totam materiam promiſerit per modum

„ unius, ita ut noluerit ſe obligare ad unam partem, quin „ etiam obligaretur ad alteram: tunc enim ad neutram te- „ nebitur. Ita Suarez *l. 2. de Vot. c. 10. n. 2.* Laym. *tr. 4. c. 2.* „ *n. 3.* Tambur. Valentia Navar. & alij. Ratio prioris eſt, „ quia *Utile per inutile non vitiatur; juxta c. Utile. de R. J.* „ *in 6.* Item procedit etiam in tali Caſu Reg. *c. Unici. de De-* „ *ſponſat. Impub. in 6. Si non valet, quod ago, ut ago, valeat,* „ *ut valere poteſt.* Ratio poſterioris eſt, quia vovens totam „ materiam indiviſibiliter, unam partem non promittit ſine „ altera: cùm autem una pars non ſit materia apta voti, ne- „ que tenebitur ad alteram, utpote incluſam & cohærentem „ priori. Exempla utriusque pulchrè adducit Laym. loc. cit.

CASUS XLVIII.

VOvit aliquis ſumptuoſam illam peregrinationem, v. g. ad B.^mam^ Virg. Montis S. Andex tam ob copiam Sacratiſſimarum Reliquiarum, quàm confluentiam peregrinantium Celeberrimi Congregat. noſtræ Monaſterij, & ibi offerre calicem, paravit ſumptus tam pro itinere, quàm pro oblatione: ſed præter opinionem morbô, aliisve ex cauſis impeditur. Quærit 1. An per alium debeat peregrinationem perficere? 2. An ſumptus itineris Æthingam mittere? 3. An ſaltem calicem?

RESOLUTIO.

BEnè diſtinguendum & diſcernendum, quid in voto reale & perſonale ſit: item quid per ſe, & quid tantùm concomitanter, vel in conſequentiam in voto & animo voventis fuerit?

Igitur 1. Qui in propria perſona non poteſt peregrinari, non tenetur per alium implere votum, utpote quod perſonale fuerat. (*A.*) Ratio eſt, quòd obligatio voti naſcatur ex pro-

Digitized by Google

propriæ voluntatis conſenſu, adeóque etiam nullum obliget, niſi ipſum voventem & conſentientem, uti communis tenet DD.

2. Sumptus etiam, ſive pecunias, quas peregrinaturus abſumpſiſſet, mittere non debet, quia non niſi in conſequentiam, & cum ipſa peregrinatione indiviſim in voto & animo fuêre. (*B.*) ut docet Sanchez *l. 4. c. 15. n. 13. & 29.* Bonac. *diſp. 4. q. 2. p. 5. §. 3. n. 7.* Leſſius cum aliis.

At 3. Calicem promiſſum mittere tenetur, quia per ſe (tametſi fortè minus principaliter fuit materia voti) atque ſecundùm ſe ſine ſpeciali reſtrictione ad peregrinationem, ut ſupponitur, intentus ſeu promiſſus, & aliunde votum quoad hanc partem reale non perſonale eſt: ideóque in re, utut perſona impedita ſit, impleri poteſt, proin debet. (*C.*)

„ (*A.*) Q. 1. Quid Votum perſonale, reale, & mixtum? „ R. Perſonale eſt, quo Deo promittitur aliqua actio, vel in„ termiſſio actionis ipſius viventis, v. g. orare, jejunare, ca„ ſtitatem ſervare, non mentiri, non pejerare &c. Reale eſt „ promiſſio alicujus rei dandæ vel expendendæ, ut eleemoſy„ nam dare, Eccleſiam fundare &c. Mixtum denique eſt, „ quod participat ex utroque, ut peregrinari Romam cum „ intentione offerendi aliquid ad limina Apoſtolorum.

„ (*B.*) Q. 2. An, qui fecit votum mixtum, teneatur u„ tramque partem adimplere per ſe ipſum? vel poſſit, aut de„ beat alterutram ſaltem per alium implere? R. 1. Votum „ mixtum, quatenus perſonale eſt, non poſſe expleri per ali„ um. 2. Debere tamen expleri per alium, quatenus reale „ eſt, ſi vovens factus ſit impotens ad id explendum. 3. Ni„ ſi, prout reale eſt, ſit merè acceſſorium. Ratio 1. conſtat „ ex caſu. Ratio 2. eſt, quia hæc eſt natura voti realis, ut „ poſſit adimpleri per alium, adeóque vovens non excuſatur, „ quin id faciat. Unde ſi voviſti dare eleemoſynam, & fa-

„ ctus

„ ctus ægrotus non poſſis, teneris dare per alium. Econtrà „ ſi voviſti jejunium, & non poſſis jejunare, non teneris ad „ hoc alium aſtringere, quia ſcilicet hoc eſt perſonale, prius „ reale. Quòd ſi tamen votum, prout eſt reale, mere ſit ac- „ ceſſorium: ſi deobligaris à principali, etiam non teneris ad „ acceſſorium, quia hoc non cenſeris promiſiſſe, niſi acceſſo- „ riè. Unde ſi voviſti peregrinationem, eamque non poſſis „ perſolvere, non teneris ſumptus faciendos ad locum pere- „ grinationis mittere, quia hos non promiſiſti abſolutè, ſed „ ſolùm acceſſoriè, ut jam dictum in caſu. Ita communis.

„ (C.) Q. 3. An, qui non poteſt votum ſuum adimplere, „ teneatur commutationem illius petere in rem, quam poteſt „ præſtare? R. cum Suar. *l. 4. de Vot. c. 15. n. 9.* & aliis ne- „ gativè. Velut enim Eccleſia neminem obligat ad compen- „ ſationem rei præceptæ faciendam, ſi quis impotentiâ ſuper- „ veniente eam adimplere nequeat: ita neque vovens cenſe- „ tur ſe ipſum ad ſimilem compenſationem obligare; ergò „ niſi ultrò velit, non tenetur.

CASUS XLIX.

UXor abſente marito vovit peregrinationem, eleemoſynam &c. ſi, vel poſtquam maritus redîerit. Cùm vir in via mortuus ſit, dubitat, an teneatur votum implere?

RESOLUTIO.

DIſtinguendum inter obligationem conditionatam, & obligationem in diem &c. Si igitur uxor intendit abſolutè vovere, & votum tunc demum implere, cùm maritus redîerit, quod eſt dicere *in diem*, tenebitur etiam virô mortuô: hoc ipſo enim, quòd abſolutè intenderit peregrinationem, noluit eam alligare reditui mariti, niſi merè acceſſoriè; adeó-

adeóque tenetur implere, etſi non redeat. Nam qui duo diſtincta vovet, quorum unum eſt principale, & alterum ſolùm acceſſorium, tenetur exequi quod eſt principale, etſi acceſſorium implere nequeat. Ut docent Fulienſ. Laym. & alij communiter, & jam conſtat ex dictis. Secùs ſi ſub conditione *Si*, id eſt poſito, quòd maritus redierit (aliàs non) vovere, & ſe obligare voluerit; de quo ipſa interroganda, & in dubio, cùm ex una parte pro libertate, ex altera autem pro voto (nam votum factum eſt: dubitatur autem, an abſolutè, vel conditionatè) præſumptio ſtet: id credendum, & ſecundùm id judicandum erit, quod talis vovens veriùs & probabiliùs ſe feciſſe putat, & judicat: quoniam obligationes votorum potiſſimùm dependent ex intentione voventium.

„ Q. hìc, ſub quibus conditionibus Vota ſint valida, & „ obligent? R. Votum non valere 1. ſi ſit factum ſub con„ ditione contrariâ ſubſtantiæ voti, vel rei promiſſæ juxta *c.* „ *fin. de Condit. Appoſ.* ut ſi quis voveret, ſe Religionem intra„ turum eâ intentione, ut haberet proprium. Nec valet 2. „ factum ſub conditione impoſſibili, ut ſi quis voveret Reli„ gionem, quam nollet ingredi niſi volando. In quo vo„ tum differt à contractu matrimonij, & ultimis voluntati„ bus, quorum valori ejuſmodi conditiones impoſſibiles ex „ diſpoſitione legum non obſtant, ut docent Sanch. Bonac. „ Tambur. & alij. 3. Nec valet votum ſub conditione turpi, „ vel finis inhoneſti, quem vovens intendit, ut ſi quis vo„ veat eleemoſynam, ut poſſit inimicum ſuum occidere, vel „ ſortiri commercium cum tali & tali fœmina &c. eò quòd de „ eſſentia voti ſit, ut ſit de meliori bono. Econtra valet „ votum 1. ſub conditione pœnæ, quod votum pœnale dici„ tur, ut ſi quis voveat ſe non inebriaturum ſub pœna jeju„ nij, vel eleemoſynæ. 2. Valent vota facta ſub conditione „ futurâ neceſſariâ, ſtatímque obligant. Cùm enim talis con-

„ ditio ſit neceſſariò eventura, habetur pro adimpleta. Hinc „ qui hodie Caſtitatem vovet, ſi cras Sol oriatur, ſtatim hodie ligabitur voto, ut docet Azor, Sanch. & alij. 3. Valent quoque vota ſub conditione præteritâ vel præſenti, quæ „ pariter ſtatim obligant ſubſiſtente veritate conditionis: ut „ ſi dicas, voveo ingredi Religionem, ſi Pater meus eſt mortuus, vel ſi vivit; quoniam hæ conditiones, utpote jam „ purificatæ, non ſuſpendunt intentionem voventis. 4. Denique & vel maximè ſolent fieri vota ſub conditione honeſtâ futurâ, & contingente: e.g. Voveo jejunium, eleemoſynam, peregrinationem, ſi Pater meus, Mater &c. convaluerint. Et hæc ante impletam conditionem manent ſuſpenſa, eâ autem poſitâ ſtatim obligant, quia nimirum hæc „ eſt intentio voventis, ſic ſibimetipſi legem quaſi imponentis. Interim benè obſervandum, voventem ſub conditione „ futurâ contingente, non debere uſque ad conditionis eventum ſe ſtudiosè inhabilem reddere ad impletionem voti, ſic „ vovens Religionem ingredi, ſi Pater ex bello redîerit, non „ poteſt intereà matrimonium contrahere, eò quòd per hoc „ ſeipſum faceret inhabilem ad Religionis ingreſſum. De „ quo ampliùs videas Clav. Reg. *l. 6. c. 8. n. 4.* Bonac. *diſp.* „ *4. q. 2. punct. 2. n. 5.* Navar. *c. 12. n. 42.*

CASUS L.

Accuſat ſe pœnitens, quòd votum Deo factum ſuo tempore non impleverit. Quærit 1. An diſtuliſſe votum per annum v.g. ſit peccatum mortale? 2. An elapſo tempore, intra quod opus bonum perficere vovit, impoſterum ſit deobligatus?

RESOLUTIO.

Conſideranda in primis intentio voventis, dein natura rei per votum promiſſæ. Igitur ſi vovens intendit, aut co-

gita

gitavit de certo tempore, cùm ipſum tempus pars & materia voti ſit, omninò tenebitur ſub peccato mortali tempus illud obſervare, ut per ſe patet. Idem dicendum, ſi implicitè præſens tempus in voto fuit, v. g. ſi quis ex commiſeratione erga pauperes hoc anno penuriam patientes propter annonæ caritatem vovit certos panes aut frumentum diſtribuere, peccabit mortaliter, ſi in alium annum differat. Nam ut jam ſæpiùs dictum, votum adimplendum eſt juxta voventis intentionem, ex qua voti obligatio enaſcitur, ac dependet. Econtra, qui tunc, cùm votum fecit, noluit ſe ad aliquod tempus obligare, ſed ita affectus fuit, quòd aliquando tempore vitæ ſuæ velit v. g. peregrinationem inſtituere, non peccabit etiam pluribus annis differendo: niſi eò uſque differat, ut morale periculum ſit, nè omninò implere poſſit. In dubio, & quando ſimpliciter opus bonum Deo promiſſum eſt, nihil omninò cogitando de ullo tempore, ad naturam rei per votum promiſſæ Deo attendendum eſt. Aliqua enim bona opera promiſſa etiam poſt quamcunque dilationem plenè ſine ullo deceſſu impleri poſſunt: v. g. certa eleemoſyna, peregrinatio &c. Aliis econtra ipſo temporis lapſu aliquid decedit, atque eo ipſo, quòd tardiùs inchoentur, minora fiunt, puta; vovit quis per totam vitam abſtinere à carnibus die Mercurij: quotidie recitare certas preces &c. quibus accenſeo votum ſerviendi Deo in Religione, alióve Statu ſanctiori: item votum ſe incorporandi Fraternitati Roſarij, uti etiam votum declinandi certam occaſionem peccandi &c. In his poſterioribus, quia ex dilatione opus bonum minuitur, & quò tardiùs quis incipit, eò pauciores ante mortem actus bonos facit, ideò omnis dilatio, poſtquam ceſſantibus impedimentis commodè votum impleri poſſet, peccaminoſa eſt. Interim quia reſpectu totius vitæ modicum & parum eſt medius annus, vel etiam integer in juvene, aut in re, quæ ex natura

Digitized by Google

ſua non præpropere, ſed cum tempore & occaſione expediri ſolet (v.g. Ingreſſus Religionis &c.) idcircò parvitas materiæ à mortali excuſare poteſt: ſiquidem animus voventis fuit, non ex nunc ſtatim, ſed in futurum indefinitè, vel cùm commodè poterit, id inchoare, quod vovit. Vide Laym. *l. 4. tr. 4. c. 3. n. 5.* Tambur. *l. 3. c. 12. §. 3. n. 7. & ſeq.* Bonac. *diſp. 4. q. 2. p. 5. §. 1. n. 1. & ſeq.*

Priori caſu, cùm ex dilatione ipſi rei ſive operi bono nihil decedat, & aliundè tempus materia aut pars voti non ſit, puta, cùm abſolutè ſine cogitatione de certo tempore unica tantùm peregrinatio, oratio, abſtinentia, eleemoſyna &c. promiſſa Deo eſt: probabile cenſeo cum Tambur. loc. cit. num. 11. & aliis ab eo relatis, nunquam ex dilatione peccari mortaliter, dummodò non ad ultimam ſenectutem, vel eouſque differatur, ut probabile & morale periculum nunquam implendi votum tale ſubſit. Ratio eſt, quia in voto tota obligatio ex propria voluntate & intentione voventis, ſeu obligantis ſeipſum oritur. De hac voluntate autem ſe obligandi ſi non conſtet, præſumptio pro vovente, & pro libertate ſtat: atqui non conſtat, ut ſupponitur, voventem ad certum tempus, annum unum vel duos ſe obligâſſe: ergò præſumi poteſt, quòd non ultrà ſe obligaverit, niſi ad rem ipſam quôcunque demùm tempore præſtandam. Non neſcio, plurimos tenere contrarium apud Laym. loc. cit. & alios, ex ea ratione, quòd, qui homini promittit, cenſeatur fidem fallere, nec ſtare promiſſis, ſi nimium differat implere, quod promiſit: attamen ratio diſparitatis inter Deum & hominem non minùs in promptu eſt: quia nimirum hominis intereſt, promiſſionem tempeſtivè impleri, tum nè donatarius fortè præmoriatur ante donantem, tum propter commodum usûs & fructuum percipiendorum, proin qui tardè dat, minus dat, uti qui citò dat, bis dat &c. Quod in Deo locum non habet,

Digitized by Google

bet, cui cæteris paribus idem, & quantum ex parte operis boni (quod unicè materia voti eſt) æquè meritorium ac Deo gratum eſt, ſive hodie, ſive poſt annum fiat: atque licèt ex modo agendi, ſive ex parte noſtra tutiùs & meliùs, proin etiam Deo gratiùs eſſet, citiùs implere votum, ex hoc tamen non violatio voti, ſed tantùm negligentia, tepor & imperfectio in eo, qui votum diſtulit, inferri poteſt. In praxi propter diverſitatem ſententiarum conſultum erit, inquirere de conſcientia & opinione pœnitentis, an crediderit ſe differendo votum mortaliter peccare, vel non?

Quantum ad alteram partem casûs, an elapſo tempore Voti nihilominùs vovens obligetur perficere, quod vovit, inſpicienda intentio ſive finis voventis, & repetenda, quæ Caſu 48. diximus, an indiviſim opus aliquod bonum, & certa dies in animo voventis fuerit? ſi hoc ita, ſive etiam, ſi finis & intentio voventis ad certum diem tendat, v. g. jejunare die Sabbathi in honorem B.mæ Virginis, ire Romam ad Jubilæum &c. quod tali tempore vel die omiſſum eſt(ſive benè, id eſt ex juſta cauſa, ſive malè)alio die aut tempore impleri non debet, nec poteſt: quia nimirum vovens promiſit talia dependenter à certo tempore, adeóque utrumque per modum unius, ut adeò ejuſmodi vota non aliter obligent, quàm præcepta Eccleſiæ, E. g. Jejunandi in Vigiliis Apoſt. dies feſtos celebrandi &c. quæ præcepta elapſo tempore non ampliùs obligant, ut conſtat.

Secus ſi ſeparatim opus bonum, & dein certum tempus in mente voventis fuerit. V. g. Qui eleemoſynam, peregrinationem, & quidem hæc intra menſem perficere vovit, elapſo menſe de peccato mortali ob violatum ex parte temporis votum ſe accuſare, rem verò principaliter Deo promiſſam deinceps nihilominùs implere tenetur. Cùm enim duo ſeorſim, & non indiviſim ſeu per modum unius in vo-

Digitized by Google

in voto fuerint peregrinatio & tempus, hôc licèt prælapſô, illa etiamnum perfici poteſt, adeóque etiam debet.

„ Q. An qui non poteſt votum perſolvere præfixo tem„pore, teneatur vel poſſit illud prævenire? R. 1. Si tem„pus certum ſignatè fuit determinatum ad votum implen„dum, non poſſe à vovente licitè id præveniri. Unde qu„vovit jejunium in vigilia v. g. Aſcenſionis Domini non po„teſt illud prævenire alio die jejunando. Ratio eſt, quòd „præceptum adimplendum ſit, dum obligat, ut conſtat, „e. g. de auditione Miſſæ die feſto: atqui ejuſmodi votum „non obligat, niſi certo præfixo tempore: ergò. R. 2. Si „certum tempus ſit determinatum per modum termini „præcisè, ſcilicet nè votum ulteriùs differatur, poterit illud „laudabiliter præveniri. Sic qui vovit trium dierum je„junium ante finem anni peragendum, quo citiùs id pera„git, eò laudabiliùs facit. Ratio eſt, quòd integrum „tempus pro obligatione exſolvenda currat: adeóque quo „citiùs eidem ſatisfit, eò melius fit. R. 3. Qui in hoc po„ſteriori caſu prævidet, impedimentum ſuperventurum, „nè votum in fine, ſive præfixo termino implere poſſit, „teneri illud prævenire ſeu anticipare: Ut cum D. Tho„ma. *in 4. diſt. 38. q. 1. a. 3. q. 1. ad 7.* docet communis. Ra„tio eſt, quòd in ſingulis currentis temporis particulis cur„rat obligatio voti: ergò qui prævidet impedimentum in „partibus poſterioribus hujus temporis, tenetur in parti„bus anterioribus ſuum adimplere votum: velut, qui præ„videt die dominica, quòd hora 10. non ampliùs poſſit au„dire Sacrum, tenetur id anticipare, ſeu citiùs audire, uti „communis tenet Theologorum.

CA-

Digitized by Google

CASUS LI.

RUſticus fugiens inſequentes ſe milites ex metu votum peregrinationis emittit, quid cenſendum de votis ex hoc vel alio metu factis?

RESOLUTIO.

TRitum & ſuo ſenſu verum eſt, vota ex metu facta non obligare, ſi metus ab extrinſeco incuſſus ſit. (*A.*) Sed hoc intelligendum, ſi metus & violentia extrinſeca hoc ipſo fine incutiatur, & inferatur, ut alter votum emittat, v. g. ingrediendi Religionem, quod aliàs non emitteret: tunc enim votum ejuſmodi, utpote extortum nec ſpontaneum, à Deo non acceptatum, proin irritum (*B.*) cenſetur. Clavis Regia *l. 6. c. 4. n. 17.* Azor *1. p. l. 11. c. 15. quæſit. 6.* Filliucius *tr. 26. c. 1. n. 10.* & communiter DD.

Aliud dicendum, ſi metus alio fine incutiatur, ut in caſu poſito: tunc enim quia vovens in his circumſtantiis & neceſſitate præſenti ipſum votum liberrimè & ſua propria electione pro medio evadendi periculum apprehendit, & eligit, omninò ſervare tenetur. Nec obſtat, quòd non voviſſet, niſi violentiam & metum paſſus eſſet, hoc enim etiam contingit in eo, qui in periculo naufragij, tempore peſtis &c. votum emiſit, quos tamen votis ſuis obligari indubium eſt, quia nimirum ſatis eſt, votum ſecundùm ſe & in his circumſtantiis, quibus emiſſum eſt, propriâ voluntate & liberâ electione voventis factum, nec per alium extortum eſſe. Ut denuò docet communis tam Canoniſtarum, quàm Theolog.

„ (*A.*) Q. 1. Quid requiratur, ut metus votum reddat „ invalidum? R. Debere inprimis eſſe metum gravem, ſeu „ qui virum prudentem & conſtantem meritò concutere „ poſſit: qualis ex triplici capite cognoſci poteſt. 1. Ex „ objecto, ut ſi malum intentatum ſit valde grave: e.g. Mors,

„ gra-

„ gravis cruciatus, captivitas, infamia carceris, amiſſio „ ſtatûs, vel magnæ partis bonorum &c. Ut habetur *in Tit.* „ *de ijs, quæ vi met.* 2. Ex parte modi: ut ſi metus incutia„ tur ab armato, vel aliàs valde feroci & ſævo. 3. Re„ ſpectu ſubjecti. Nam metus reſpectu fœminæ vel puellæ „ poteſt eſſe gravis, qui reſpectu viri ſolùm ſit levis. Se„ cundò. Debet eſſe à cauſa extrinſeca liberâ. Si enim me„ tus utut gravis proveniat vel à cauſa intrinſeca, ut morbo; „ vel à cauſa extrinſeca, ſed non libera, ut feris &c: vel à „ cauſa naturali, ut tempeſtate &c: Valori voti nullatenus „ obſtat, quia in his caſibus votum ſpontè eligitur, & emit„ titur, ut jam dictum in caſu. Tertiò. Debet metus incuti „ in ordine ad extorquendum votum, & inſuper hoc ipſum „ debet à vovente adverti & cognoſci; quoniam aliàs, ut „ jam ſæpiùs dictum, ipſemet liberè ac ſpontè eligit votum, „ ac conſequenter eodem quoque obligatur. Bonac. Ful„ lienſ & alii communiter.

„ (*B.*) Q. 2. An vota gravi & injuſto metu extorta ipſo „ Jure naturæ, vel ſolùm Jure poſitivo Eccleſiaſtico ſint ir„ rita? R. cum Valent. Sanch. & communiori ſententia. „ Dicta vota probabiliùs Jure naturæ eſſe valida & ſolùm „ irrita Jure Eccleſiaſtico. Ratio eſt, quòd ad ſubſtantiam „ & eſſentiam voti plùs non requiratur, quàm ut id fiat Deo „ de meliori bono tantâ libertate, quæ ſufficit ad peccan„ dum mortaliter: atqui hæc omnia ſubſiſtere poſſunt, & „ ordinariè ſubſiſtunt non obſtante gravi & injuſto metu, „ ut nemo facilè negare poterit: ergò &c. Eſſe autem ir„ rita Jure Eccleſiaſtico habetur ſatìs clarè in S. Canonibus „ *c. Perlatum. de ijs quæ vi &c. c. Sicut qui Monaſteria. 20. q. 1.* „ *c. Præſens. 20. q. 3.*

CA-

Digitized by Google

CASUS LII.

QUidam Conjugatus peregrinationem Æthingam, ſimúlque Vaccam unam ibi offerre vovit: at reclamat, & proteſtatur Uxor, nec Virum, nec Vaccam dimittere volens. Aliâ vice Uxor ſimile votum facit, & contradicit Maritus etiam quoad utrumque: Quid Juris?

RESOLUTIO.

REgulam accipe. Qui & quatenus rem aliquam homini promittere & donare poteſt validè & licitè, is etiam per votum Deo eandem promittere poteſt; & ſi taliter promiſit, ſtare promiſſis tenetur, utut conjunx, liberi &c. contradicant. Cùm igitur maritus rei domeſticæ curam & poteſtatem habeat, ut homini v.g. pauperi vel amico pecunias, vaccam &c. donare poſſit (dummodò, quod pro exceptione notandum, aliunde habeat, ut familiam alat, & congruè ſuſtentet &c.) etiam per votum Deo donare poteſt. Similiter cùm invitâ etiam uxore ad aliquot dies, vel etiam ſeptimanas domo abeſſe, amicum inviſere, aliave ſua, aut alterius negotia, relictâ tantisper uxore, curare poſſit; etiam peregrinationem inſtituere, & inſtituendam Deo per votum promittere poteſt. Clavis Regia *lib. 6. cap. 5. num. 9. & c. 10. n. 20. Greg. de Valent. tom. 3. diſp. 6. q. 6. p. 6.* Azor & alij.

Aliud dicendum de uxore, quæ ſub poteſtate viri eſt, nec adminiſtrationem rei domeſticæ habet, niſi quatenus maritus lubens permittit, nec invito viro etiam ad unum diem domo excedere poteſt, ſi vir hoc æconomiæ quocunque modo damnoſum judicet, & rationabiliter contradicat: ergò nec voto ſe ad hoc obligare poteſt, niſi ſub conditione expreſſa vel tacita, ſi maritus conſentiat: ſecùs enim ſi abſolutè voveret, velit, nolit maritus &c. rem non licitam ſibi, proin nulliter voveret. Ita qui priùs.

Digitized by Google

„ Q. Quænam vota poſſint ſibi invicem irritare conjuges?
„ R. 1. Etſi probabilis ſit ſententia Tambur. *lib. 3. c. 16. §. 3.*
„ *n. 48.* Soti & quorumdam aliorum aſſerentium, omnia vo-
„ ta uxoris poſſe indiſcriminatim à marito irritari, eò quòd
„ vir ſit caput uxoris, adeóque hujus voluntas plenè cen-
„ ſeatur ſubjecta dominio mariti &c. communior tamen &
„ probabilior eſt ſententia Navar. Teſſ. Valent. Azor. Sayri.
„ Sanch. Bonac. Laym. & plurium aliorum: Maritum poſſe
„ quidem irritare vota uxoris, quæ ipſi præjudicant quoad
„ uſum matrimonij, educationem filiorum, & gubernatio-
„ nem familiæ; non tamen reliqua, in quibus uxor vel ſui
„ Juris eſt, vel ſaltem non præjudicat marito: qualia ſunt e.g.
„ Eleemoſyna ex bonis paraphernis, moderatæ preces, S.
„ Communio, unius diei jejunium &c. quibus aliqui addunt
„ etiam votum non petendi debitum conjugale (niſi forſan
„ nimis oneroſum ſit marito ſemper petere) quia nimirum
„ conjunx conjugi non obligatus ad conjugij uſum peten-
„ dum, ſed ſolùm ad reddendum petenti. R. 2. Uxorem
„ quoque poſſe irritare vota mariti, quæ vel uſui matrimo-
„ nij, vel ejuſdem Juri præjudicant, ut ſunt longæ peregri-
„ nationes, quæ magnâ abſtinentiâ vires notabiliter debili-
„ tant &c. quibus addit Tambur. immoderatas eleemoſynas
„ in damnum familiæ &c. Ratio eſt, quòd conjuges quoad
„ ſimilia cenſeantur eſſe pares, & æquali gaudere Jure. Ita
„ Leſſ. Navar. Filliucius, Sotus & alij apud Clavem Regi-
„ am lib. 6. c. 10. n. 20. R. 3. Neutrum ex conjugibus
„ abſque conſenſu alterius poſſe votum continentiæ emittere
„ abſolutè; uti colligitur ex *c. Quidam. & c. Placuit. de Con-*
„ *verſ. Conjug.* Si tamen id fiat cum mutuo conſenſu, utri-
„ uſque votum valebit, nec ampliùs ab alterutra parte, ali-
„ quando forſan contradicente, irritari poterit. Ut docet S.
„ Aug. *Epiſt. 70.* ad Bonif. & *Epiſt. 119.* ad Editiam. ac re-

„ fer-

„ fertur in *c. Quod Deo. 33. q. 5.* Ratio eſt, quòd utraque „ pars mutuo pacto renuntiaverit juri ſuo.

CASUS LIII.

RElígioſus vovit quotidie recitare unum Roſarium, ſed quia hoc inſcio ſuo Prælato factum, ideò implere negligit. Et quid ſi filiusfamilias, vel aliquis conjugatus vel conjugata ſimile votum emiſiſſent, numquid irritum eſſet, vel irritari poſſet?

RESOLUTIO.

VOta Religioſorum etiam merè perſonalia, & tametſi religioſo Statui vel regulari Obſervantiæ nihil obſtent (excepto voto arctioris Religionis) per ſuperiorem (*A.*) irritari poſſunt. (*B.*) Similiter vota impuberum, ſcilicet à filio ante 14.um aut à filia ante 12.um ætatis annum facta, indiſtinctè irritari à patre poſſunt, idque non tantùm intra, ſed etiam poſt annos pubertatis (niſi tunc de novo repetita & renovata ſint, quod idem eſſet ac de novo vovere.) Ratio communis eſt, quia Religioſus & filius impubes non ſui juris, ſed per omnia & in omnibus ſubeſt directioni Superioris & patris, nec diſponere quidquam poteſt, etiam in merè perſonalibus, niſi ſub tacitâ conditione, ſi pater vel Superior conſentiat. Ut docet D. Th. *2. 2. q. 88. a. 8. ad 3. & 4.*

Econtra vota filiorum poſt annos pubertatis facta tunc irritari poſſunt, quando præjudicant poteſtati patriæ: ut ſi expenſas requirant, aut longam abſentiam &c. item quando ſubeſt periculum vitæ, ſanitatis, perverſionis, aut malæ educationis &c. de quibus cura & directio patri competit circa filios. Aliud dicendum, ſi filius caſtitatem, aut Statum religioſum vel certas preces: aut etiam ſi in tempus, quo ſui juris erit, eleemoſynas, aut quidvis aliud voveat. Ut denuò

N 2 docet

docet D. Thomas *loc. cit. ad 2.* Nav. *c. 12. n. 64.* Laym. *l. 4. tr. 4. c. 7. n. 13.*

De votis Conjugum pari modo, ſicut Caſu præcedenti jam dictum, judicandum, ut ſcilicet, quæ marito præjudicant, ſive quoad ſtatum & uſum matrimonij, ſive etiam quoad regimen œconomicum irritare poſſit, quia quoad utrumque jus & directionem habet. Uxor econtra ea tantùm, quæ matrimonio obſunt, quoniam quoad hoc uxor jus in virum ſolummodò habet juxta illud Divi Pauli *1. Cor. 7. Similiter & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Cæterùm ubi votum tantùm irritari poteſt, obligat voventem, antequam & quouſque irritetur, quia ſtante ſemel obligatione ea perdurat, uſquedum legitimè tollatur. Secùs ſi per ſe irritum aut nullum ſit: cujuſmodi cenſendum, ſi de re aliena, impoſſibili, aut quæ nullo modo in poteſtate voventis eſt, fiat: v. g. ſi Religioſus de bonis Monaſterij, filius de bonis paternis eleemoſynam voveat. Vide Sayr. *l. 6. c. 5.*

„ (*A.*) Q. 1. An non ſolùm Prælati ſuorum Religioſorum, ſed etiam Abbatiſſæ vota ſuarum Monialium poſſint irritare? R. Abbatiſſas non poſſe quidem diſpenſare, aut commutare vota ſuarum Monialium, poſſe tamen probabiliùs irritare ſaltem ea vota, quæ ordinario earum regimini præjudicium afferunt. Ratio prioris eſt, quia diſpenſatio & commutatio originem trahunt à poteſtate juriſdictionis, quâ juxta receptam ſententiam carent Abbatiſſæ. Ratio poſterioris eſt, quia irritatio ſolùm ſupponit poteſtatem dominativam, quâ Abbatiſſæ gaudent vi obedientiæ & Profeſſionis Religioſæ, per quam Moniales ita ab iis dependent, ut ſine earum conſenſu firmiter obligari non poſſint. Ut docet Suarez *lib. 6. de Relig. c. 7. n. 19.* Tambur. *lib. 3. c. 16. §. 4. n. 9.* & plures ab his relati.

„ (*B.*) Q. 2. An Superior dans licentiam vovendi. vo-

„ túm-

„ túmque Religioſi approbans, nihilominùs poſſit illud „ poſtmodum irritare? R. cum Navarro *c. 12. n. 73.* Clavi „ Regia *lib. 6. c. 10. n. 12.* Bonac. *diſp. 4. q. 2. p. 7. §. 2. n. 28.* & „ aliis affirmativè. Ratio eſt, quòd Superior per talem li- „ centiam, vel etiam ratihabitionem aut confirmationem „ non amittat ſuam jurisdictionem & poteſtatem in ſubdi- „ tum, utpote quâ non poteſt ſe abdicare: ergò ſemper vo- „ tum ſubditi poteſt irritare non obſtante priori ſuo con- „ ſenſu & approbatione: quamvis id ſine juſta cauſa facien- „ do ſaltem peccet venialiter, eò quòd impediat ſuo mo- „ do cultum divinum, ut monent citat. AA.

CASUS LIV.

ALiquis ante menſem vovit peregrinationē in Montem ſanct: Andex communiter dictum: nunc audiens vias propter milites minùs tutas, cogitat relicto Monte ſanct: aliò ire v. g. in Etal, etiam celeberrimæ peregrinationis Ord. noſtri Monaſterio. Alius econtra vovit ire in Etal: ſed quòd via aſpera & montoſa, aut quòd ibi hoſpitium incommodum ſit &c. ad aliam æquè diſſitam ædem B.mæ Virginis peregrinationem inſtituere meditatur melioris viæ & hoſpitij causâ. Tertius voto promiſit vitulum naſciturum B.mæ Virgini in ſua Parochia, quia verò modò educare eundem placeret, intendit vel pretium, vel alium vitulum offerre. Conſilium & auxilium Confeſſarij omnes iſti requirunt.

RESOLUTIO.

UTi certum ex communi ſententia Theologorum eſt, votum (niſi ſit ſpecialiter reſervatum, aut in favorem tertij factum, ab eóque actualiter acceptatum) commutari poſſe in majus & melius, ídque cum vel etiam ſine appro-

batione Confeſſarij, ita in votis diverſi generis incertum & dubium ſemper manet, quodnam melius, vel etiam æquale ſit: v. g. an melius peregrinari, quàm jejunare: orationes facere, quàm eleemoſynas dare &c. Neque ex dignitate objecti, aut præcellentia Virtutis cujus actus in voto eſt, ſed omnibus conſideratis, maximè etiam fine voventis, puta, quòd cauſa mortificationis peregrinationem, cauſa extirpandi vitium avaritiæ, luxuriæ &c. eleemoſynas, aut jejunia voverit, ritè in conſiderationem deducendo, opus novum, in quod commutatio fit, melius, & non tantùm ſecundùm ſe, verùm etiam reſpectu voventis hìc & nunc majus, Deóque gratius eſſe debet. Ut benè obſervant Bonac. loc. priùs cit. *§. 3. n. 4.* Tambur. *l. 3. c. 16. §. 6.* Leſſius, Sayrus & alij.

Proinde qui talem commutationem voti in aliud omninò diſparati & diverſi generis deſiderat, rectiùs Epiſcopum, qui uti diſpenſare, ita etiam in minus bonum commutare poteſt, adibit. Confeſſarius non facilè talem commutationem attentabit, niſi ad hoc vel ſpecialiter privilegiatus ſit, vel cùm tempore Jubilæi ſpecialem poteſtatem vota commutandi accipit: hæc enim poteſtas eò intelligitur, quòd pro tunc etiam in dubio votum unum in aliud, quod ſuo judicio vel melius, vel æquale judicat, commutare poſſit. ut docent Suarez *l. 6. c. 19. n. 7.* Laym. *tr. 4. c. 8. n. 24.* Navar. *c. 12. n. 63.* Clavis Regia *l. 6. c. 12. n. 9.* Azor. Reginaldus contra Bonac. Leſſ. & alios, volentes tunc etiam poſſe Confeſſarium commutare in minus. In eodem autem genere, aut ubi unum opus bonum in altero eminenter continetur, uti facilè apparet, quid melius, ita ſine ſcrupulo Confeſſarius commutationem permittere poteſt, ſi majoris perfectionis, laboris aut mortificationis, proin majoris meriti, & Deo gratius videatur opus ſecundum, quàm primum.

An in æquale commutare poſſit vovens ipſe, ſpeculativè qui-

Digitized by Google

quidem utraque ſententia probabilis eſt, ut videre eſt apud Bonac. *diſp. 4. q. 2. p. 7. §. 3. n. 8.* Communior tamen ac certior eſt ſententia, quam etiam tenet D. Thomas *q. 88. art. 12.* requiri authoritatem Prælati Eccleſiaſtici, ſeu legitimi Superioris: tum quia commutans cenſetur vices Dei gerere: tum quia commutatio cenſetur actus jurisdictionis. Quòdſi dubium ſit, an id, in quod fit commutatio, verè ſit æquale nec nè, nullatenùs licet voventi propriâ authoritate commutare: tum quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, poſſeſſio autem ſtet pro voto: tum quia non conſtat, an Deo hoc æquè ſit gratum quàm priùs, adeóque an acceptet vel non?

Igitur ad Caſum propoſitum 1. Andecenſem peregrinationem in Etalenſem ceu longiorem & difficiliorem adeóque Deo gratiorem commutare licebit: nec obſtat, quòd propter timorem & periculum militum hodie difficiliùs foret ire in montem S. Andec. &c. Nam hoc periculum uti tempore voti non fuit, ita nec materia & pars voti fuit, ſed merè extrinſecè ad votum & peregrinationem promiſſam ſe habet, cùm primùm ex poſtfacto præter opinionem ſupervenerit, ac proin vovens hoc periculum ſubire non teneatur, ſed juſtè ex hoc ipſo votum ſuum differre poſſet. 2. At econtra propter viarum aſperitatem aliáſve difficultates, quæ etiam tempore voti jam fuerunt, non licet aliò pro majori commoditate peregrinationem dirigere, ipſa enim aſperitas & incommoda pars & materia voti fuêre, ſive explicitè, ſi præcognita: ſive implicitè, ſi abſque indagatione vel reſtrictione abſolutè in Etal peregrinatio fuit promiſſa. 3. Loco rei promiſſæ pretium offerre ſemper periculoſum eſt, uti enim pretia rerum incerta, nec in indiviſibili conſiſtunt, ita plerumque in cauſa propria iniqui æſtimatores ſumus: ergo ſuadendum, ut vitulum aut rem

ex vo-

Digitized by Google

ex voto promiſſam vovens Eccleſiæ ſiſtat & offerat, ac poſteà cum iis, quibus jus & authoritas eſt, tractet, liberóque & ciali contractu emat ſeu redimat.

„ Q. Quanta ad commutationem voti requiratur cauſa, ut „ licitè & validè fiat? R. 1. Ad hoc, ut votum commutetur „ in melius, nullam requiri cauſam. Cùm enim ipſum opus „ ſubrogatum Deo gratius ſit, ſufficientem cauſam commu- „ tandi ex ſe præbet. Eſt communis. R. 2. Ut commutatio „ fiat in opus æquale aut minus tam validè quàm licitè, re- „ quiri aliquam cauſam. Ita Suarez. *lib. 6. c. 19. n. 5.* Laym. *tr.* „ *4. c. 8. n. 22.* Illſung de Relig. *Vot. a. 6. n. 152.* Ratio eſt, „ quòd commutans gerat vices Dei, ejúsque conſenſum in- „ terpretetur: adeóque oportet, ut aliqua rationabili cauſa „ dirigatur, & non merè ex beneplacito procedat. R. 3. „ Cauſa ſufficiens ad licitè & validè commutandum vota non „ debet eſſe adeò gravis: in qua tamen aſſignanda ob diverſi- „ tatem circumſtantiarum non conveniunt AA. communiter, „ teſte Illſung loc. cit. Admittitur hæc, quòd petens commu- „ tationem ſperet, ſe materiam ſubrogatam majori cum fru- „ ctu & alacritate Deo exhibiturum. Vide Clavem Regiam „ *lib. 6. c. 12. n. 27.* & ſeqq.

CASUS LV.

NOnnemo votum ſimplex Caſtitatis, & inſuper varias peregrinationes &c. in adoleſcentia vovit parùm circumſpectè, nunc experitur magnam difficultatem cum periculo peccandi & contra votum agendi: conſulit, an non diſpenſatio obtineri poſſet, & à quo? De hoc ipſo deinde anxius eſt, an bona conſcientia diſpenſationem petere, & procurare valeat?

RE-

Digitized by Google

RESOLUTIO.

Cùm Diſpenſatio petenda eſt, facilè ſe expediet Confeſſarius, remittendo pœnitentem ad Epiſcopum, qui in votis omnibus, niſi ſpecialiter Summo Pontifici reſervata ſint, diſpenſare poteſt. (*A.*) Ut communis tenet DD. modò adſit juſta cauſa diſpenſandi, nec vota ſint facta in favorem tertij, ab eóque acceptata. Solùm monere debet, ut is, qui diſpenſationem deſiderat, fideliter & veraciter cauſas & circumſtantias Epiſcopo aperiat: quo facto Epiſcopi erit de cauſæ ſufficientia cognoſcere. Et ſi diſpenſet cauſis fideliter ſine ſimulatione aut veritatis occultatione ſignificatis, tutus alter in conſcientia erit. Porrò vota defactò S. Pontifici reſervata ſunt: Vota Religioſorum ſolemnia: Votum ingrediendi Religionem: item Caſtitatis perpetuæ. Denique Vota peregrinandi Romam, Compoſtellam aut Jeroſolymam. Plura ſine dubio reſervari poſſent, ſed defactò alia reſervata non cenſentur, ut paſſim videre eſt apud AA.

„(*A.*) Q. 1. Quinam omnes habeant poteſtatem diſpenſan„di in votis ordinariam, vel delegatam? R. 1. Primariò ac „generaliter pro toto orbe ex Jure Divino reſidere poteſta„tem diſpenſandi in votis in S. Pontifice tanquam Chriſti Vi„cario, ac legitimo D. Petri Succeſſore. juxta illud *Matth.* 16. „*& 18. Tibi dabo claves Regni Cælorum: & quodcunque ſol„veris &c.*

„Præter hunc poteſtate ordinaria (reſpectu tamen ſuorum „duntaxat Subditorum, atque exceptis votis reſervatis) gau„dent Epiſcopi atque Archi-Epiſcopi (qui etiam diſpenſare „poſſunt in votis ſuorum Suffraganeorum, ſed non cum ſub„ditis eorundem, niſi per viam appellationis aditi fuerint. Te„ſte Laym. hìc *c.* 8. *n.* 7.) Abbates habentes propriam Diœ„ceſin, Prælati Regulares Exempti, Pœnitentiarij S. Pontifi„cis &c. & Legati à Latere in ſua Provincia. Ita Laym. Sua-

„ rez. Sanch. & Multi ab his relati. R. 2. Delegatâ diſpen-„ ſandi poteſtate ſoli fermè gaudent Religioſi, & quidem Con-„ feſſarij Ordinum Mendicantium, ac qui participant in eorum „ Privilegiis habent poteſtatem delegatam diſpenſandi in om-„ nibus votis, vel ea commutandi, ex conceſſione variorum „ Pontificum, in quibus de Jure ordinario diſpenſare poſſunt „ Epiſcopi, excepto voto Peregrinationis ultra duas dietas, ut „ refert Herincx *diſp. 4. de Voto. q. 6. n. 66.* Virg. Alviſet. *ſect.* „ *3. ∂. 3. n. 8.*

„ Ex conceſſione autem Martini V. poteſtatem diſpenſandi „ & quidem in omnibus votis (exceptis reſervatis S. Pontifi-„ ci) habent RR. PP. Benedictini, & qui eorum privilegia par-„ ticipant: ut refert Illſung *tr. 5. diſp. 1. q. 3. a. 5. n. 144.* In-„ ſuper à Pio V. vivæ vocis Oraculo conceſſum fuiſſe Confeſ-„ ſariis Mendicantium, eorúmque Privilegia participantibus „ diſpenſare in petitione debiti cum conjugibus, qui vel ante „ contractum matrimonium emiſerunt votum ſimplex Caſti-„ tatis, vel poſt contractum commiſerunt inceſtum cum alte-„ rius conjugis perſonâ conſanguineâ intrà ſecundum gra-„ dum (ſi tamen tales Confeſſarij fuerint Viri docti, atque ad „ hoc à ſuo Prælato vel Provinciali deputati: quæ quidem „ deputatio juxta conceſſionis tenorem fuit neceſſaria) no-„ tat Herincx *cit. diſp. 4. n. 68.* & Portel. *in dubiis Regu-„ lar. V. Confeſſor. n. 23.*

„ Præter hos, ſi quibuſdam vel ex privilegio S. Pontificis, „ vel ex delegata poteſtate diſpenſandi in votis poteſtas com-„ petat, quiſque per ſe nôrit, ac juxta conceſſionem ſibi fa-„ ctam ſe accommodare poterit.

„ Q. 2. Quænam requiratur cauſa ad diſpenſandum? „ R. Ut Diſpenſatio non tantùm ſit licita, ſed etiam valida, „ requiri juſtam diſpenſandi cauſam. Ita D. Thomas *2. 2. q.* „ *88. a. 12.* Suarez *l. 6. c. 17. n. 2.* Laym. *l. 4. tr. 4. c. 8. n. 4.*

„ cum

„ cum communi DD. Ratio eſt, tum quia hæc poteſtas „ conceſſa eſt Prælatis Eccleſiæ in ædificationem, non in de„ ſtructionem, ut loquitur Apoſt. 2. *Cor.* 5. tum quia diſ„ penſatio præjudicat Juri Superioris, cujus voluntatem mu„ tandi non cenſetur inferior habere poteſtatem, niſi ex ju„ ſta & ſufficienti cauſa. Cauſæ autem juſtæ & ſufficientes „ cenſentur: 1.ma Si votum ſit factum absque prudenti & „ perfecta deliberatione, ut in ira, metu, mœrore, tenerâ „ ætate &c. Arg. c. 2. de Vot. 2.da Deſumitur ex materia „ voti, ſi nimirum voventi ſpectata corporis conſtitutione „ & naturæ fragilitate periculum animæ immineat, ita, ut „ diſpenſatio ad ſpiritualem ejus utilitatem, quæ præcipuè „ hîc ſpectanda eſt, cedat. 3.tia Oritur ex magna difficulta„ te exequendi voto emiſſo ſuperveniente, vel ante emiſſum „ non prævisâ. 4.ta Poteſt eſſe magna utilitas vel neceſſitas „ Reipublicæ, aut Familiæ. Unde benè Innocentius III. re„ latus *in c. Magnæ.* de Vot. ait, in materia diſpenſationis tria „ eſſe conſideranda. *Quid liceat ſecundùm æquitatem. Quid* „ *deceat ſecundùm honeſtatem, & quid expediat ſecundùm* „ *utilitatem.* Vide ulteriùs, ſi placet, Laym. loc. cit. Sua„ rez. ac plures ab his relatos.

IN TERTIUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

Memento, diem Sabbati ſanctifices.

IN Præceptorum Decalogi ſerie meritò tertium ſibi vendicat locum Sanctificatio Sabbati, qua jubemur poſt fidelitatem & reverentiam

 in pri-

in primo & 2.do præcepto Deo promiſſam, etiam famulatum ſeu cultum externum eidem exhibere. quoniam Deus vel fruſtra nobis revelaretur, vel nos ipſi ejuſdem Religionem fruſtra amplecteremur, ſi nullo cultu & obſequio etiam externo id ipſum teſtaremur. Quod S. Thomas *2. 2. q. 122. a. 4.* declarat dicens: *Remotis impedimentis vera Religionis per 1. & 2. Præceptum Decalogi* (ſcilicet Idololatriâ, ſuperſtitionibûs & irreverentiâ Divini Nominis) *conſequens eſt, ut 3. Præceptum poneretur, per quod homines in vera Religione fundarentur: ad quam pertinet cultum Deo exhibere. Et quia ad interiorem cultum, qui conſiſtit in Oratione & Devotione, magis inducitur homo ex interioris Spiritûs S. inſtinctu, præceptum Legis dandum fuit de exteriori cultu.* Sub quo cultu exteriori potiſſimùm intelliguntur ea, quæ hodie circa obſervationem certorum dierum & temporum ſacrorum ſpecialiter præcepta aut prohibita ſunt, ſive quæ in 5. Præceptis Eccleſiæ comprehenduntur, quorum primum eſt

Statutos Dies feſtos ab operibus ſervilibus abſtinendo celebrare. De quo

CASUS LVI.

AD Parochum pro deciſione refertur diſputatio & quæſtio orta in communitate inter Venatores, Piſcatores, Pictores, Scribas, Nuntios, Aurigas, & plures alios, an operi quisque ſuo vacare poſſit die feſto, idque etiam lucri & quæſtûs cauſâ?

RESOLUTIO.

DIſtinguendo & exactiùs perpendendo naturam operis die feſto peragendi, hæ & omnes ſimiles controverſiæ decidendæ ſunt. Nimirùm 1. Alia ſunt opera ex ſe propriè liberalia, puta, quæ ingenio principaliter, non manibus niſi

niſi ſecundariò exercentur: vel quæ ad excolendam mentem propriam aut alienam ſerviunt, inter quæ maximè numerantur, quæ ad ſeptem artes liberales pertinent, & hæc ſemper licita ſunt (exceptîs quibusdam în Jure expreſsîs(*A.*)) utut laborioſa, atque etiam propter quæſtum fiant, v. g. ludere cheli etiam ad ſudorem, & totâ die, menſurare agros, examinare ratiocinia &c. quia Muſica, Geometria, Arithmetica, artes liberales ſunt; ex conſuetudine tamen & communiori etiam ſcribere aut deſcribere ad primam artem liberalem Grammaticæ revocantur: ideò etiam quæſtûs causâ prohibitum non eſt ſcribere die feſto. Ut docent Cajetanus, Navar. Clavis Regia, Laym. Bonac. Tambur. & alii. 2. Alia ſimpliciter & ex ſe mechanica ſunt, ut opera Ruſticorum, Operariorum, & Opificum. Hæc niſi ſpecialiter excuſentur, ſemper ſunt prohibita, etiamſi non lucri causâ fiant: uti conſtat tum ex *Levit. c. 23.* ubi dicitur: *Omne opus ſervile non facietis in eo.* Tum ex communi Eccleſiæ uſu & conſenſu DD. Alia ſunt mixta, ex parte liberalibus, & ex parte mechanicis accenſenda, v. g. venari, piſcari, pingere &c. Et hæc licent ſecundùm id, quod liberale eſt, & quatenus iiſdem nulla opera ſervilia immiſcentur, v. g. venari canibus, ſclopeto aut venabulo conficere feras licet. At per notabilem partem diei feſti retia laborioſè parare, arbuſta reſecare &c. non licet. Eadem ratione piſcari hamo, aut eo modo, quo etiam homines ingenui recreationis causâ ſolent, licitum eſt: at piſcinam expiſcari, aut aliàs laborioſo nimis & ſolis mercenariis proprio modo & more, non licet. Ut paſſim docent AA. Pingere imagines per ſe licere probabile eſt juxta Laym. Medin. Tambur. & alios. Tum quia pictio æquè ac ſcriptio in ducendis lineis ac figuris conſiſtit: tum quia Pictores in pingendo æquè ac Studioſi in ſtudendo animi voluptate capiuntur. Quamvis contra-

rium, quod cum Bonac. *diſp. 5. quæſt. unica, p. 2. n. 25.* docent Sayrus, Suar. Azor. Filliuc. cum pluribus aliis probabilius videatur: tum quòd hoc opus ordinariè fieri ſoleat ab iis, qui aliis inſerviunt, atque idcircò ſervile cenſeatur: tum quòd reſpiciat opus de ſe ſenſibile, & externum artefactum, principaliter non ordinatum ad inſtruendum animum. Certum eſt apud omnes, colores laborioſè terere & parare, aliáque, quæ in hac arte operariis potiùs demandari ſolent, facere non licere. 4. Alia quaſi neutrum, nec propriè opera, ſed actiones hominum ſunt, quæ nec ingenioſè nec tamen etiam Ruſticis, Operariis, aut Opificibus propriæ, ſed ex natura ſua indifferentes ſunt, inſuper nullum opus poſt ſe relinquunt; unde nec mechanicis, nec liberalibus operibus accenſentur, ſed quaſi omninò pro operibus non habentur. Talia ſunt iter facere, ſive pedibus, ſive equo, jumentum onuſtum præcisè ducere vel comitari, navi vehi &c. quæ proinde ex ſe, & ſecluſo apparatu ſerviliter laborioſo, diebûs feſtîs etiam lucri causâ peragere licet: quia ex vi hujus præcepti Eccleſiæ tantùm prohibentur opera ſervilia, quæ propriè opera & ſimul ſervilia, ſicut ruſticorum, operariorum, aut Opificum ſunt. Ut docent præcitati AA. & communis Senſus Eccleſiæ.

„ (*4.*) Q. Quænam præter opera ſervilia & mechanica
„ ſpecialiter ipſo Jure die feſto ſint prohibita? R. Hæc no-
„ bis indicari *c. 1. de Feriis.* Ubi Pont. *Omnes Dies Dominicos*
„ (idem dic de feſtivis) *à veſpera in veſperam cum omni ve-*
„ *neratione decernit obſervari, & ab omni illicito opere abſti-*
„ *nere: ut in iis mercatus minimè fiat, neque placitum, neque*
„ *aliquis ad mortem vel ad pœnam judicetur: nec Sacramenta,*
„ *niſi pro pace vel alia neceſſitate præſtentur.* Quæ tamen
„ *cap. ult.* limitantur: *Niſi neceſſitas urgeat, vel pietas ſua-*
„ *deat.* Nomine igitur *Placiti* intelligitur omnis actio, ſeu
„ ſtre-

Digitized by Google

„ ſtrepitus judicialis tam in cauſis civilibus, quàm criminalibus utriusque Fori Civilis & Canonici. Nomine autem ipſius actionis judicialis communiter comprehendunt DD. 1. Citationem Rei vel partis ad diem feſtum. 2. Examinationem teſtium. 3. Depoſitionem & receptionem juramenti. 4. Prolationem ſententiæ & hujus executionem. Ab hac tamen prohibitione neceſſitas & pietas excuſant, ut dictum. Unde diebus feſtis licita & valida ſunt judicia pupillorum, viduarum, & miſerabilium perſonarum celebrata in eorundem commodum, ne litis dilatione ſumptus facere, & alia incommoda ſuſtinere cogantur &c. Vide Bonac. *diſp. 5. q. un. p. 2. n. 10.* fusè de his tractantem. Nomine mercatûs intelliguntur celebriores annuæ, vel etiam hebdomatim in urbibus fieri ſolitæ nundinæ, tum contractus ſolemnes & Judicis authoritate faciendi. Si alicubi forſan contrariæ vigeant conſuetudines, præſertim quoad nundinas, easdem, monet Laymannus, eſſe ſaltem in tantùm moderandas, ne negotiationes fiant ante rem divinam.

CASUS LVII.

EAndem quæſtionem movent Coqui, Piſtores, Laniones, Hortulani, Molitores, Paſtores, Barbitonſores: Item Opifices aut Ruſtici materiam vel inſtrumenta in diem ſequentem præparantes: quibus accedunt, qui nuces, ceraſa, aut poma &c. etiam lucri causâ (*A.*) die feſto colligunt.

RESOLUTIO.

HÆc & ſimilia ex ſe mechanica & opificum aut mercenariorum opera ſunt, proin illicita die feſto, niſi ex alia cauſa ſpeciali excuſentur. Excuſari autem poſſunt & ſolent prædicta fermè omnia vel conſuetudine, quæ optima

Legum

Legum interpres eſt, vel neceſſitate, vel demum operis & laboris intercedentis levitate, ut non pro opere ſervili (quod ſolùm prohibitum eſt) ſed magìs pro exercitio puerili, vel pro diſtractione, vel pro inſpectione potiùs, quàm labore habeantur. Vide Tamb. & alios.

„ (*A.*) Q. An ea, quæ facere licet die feſto ſine lucro, „ etiam liceat peragere cum lucro, ſeu lucri cauſâ? R. cum „ Nav. *c. 13. n. 5.* Suar. *c. 19. n. 6.* Clav. Reg. Azor. & commu- „ niori DD. affirmativè. Ratio eſt, tum quòd Eccleſia non „ prohibeat operari die feſtò propter mercedem vel lucrum, „ ſed propter ſanctificationem diei: tum quòd ſpes & inten- „ tio lucri, etſi faciant opus mercenarium, non tamen id „ faciunt ſervile, niſi tale ex natura ſua ſit, velut à contra- „ rio opus de ſe ſervile non fit non ſervile ex eo, quod fiat „ ſine lucro vel mercede. Cùm itaque opus ſolùm ſervile „ quâ tale ſit prohibitum die feſto, lucrum vel merces nil „ faciunt ad rem.

CASUS LVIII.

PAuper opifex confitetur, ſe laborâſſe die feſto, ſed non tota die, neque neglecto Sacro &c.

RESOLUTIO.

IN caſu propoſito nihil excuſat 1. Audiviſſe Miſſam; nam extant duo diſtincta Eccleſiæ præcepta de Miſſa audienda, & opere ſervili omittendo: nec ſufficit ſervare unum, ſed utrumque obſervare neceſſè eſt. 2. Nec excuſat à mortali non laborâſſe tota die, quia præceptum negativum eſt, nunquam laborandi: unde omnis labor vitioſus eſt. (*A.*) Et quamvis parvitas materiæ à mortali excuſare poſſit, tamen reſpectu diei ſive 12. horarum magna & notabilis pars eſt, duas horas vel ultrà laborâſſe; ut Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. c. 31. n. 2.*

Digitized by Google

n. 2. cum pluribus aliis videtur ſentire, approbante idipſum Laymanno, ſi labor non ſit nimis ſervilis & defatigans corporis; quamvìs Azor, Reginaldus, & Bonac. unam horâm ad gravem hujus præcepti tranſgreſſionem ſufficere exiſtiment. Fullienſ. id prudentis arbitrio relinquit, ſpectatâ conditione operis. 3. Paupertas ſive neceſſitas examinanda manet. Alia enim eſt communis, qua ſcilicet communiter laborant Opifices, & Operarij, qui ex quotidiano labore vivunt: alia eſt extrema, ſi quis aliàs de vita periclitaretur &c. alia gravis, cùm grave incommodum timetur, quod alio die, vel alio medio compenſari non poſſet &c. Extrema atque etiam gravis neceſſitas excuſat, non verò communis: quia, cùm ſit gravis obligatio præcepti, gravis quoque excuſationis cauſa, & plus quàm communis neceſſitas requiritur. Vide Bonac. *diſp. 6. q. un. p. 3. n. 8.* & ſeq. Tambur. *l. 4. c. 3. §. 2. n. 6. & 7.* item *n. 15. & 16.*

Si opponas, ergò etiam coqui, piſtores &c. non excuſabuntur: neque enim gravis neceſſitas eſt, recentes habere panes, cibos laborioſè paratos &c. fateor, non eſt neceſſitas: ſed tamen conſuetudo hos & plures alios excuſat, quia conſuetudo, cùm publica, communis, & tolerata eſt, legi derogare poteſt, ut notum. Vide AA. præcit.

„ (*A.*) Q. An peccet graviter, qui plura opera ſervilia, „ exigua tamen, & interpolatis vicibus feſtis diebûs peragit? „ R. Si ejuſmodi opera eodem die feſto peragantur, itaque „ multiplicentur, ut notabilem materiam conſtituant, ope- „ rantem peccare mortaliter, non item, ſi fiant diſtinctîs die- „ bûs feſtivîs. Ita Sanch. *l. 1. c. 4. n. 12.* Azor. Bonac. & alij. „ Ratio eſt, quòd Sanctificatio certæ & determinatæ diei affixa „ per opera ſervilia, licèt exigui momenti, nimis tamen eodẽ die „ multiplicata notabiliter diminuatur, ac conſequenter etiam „ Eccleſiæ intentio defraudetur: quod non contingit, ſi di-

Digitized by Google

„ ἑta opera diſtinctîs diebûs fiant , quia , quod reſpectu unius „ diei eſt materia gravis , reſpectu plurium facilè poteſt eſſe „ materia levis , ob diſcontinuationem tam dierum , quàm „ obligationum eos ſanctificandi.

CASUS LIX.

FOemina, vel etiam vir otium ſibi tœdioſum, aut etiam perniciofum dicit, ideò conſulit, an ſaltem pro utilitate Eccleſiæ vel pauperum ſine ſpe lucri opus vel opificium ſuum liceat exercere die feſto?

RESOLUTIO.

Cùm prohibitio generalis & abſoluta ſit etiam propter bonum finem & pia intentione, non licet contravenire (*A.*) ſed melior eſt obedientia, quàm victima. Gravis autem neceſſitas proximi vel Eccleſiæ, ſicut ipſum, qui neceſſitatem patitur, excuſaret, ita etiam alium, qui ex charitate pro ipſo, adeoque nomine ipſius indigentis laborat, excuſabit. Ut docet Sanch. *lib.* 5. *Conſ. c.* 2. *d.* 23. quem refert & ſequitur Tambur. *l.* 4. *c.* 3. *§.* 2. *n.* 14.

„ (*A.*) Q. Quænam opera ſervilia ad divinum Cultum „ ſpectantia liceat diebûs feſtîs peragere? Antequam re„ſpondeatur, N. eſt, Opera ſervilia circa divinum Cultum „ adhiberi ſolita in triplici eſſe differentia. Aliqua immedia„tè, vel ſaltem propinquè Cultui divino deſerviunt, ut ſunt „ pulſare organa, vel campanas, portare Crucem, vel SS.rum „ Reliquias &c. Alia ſunt antecedentia, ut templum ver„rere, parietes aulæis veſtire, altaria ornare &c. Alia de„nique ſunt remota, ut ædificare Eccleſiam, conficere cali„ces vel alia inſtrumenta, Sacrificio & Eccleſiæ inſervientia. „ Jam R. Opera primi generis omninò licitè fieri die feſto, „ eò quòd ob propinquitatem & connexionem cum Cultu di-

„ vino

Digitized by Google

„ vino ſint quaſi ejuſdem rationis cum eo, nec proin conti-
„ neantur præcepto abſtinendo ab opere ſervili, ut docent
„ Clav. Reg. lib. 7. c. 2. Caſtropal. Tambur. & alij commu-
„ niter. Opera ſecundi generis ſine rationabili cauſa in ipſum
„ diem feſtum reſervare peccatum eſt, tum quòd non habe-
„ ant tantam propinquitatem cum Cultu divino, tum quod
„ facilè fieri poſſint, & ſoleant die, vel diebûs ipſum feſtum
„ præcedentibûs. Quia tamen etiam hæc ſuo modo cenſen-
„ tur propinqua & connexa cum Cultu divino, non facilè
„ talia peragentem ſecluſo ſcandalo & contemptu volunt
„ condemnare peccati mortalis Suarez *tom. 1. de Relig. l. 2.*
„ *c. 21. n. 11.* Cajet. Tollet. & alij. Opera denique tertij
„ generis cùm verè ſint ſervilia, & valdè remotè Cultum di-
„ vinum reſpiciant, niſi fiant urgente neceſſitate, vel ex li-
„ centia Epiſcopi, haud dubiè illicita eſſe die feſto, commu-
„ nis tenet DD.

CASUS LX.

OPerarius Diœceſis Auguſtanæ die S. Udalrici in dicta Diœceſi feſtivo tranſiit in locum Diœceſis Friſingenſis, ibique ſegetes meſſuit, dubitat, an peccaverit ſive laborando, ſive Sacrum negligendo?

RESOLUTIO.

IMprimis ipſo die feſto, cùm Sacrum audiendum eſſet, diſcedere à loco domicilij (aliud de hoſpite dicendum) peccatum mortale eſt: quia præceptum affirmativum audiendi Sacrum ipſum jam obligat, tunc cùm quis abitum parat. Et juxta naturam disjunctivæ obligationis, qui tenetur disjunctivè ad 1.um vel 2.um vel ultimum Sacrum audiendum, ſiquidem prævidet ſecundum & tertium ſe audire non poſſe, tenebitur hoc ipſo ad illud, quod poteſt, ſcilicet ad primum.

Digitized by Google

Sic etiam qui in loco manens prævidet ſe ultimo Sacro ob legitimum impedimentum intereſſe non poſſe, tenetur audire primum, non quidem abſolutè, ſed in hac hypotheſi, ut cum communi docet Suarez *loc. priùs cit. c. 15. n. 7.* Secundò. At poſt auditum Sacrum alibi, ubi dies feſtus non eſt, laborare contra præceptum Eccleſiæ non eſt, proin non mortale. Idque etiamſi ex inſtituto ſine omni alia cauſa ex Diœceſi Auguſtana in Friſingenſem quis transeat, ut laborare poſſit, quia non violat præceptum, utpote quod nec jubet in loco manere, nec prohibet alibi laborare, ſed tantùm facit, etſi parùm laudabiliter, ut obligatio ceſſet, uti facit ille, qui diſpenſationem petit. Navar. *c. 13. n. 5.* Clav. Reg. *c. 3. n. 12.* & alij communiter. Interim tertiò hoc licitè adeoque etiam ſine culpa veniali fieri poſſe, in praxi falſum cenſeo, niſi alia cauſa vel bonus finis intercedat: quia practicè hoc ipſum vitioſum eſt, quòd ſine cauſa ſe ſubducat ordinationi ſuæ Eccleſiæ, & vel cupiditate lucri (*A.*) vel tædio aut negligentia ſpiritualium omittat celebrare Feſtum, quod utique non ſine ratione in ſua Diœceſi inſtitutum eſt. Abſtrahendo autem ab inordinatis motivis probabiliùs eſt, ut docent Bonac. *diſp. 5. q. un. p. 3. n. 17.* Sanch. in Oper. Mor. *lib. 1. c. 12. n. 35.* Suarez. *l. 7. q. 6. n. 113. &c.* taliter ſe ſubducentem legi non peccare, eò quòd utatur jure ſuo, nec dici poſſit violator Legis, qui eam non obſervat, ubi illa non viget, nec etiam argui fraudis, qui præciſè utitur jure ſuo. Non tamen ex hoc inferas: ergò etiam licitè quis poteſt adire locum, ubi Tridentinum non eſt receptum, ut ibidem ſine præſentia Parochi & Teſtium clamdeſtinè contrahat matrimonium. Nam exſtat ſpeciale Decretum ſeu Breve Apoſt. ab Urbano VIII. *Ann. 1627. die 14. Auguſt.* emanatum, ejuſmodi contractum præcisè in fraudem Legis factum irritans: quod vel non viderunt, vel non eſſe receptum exiſtimârunt

Digitized by Google

AA. contrarium aſſerentes, inquit Illſung *tr. 6. diſp. 9. q. 3. n. 118.*

„(*A.*) Q. An & ob quantum lucrum licitum ſit opera „ ſervilia exercere die feſto? R. Ob lucrum ordinarium, ſeu „ mercedem ordinarie dari ſolitam, niſi neceſſitas vel alia gra- „ vis cauſa urgeat, id neutiquam licere: quoniam aliàs cui- „ vis opifici vel operario licitum foret diebûs feſtîs æquè, „ quàm non feſtîs operari, quod nemo dixerit. Ob extra- „ ordinarium tamen & grave lucrùm, cujus jacturam aliàs „ quis pateretur, id licere docent Tambur. *l. 4. c. 3. §. 2. n. 8.* „ Navar. *loc. cit. n. 9.* Bonac. Cajet. Azor. & alij. Ratio eſt, „ quia ejuſmodi grave lucrum amittere cenſetur grave dam- „ num, ad quod ferendum Eccleſia tanquam pia Mater non „ cenſetur obligare. Unde etiam in *c. Licet. de Feriis.* conce- „ dit Pontifex facultatem piſcandi certum genus piſcium die- „ bus feſtis, quod non niſi certîs & oportunîs diebûs capitur. „ Monentur tamen propterea tales rationabilem aliquam il- „ lius lucri partem circumpoſitis Eccleſiis, vel Chriſti paupe- „ ribus in eleemoſynam elargiri, ut refert Panorm. in *d.* „ *c. Licet. n. 5. & 6.*

De ſecundo Præcepto Eccleſiæ.

Sacrum Miſſæ Officium Diebus feſtis reverenter audire.

CASUS LXI.

QUidam Clericus nondum Sacerdos in Feſto Nativitatis tria quidē Sacra audivit, ſed primū media nocte ſomnolenter, nihil prorſus ſub eodē orando, imò ex parte dormitando. Sub ſecundo Horas Canonicas recitavit.

Tertio & ſolemni Sacro Muſicus interfuit, artificio muſices intentus, cæterùm planè indevotus.

RESOLUTIO.

Cùm ad implendum præceptum reverenter audiendi Miſſam requiratur præſentia moralis & humana, non cenſebitur audire Miſſam, qui per notabilem, aut tametſi brevem, tamen præcipuam & ſubſtantialem Miſſæ partem, in qua ſcilicet Sacrificium peragitur (puta Conſecrationem) ſub Miſſa dormit: uti etiam, qui alia extranea ad Miſſam impertinentia tractat, uti poſt Henriq. Coninch. & alios tenet Bonac. *d. 4. de Euchariſt. q. ult. p. 11. n. 14.* Attamen ſomnolentum tantùm, aut indevotum fuiſſe, nihil orâſſe &c. in praxi culpæ mort. non facilè arguendum, quia ex multorum probabili ſententia, ut videre eſt apud Gobat *tr. 5. n. 231.* Tambur. *l. 4. c. 2. §. 1. n. 19.* Diana *p. 1. tr. 12. reſol. 2.* præceptum Eccleſiæ non requirit poſitivam reverentiam, ſed ſufficit, non irreverenter, ſive cum pia intentione præmiſſa, eáque virtualiter continuata, & reverentia ſeu attentione merè externa Miſſæ intereſſe. Benè tamen monet cit. Tambur. dictam reverentiam ſeu attentionem externam debere eſſe conjunctam cum negatione omnis negotij vel occupationis externæ alterius, quæ ex ſe diſtractiva ſit mentis ab auditione Miſſæ, quale eſſet e. g. hiſtoriam legere, confabulari, depingere, ſcribere & ſimilia. Quamvis Suarez. Bonac. Fulienſ. ac alii plures velint, dictam attentionem merè externam probabiliùs non ſufficere ad ſatisfaciendum præcepto: eò quòd Eccleſia præcipiat auditionem Miſſæ, prout eſt actus humanus & Religioſus, qualem non cenſetur ponere, qui voluntariè per integram Miſſam mente vagatur, & advertenter alienis rapitur cogitationibus: quæ ſententia utpote tutior & chriſtianæ pietati conformior etiam in praxi omninò ſuadenda videtur.

Ad

Digitized by Google

Ad 2. verò, quia non requiritur, ut communiter docent AA. certas preces ſub Miſſa recitare, ſuppoſitâ intentione reverenter aſſiſtendi Miſſæ, liberum eſt orare, quidquid lubet, ſive Breviarium, ſive alias preces ex voto debitas, aut à Confeſſario locò Pœnitentiæ injunctas &c. quia negari non poteſt, talem reverenter adeſſe Miſſæ. Inſuper

3. Non minùs Miſſæ adeſt, & quidem non irreverenter, qui circa ea, quæ ad ipſam Miſſam pertinent, ſolicitè occupatur, uti ſolent Miniſtri Altaris, æditui & Muſici: cùm alia oratio ſive vocalis, ſive mentalis, aut etiam actualis devotio (juxta probabilem priùs relatam ſententiam) ex vi præcepti hujus non requiratur.

Denique præceptum nullum eſt, etiam in feſto Nativitatis, plùs quàm unum Sacrum audire, uti tenet communis, quia Eccleſia plus non præcipit, quàm abſolutè auditionem Miſſæ in die feſto: proinde Clericus iſte abundè ſatisfecit præcepto, ſi non in primo, ſaltem in ſecundo, & tertio Sacro.

„ Q. Quinam omnes obligentur hoc præcepto? R. Li-
„ gari omnes, cujuſcunque ſexûs, ætatis, vel conditionis
„ ſint, modò baptizati & ad annos diſcretionis pervenerint.
„ Nam nondum baptizati, cùm extra Eccleſiam ſint, ejus
„ Legibus non tenentur: & rationis uſu carentes præcepti
„ capaces eſſe nequeunt. Currit autem dictum præcep-
„ tum omnibus diebus Dominicis & Feſtis, ſive ab Eccleſia:
„ ſive ab Epiſcopo inſtitutis, ſive per conſuetudinem legi-
„ timam, adeóque vim Legis habentem introductis. Prin-
„ ceps verò ſæcularis, Civitas, vel Reſpublica, velut dies
„ feſtos non inſtituere, ita etiam ad audiendam Miſſam
„ neminem in conſcientia obligare poſſunt, eò quòd pote-
„ ſtas ſæcularis ſe non extendat ad actus religionis tanquam
„ quid ſpirituale: ut habetur *c. Cum laicis, de rebus Eccleſ.*

„ *non alien. &c. Decernimus de judiciis.* Etſi Princeps ſubin-
„ de ex cauſis politicis poſſit ſubditis præcipere, ut certo
„ die ab operibus ſervilibus, aliiſque negotiis forenſibus
„ & civilibus abſtineant, ut docet Bonac. *in 3. Præcept.*
„ *Decal. d. 5. q. unic. p. 1. n. 5.*

CASUS LXII.

RUſticus cum Cruce & Proceſsione ivit in proximam Ædiculam B.^{mæ} Virgini dicatam, ſed quia Ædicula non capiebat tot homines, extra Eccleſiam ſtetit, devotus quidem, ſed nihil audiens & videns de Sacrificio Miſſæ.

RESOLUTIO.

QUia ruſticus iſte pars eſt totius communitatis ad Eccleſiam & divinum Officium accedentis, & (quod ſupponendum) ſe ut partem devotæ communitatis gerit, non recedendo à reliquis, ſed reverenter ad Eccleſiam ſtando &c. ideò ſatisfacit, & dicetur audiviſſe Miſſam cum & quaſi per alios: eo modo, quo præcepto recitandi Horas Can. ſatisfacit, qui in Choro mediam partem Pſalmorum, inſuper Lectiones &c. non recitat, ſed per alios, cum quibus unum corpus & communitatem conſtituit, recitari audit. Tambur. *loc. priùs cit.* & alij. Nec dicendum, quòd tantùm excuſetur talis ruſticus ob impoſſibilitatem &c. ex hoc enim ſequeretur, quòd ſi aliam occaſionem haberet audiendi Sacrum, v.g. poſt reditum Proceſſionis, adhuc obligatus foret, quod nullus dixerit.

„ Q. An ſatisfaciat huic præcepto, qui mediam partem
„ Miſſæ audit ab uno Sacerdote, audiendo poſtmodùm eo-
„ dem die alteram mediam partem ab alio? R. Quamvìs
„ ſententiam affirmativam ut probabilem defendant Bonac.

„ *d. 4.*

Digitized by Google

„ *d. 4. de Sacram. q. ult. p. 11. n. 13.* Laym. *l. 4. tr. 7. c. 3. n. 4.*
„ & plures ab his relati : eò quòd Eccleſia non præcipiat ab
„ uno Sacerdote integram, ſed ſimpliciter Miſſam audire,
„ qualem duæ medietates diverſorum Sacrificiorum conſti-
„ tuunt. Negativa tamen videtur probabilior, quàm ut ta-
„ lem tenent Suarez *to. 3. de Sacram. d. 88. ſect. 2.* Tambur. *l. 4. c.*
„ *2. §. 1. n. 10.* Mathæus Stoz *l. 1. Tribun. pœnit. p. 3. n. 245.*
„ & æquè multi ab his citati.

„ Ratio eſt 1. Quòd partes diverſorum Sacrificiorum ſin-
„ gulæ ad ſingula Sacrificia per intentionem miniſtri ita de-
„ terminentur, ut nequeant in unum Sacrificium coaleſcere.
„ Dixi *diverſorum Sacrificiorum* : nam ſi Sacerdos inter cele-
„ brandum forſan deficiat, & alius defectum ſuppleat, Miſ-
„ ſamque inchoatam perficiat, non duo, ſed unicum erit Sa-
„ crificium, atque idcircò audientem ejuſmodi Sacrificium
„ præcepto ſatisfacere, dubium non eſt.

„ Ratio eſt 2. Quòd ex priori ſententia videatur ſequi, ſa-
„ tisfactum quoque iri præcepto, ſi quis non ſucceſſive, ſed
„ ſimul iſtas duas medietates, partem ſcilicet anteriorem &
„ poſteriorem Miſſæ duorum Sacerdotum celebrantium audi-
„ ret, quæ tamen ſententia hodie propter prohibitam Inno-
„ centij XI. ſequentem propoſitionem *n. 53.* ſuſtineri ampliùs
„ non poteſt. *Satiſfacit præcepto Eccleſiæ de audienda Miſſa,*
„ *qui duas ejus partes, imò quatuor ſimul à diverſis Celebranti-*
„ *bus audit.*

CASUS LXIII.

ALius ſub Miſſa Confeſsionem ſuam peragit in confeſſionali, ita vicino Altari, ut Celebrantem audire & videre poſſit.

Q RE-

Digitized by Google

RESOLUTIO.

QUamvis confiteri ſub Miſſa non ſit irreverentia, quia tamen eſt diſtractio externa, quæ moralem aſſiſtentiam tollat, cùm ſit tota alia occupatio, etſi per ſe bona, tamen ad Miſſam non pertinens, ideò talis non cenſebitur, audiviſſe Miſſam, non ſecùs, ac ſi propè Altare tantiſper obdormiviſſet, vel alia externa negotia expediviſſet. Suarez *de Sacram. d. 88. ſect. 6.* Azor *1. p. l. 7. c. 7. quæſit. 8.* Tambur. *loc. cit. n. 15.*

„ Q. adhuc 1. Quomodo peccent Miſſam non integram „ audientes? R. Si pars omiſſa ſit exigua, ſolùm peccari „ venialiter ob parvitatem materiæ; ſi autem ſit notabilis, „ mortaliter. Ita communis. Quænam autem cenſeatur pars „ notabilis, AA. non adeò conveniunt. Navarrus *c. 21. n.* „ *22.* Bonac. *d. 4. de Sacram. q. ult. p. 11. n. 16.* & plures ibi„ dem volunt, Principium Miſſæ uſque ad Epiſtolam inclu„ ſivè partem notabilem conſtituere. Alij econtrà cum Tam„ burino judicant, dictam omiſſionem uſque ad Evangelium „ excluſivè nondum eſſe materiam gravem. Nonnulli apud „ Bonac. loc. cit. n. 17. exiſtimant, eum, qui poſt primum „ Evangelium venit, modò perſeveret uſque ad finem ultimi „ Evangelij, adhuc excuſari à peccato mortali. Navarrus „ loc. cit. denique inquit, cùm à jure nihil ſit definitum, id „ relinquendum eſſe prudentis arbitrio.

„ Q. 2. Quænam cauſæ excuſent à præcepto audiendi Miſ„ ſam? R. Non tantùm excuſare impotentiam phyſicam, „ cùm impoſſibilium nulla ſit obligatio: ſed etiàm moralem, „ eò quòd Eccleſiæ jugum ſit ſuave, & onus ejuſdem leve. „ Unde excuſantur 1. Qui non poſſunt adire Miſſam abſque „ gravi damno vel detrimento ſui, aut proximi; ſive deìn „ detrimentum ſit animæ, ſive corporis, ſive famæ & hono„ ris, ſive lucri aut alterius boni. 2. Excuſantur quoque „ impo-

Digitized by Google

„ impotentiâ ſpiritualî laborantes, ſcilicet excommunicati & „ interdicti: item ij, qui alium Sacerdotem habere nequeunt, „ niſi ſuſpenſum, vel excommunicatum vitandum. His ac- „ cedunt titulus pietatis & conſuetudinis. Ratione prioris „ excuſantur, qui infirmis inſerviunt, nec eos facilè deſerere „ poſſunt, quia præceptum Charitatis proximi utpote fundatũ „ in jure naturæ magìs obligat, quàm poſitivum Eccleſiaſticum „ audiendi Miſſam. Ratione poſterioris demum excuſantur „ in quibusdam locis viduæ, quæ mortuo maritò ad aliquod „ tempus domo exire non ſolent, ut refert Bonac. Fulienſ. „ & alij. Velut enim conſuetudo poteſt legem inducere, ita „ etiam poteſt eandem moderari, vel omninò abrogare. Quæ „ omnia fuſiùs videri poſſunt paſſim in AA. Porrò legitimè „ impeditos ab audiendo Sacro diebûs feſtîs benè admonet S. „ Auguſtinus ſerm. 25. de temp. *Ut ſaltem in domo ſua orent,* „ *& non negligant Deo ſolvere votum, ac reddere penſum* „ *ſervitutis.*

De tertio Eccleſiæ Præcepto.

Quo jubemur certîs anni diebûs jejunare: & Feria ſexta ac Sabbatho à carnibus abſtinere.

CASUS LXIV.

COnfitetur aliquis, ſe per totam Quadrageſimam nunquam jejunâſſe. Nunquid Confeſſarius acquieſcet, ceu ſpecie & numero ſatìs intellectis?

RESOLUTIO.

QUia diverſæ ſpeciei peccata ſunt, tempore Quadrageſimæ comediſſe carnes, & comediſſe cibos licitos ſæpiùs quàm ſemel, ideò imprimìs de hoc inquiret Confeſſarius.

Digitized by Google

Deinde cùm præceptum abſtinendi à carnibus ſit negativum, obligans ſemper & pro ſemper, etiam de numero interrogandum erit, quia, qui ter in die diſtinctis moraliter vicibus comedit carnes, tria diſtincta peccata mortalia committit, ut cum commun. docet Laym. *tr. 8. c 1. n. 12.* Econtra qui tantùm cibos quadrageſimales decies in die comedit, ſemel tantùm peccavit, ut denuò tenet communis: quia tantùm per ſecundam comeſtionem præceptum Eccleſiæ violavit, qua facta ulteriùs jejunium ſervare impoſſibile fuit, conſequenter non obligavit ulteriùs; nec tertia vel quarta comeſtio violatio jejunii fuit, utpote jam ex toto violati & ſublati per ſecundam: etſi talis cóntra temperantiam peccare potuerit, graviter, vel leviter, ſecundùm qualitatem exceſſûs in comedendo.

„ Q. Quid & quotuplex ſit jejunium? R. Jejunium in „ genere eſſe abſtinentiam à cibo & potu, ſicque eſſe in tri- „ plici differentia. Nam aliud dicitur jejunium naturale: „ aliud virtutis ſeu morale: aliud eccleſiaſticum. 1. Con- „ ſiſtit in omnimoda abſtinentia à quavis re, ſumptâ per mo- „ dum cibi vel potûs, quale ſervandum eſt ex præcepto Ec- „ cleſiæ ante ſumptionem SS. Euchariſtiæ, excepto articulo „ mortis, ut habetur *c. Liquido. de Conſecr. diſt. 2.* Alterum „ conſiſtit in temperantia cibi & potûs juxta rectæ rationis „ judicium, & naturæ exigentiam. Cujus transgreſſio fre- „ quenter quidem ſolùm eſt venialis, ob levitatem exceſſûs: „ evadit tamen mortaliter peccaminoſa, ſi intemperantia „ ſit tanta, ut cauſet ebrietatem, vel aliud grave nocumen- „ tum corporis aut animi, vel ſi finis ultimus conſtituatur „ in ingluvie inſtar eorum, quorum Deus venter eſt: quibus „ aliqui addunt, ſi extra neceſſitatem comedantur carnes „ humanæ, eò quòd ejuſmodi comeſtio videatur graviter ad- „ verſari rectæ rationi. Tertium, & de quo nobis hìc ſer-

„ mo

Digitized by Google

„ mo, eſt *Voluntaria abſtinentia à quibusdam cibis juxta præ-
„ ſcriptum Eccleſiæ, vel receptam in ea conſuetudinem.* Dici-
„ tur imprimìs *voluntaria*, ad excludendam poſitivam in-
„ tentionem ſeu voluntatem non jejunandi. Nam ſi quis
„ omninò invitus à cibo abſtineret, vel præcisè non come-
„ deret, eò quòd cibos non haberet, jejunare dici non poſ-
„ ſet, ut teſtatur Bonac. *d. ult. de Præc. Eccleſ. q. 1. p. 1. n. 6.*
„ Sanchez & alii. Dicitur 2. *A quibuſdam cibis.* Nam im-
„ primìs abſtinentiam à carnibus de jejunii eſſentia eſſe
„ communis eſt ſententia poſt D. Thomam *2. 2. q. 147. a. 8.*
„ Etſi autem uſus ovorum & lacticiniorum in noſtris & qui-
„ buſdam aliis Regionibus utpote frigidioribus, & piſcibus
„ magìs deſtitutis toleratus ſit, quia nimirùm vel primis ſta-
„ tim temporibus horum abſtinentia forſan recepta non fuit,
„ vel ſaltem conſuetudine contraria abrogata: in aliis Re-
„ gionibus, ubi conſuetudo ab iis abſtinendi viget, is ſub
„ mortali quoque eſt prohibitus. Unde Alexander VII.
„ ſequentem propoſitionem *n. 32.* damnavit. *Non eſt evi-
„ dens, quòd conſuetudo non comedendi ova & lacticinia in
„ Quadrageſima obliget.* Dicitur 3. *Juxta præſcriptum Ec-
„ cleſiæ*: quod in tribus conſiſtit. 1. In abſtinentia à certis
„ quibuſdam cibis, ut dictum. 2. In una refectione, ſeu in
„ abſtinentia ab altera. & 3. In obſervatione determinati
„ temporis & horæ: de quibus in caſibus ſequentibus.
„ Dicitur 4. *Vel receptam conſuetudinem*: quia hæc eſt opti-
„ ma Legum interpres. Unde licèt Gloſſa *in c. Presbyter. diſt.
„ 82. & in c. Admonere. 33. q. 2.* Abbas. Hoſtiens. & alii conce-
„ dant uſum lardi porcini, & pinguedinis anſerum, alio-
„ rúmque animalium &c. Laymannus tamen *l. 4. tr. 8. c. 1.
„ n. 5.* contrariam conſuetudinem in noſtris Regionibus,
„ conſentientibus Eccleſiæ Prælatis introductam, ideóque
„ pro Lege tenendam eſſe teſtatur, ita, ut liceat quidem

Q 3 „ uti

Digitized by Google

„ uti ovis, lacte, caſeo & butyro, non tamen lardo & ſagi-
„ mine, ne ſcilicet ejuſmodi licentia ulteriùs extendatur
„ cum ſcandalo & detrimento jejunij eccleſiaſtici. Nihilo-
„ minùs inquit cit. Author, dictam licentiam Gloſſæ &c.
„ Confeſſariis ad tria ſervire poſſe. 1. Ut pauperibus faci-
„ liùs talem licentiam concedant ob paupertatis cauſam.
„ 2. Ut etiam ditiores non facilè peccati mortalis damnent,
„ ſi ſagimen aut lardum ſolùm per modum condimenti ad-
„ hibeant, cùm conſuetudo non cum tam gravi obligatione
„ videatur recepta. 3. Ut ancillas quoque heris ſuis obſe-
„ quentes, nec eorum imperium facilè declinare valentes
„ excuſent, ſi de his coquant, & comedant.

CASUS LXV.

ALius ſe non ſervâſſe jejunium quadrageſi-male ait, ſed ex cauſa, quòd partim in itinere conſtitutus fuerit, partim domi graves occupationes habuerit.

RESOLUTIO.

MOnendus pœnitens gravem eſſe obligationem præcepti hujus de jejunio, proin non quamvis cauſam pro excuſatione ſufficere, ſed gravem & juſtam cauſam requiri.

Duo autem præcipua cauſarum à jejunio excuſantium ſunt genera, infirmitas & labor ſeu fatigatio corporis. Quantum ad infirmitatem, non requiritur quidem præſens morbus, ſed ſufficit probabilis metus, prævifi ex jejunio incommodi corporalis, item debilitas aut defectus virium, ita ut ſine extraordinario detrimento, aut diſpendio officii &c. jejunare quis non poſſit: ut ſi quis ex jejunio capitis vertiginem patiatur: aut neceſſarium ſomnum capere non poſſit: vel ſi mulier ſervitia domeſtica non niſi cum notabili incommodo peragere valeat, ſi uterum gerat, aut prolem lactet &c.

qua

quâ de re paſſim ulteriùs videri poſſunt AA. Quòd ſi dubium ſit, an nocumentum ex jejunio ortum, vel oriturum ſit notabile; Medicum aut Superiorem conſulere oportet, eorúmque judicio ſtare, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 147. a. 4. in c.* Quanquam major ſemper requiratur infirmitas ad eſum carnium, quàm ad binam refectionem, ut monet Bonac. *diſp. ult. de Præcept. Eccl. q. 1. p. 7. n. 2.* & multi ab eo relati.

Ratione laboris aut defatigationis excuſantur opifices plerique, de quibus ſpecificè videri poſſunt Tambur. *lib. 4. c. 5. §. 7. n. 18. & ſeq.* Laym. *tr. 8. c. 3. n. 3.* Item longum iter pedibus conficientes, quale cenſetur 5. circiter vel 6. leucarum ſeu milliarium germanicorum juxta Ful. ſecùs dicendum videtur de iter equo facientibus, regulariter ſaltem loquendo. Nam interdum ob itineris longitudinem, locorum aſperitatem, cœli inclementiam, viatoris complexionem &c. etiam hi à jejunio excuſari poſſunt: velut quoque, qui navi aut curru iter faciunt, ſi exinde debilitationem capitis aut notabilem laſſitudinem experiantur: ut notant Bonac. Filliuc. & alij.

„ Q. Quænam ætas obliget, & deobliget ab hoc præce-
„ pto? R. Poſt completum 21. ætatis annum quemvis Chri-
„ ſtianum teneri obſervare jejunium ab Eccleſia præce-
„ ptum. Eſt comm. cum D. Thoma loc. priùs cit. *ad 2.* Ra-
„ tio eſt, quòd adoleſcentes ante dictam ætatem indigeant
„ multo nutrimento, ob neceſſitatem augmenti. Benè ta-
„ men monet S. D. conveniens eſſe, ut etiam intra hoc tem-
„ pus ſe ad jejunandum exerceant, plùs vel minùs, ſecun-
„ dùm modum ſuæ ætatis. Quænam verò ætas, vel potiùs
„ ſenectus à Lege jejunii eximat, non adeò conveniunt AA.
„ Communiter admittitur, ſenes ſeptuagenarios excuſari,
„ eò quòd vel plurimum ſint infirmi, vel ſaltem crebriori

„ indi-

Digitized by Google

„ indigeant refectione, cùm ob defectum caloris naturalis „ totum alimentum ſimul non poſſint concoquere &c. I- „ dem ſentiunt etiam nonnulli, quos citat & ſequitur Sanch. „ *tom. 2. de Matri. l. 7. diſp. 32. n. 17.* de quibuſcunque Sexa- „ genariis, eò quòd ſenum valetudo non ſit firma & con- „ ſtans, ſed fallax & incerta, mediáque, ut inquit Galenus „ *l. 5. de Sanit. tuen.* inter morbum & perfectam ſanitatem. „ Laym. tamen Diana. Tanner. Leſs. Fagund. Filliuc. Bo- „ nac. Navar. & alii relati ab Illſung *tr. 4. d. 1. a. 3. n. 45.* no- „ lunt eoſdem excuſare abſolutè, ſi nimirum viribûs adhuc „ polleant, & ſine damno jejunare poſſint, cùm non ſit „ ſufficiens ratio, cur præceptis Eccleſiæ ampliùs non ſtrin- „ gantur. Multominùs approbat Tambur. *l. 4. c. 4. §. 9.* „ *n. 5.* ſententiam illorum, qui fœminas quinquagenarias „ ob ſenectutem jam excuſant à jejunio, eò quòd fœminæ „ minùs ſoleant macerari à jejunio, quàm viri. Hinc de- „ nique omnium optimè videtur ſentire cit. Laym. *tr. 8.* „ *c. 3. n. 2.* dicens. Certum ſenectutis tempus à jejunio de- „ obligans ſtatui non poſſe, ſed prudentis arbitrio defini- „ endum eſſe, eò quòd corporis mutatio, virium infirmi- „ tas, & uno verbo ſenectus, non omnibus circa idem „ tempus contingat, ſed aliquibus anno 50. aliis 60. aliis „ 70. cui ſe Confeſſarius ſciet accommodare.

CASUS LXVI.

Conſulitur Confeſſarius à duobus, quorum unus ſemel tantùm in die comedit, ſed protracto per aliquot horas convivio (*A.*) idque eo fine, ut ſine difficultate altera refectione carere poſſit. Alter econtrà bis comedit, ſed dimidiato quaſi prandio, utraque vice ſatis parum, ita ut univerſim tantùm horam unam menſæ aſſederit, nec tantum utraque vice, quàm ille unâ ciborum aſſumpſerit.

RE-

RESOLUTIO.

ID ſolùm in hac materia eſt malum & illicitum, quod prohibitum. At convivia etiam aliquatenus longiora, non prohibita: econtrà duæ refectiones, etſi frugales, prohibitæ ſunt; proin nec dimidiare prandium licet, ſed una refectio conceſſa, altera illicita eſt, ut conſtat ex recepta conſuetudine & DD. conſenſu cum D. Thoma *2. 2. q. 147. a. 6.* Aliud tamen dicendum, ſi quis ex neceſſitate ſæpiùs comederet, eò quòd una vice juſtam refectionem habere non poſſet, ut ſolent mendici &c. quibus quandoque etiam carnes comedere licet die jejunij in defectu alterius cibi, quo congruè ſuſtentari poſſint: eò quòd Eccleſia non cenſeatur obligare cum tanto incommodo; ut docent Navar. Syl. Filliuc. & alij. Ob quam cauſam teſte Laym. *loc. cit. n. 3.* toleratur etiam conſuetudo, ut finitîs bachanaliorum diebûs reliquiæ carnium à divitibus non abſumptæ, à pauperibus abſumantur. Et ex hoc ipſo capite, inquit citatus Author, permitti quoque poſſe uſum carnium diebûs jejuniorum (ſecluſo ſcandalo & contemptu) laborantibus & famulantibus Catholicis in oppidis hæreticorum, ſuppoſito, quòd aliundè debitam & congruam ſuſtentationem habere nequeant.

„ (*A.*) Q. An licitum ſit, cœnam etiam ſatìs lautam die „ jejunij quandoque in noctem vel veſperam transferre, col„ latiunculâ ſumptâ in meridie? R. Ex rationabili cauſa id „ quidem licere, ſine hac tamen peccari venialiter, etſi non „ mortaliter. Ita Nav. *c. 21. n. 14.* Reginald. *l. 4. n. 186.* „ Leſſ. Azor. Laym. & alij. Ratio eſt, quòd in tali caſu non „ violetur ſubſtantia jejunij, quæ conſiſtit in unica refectio„ ne, utut lauta & opipera, & abſtinentia ab altera, ac certis „ cibis: ſed tantùm varietur aliqua circumſtantia, quatenus „ refectiuncula per conſuetudinem modernîs temporibûs ve„ ſpere ſumi ſolita, anticipetur in meridie, quam conſuetu-

Digitized by Google

„ dinem quidem variare, & extendere ſine omni cauſa, non „ videtur vacare culpâ veniali, ob rationabilem tamen cau- „ ſam v. g. ob copiam negotiorum, iter peragendum &c. li- „ cere id facere, etiam docet uſus doctorum & piorum Vi- „ rorum, non facilè teſte Bonac. carpendus. Eodem fermè „ modo loquendum de anticipatione ipſius refectionis: etſi „ enim hæc juxta modernum morem circa meridiem deberet „ fieri, eandem tamen duabûs, vel etiam tribûs horîs ex ra- „ tionabili cauſa anticipare licere, vel ſi id ſine cauſa fiat, ſo- „ lùm venialiter peccari multi docent DD., ut videre eſt apud „ Laym. *tr. 8. c. 1. n. 11.* & Bonac. *d. ult. q. 1. p. 4. n. 3.* eò „ quòd determinatio temporis quoad dictam refectionem ſo- „ lùm ſit circumſtantia accidentalis, quâ etiam variatâ ſub- „ ſtantia jejunij eccleſiaſtici ſubſiſtit.

CASUS LXVII.

REligioſus ante horam 11. offam, vel ſimul etiam ſolidiorem cibum ſumpſit, poſtea per horam legit, vel miniſtrat ad menſam, deinde rurſus comedit: dubitat, an per binam hanc refectionem jejunium non violaverit?

RESOLUTIO.

MOs hic defendi ſine ſcrupulo poteſt ex eo, quòd communiter DD. admittant, poſſe interrumpi refectionem ex aliqua cauſa: & quidem non violari jejunium, ſi quis per integram horam à menſa, ſeu potiùs à cœna abſit, dummodò non concluſerit cœnam, ſed cum intentione redeundi abſceſſerit. Miniſtros autem & Lectores menſæ in Monaſteriis, ne viribus debilitatis ægrè officium ſuum præſtent, licitè antecedenter aliquid accipere, ac finitô miniſteriò refectionem continuare poſſe expreſsè docent cum multis aliis Bonac. *p. 3. n. 10.* loc. cit. Laym. *n. 6.* allegans Regulam S. Benedicti

c. 38.

Digitized by Google

c. 38. Ratio eſt, quòd continuatio voluntatis unam moraliter (licèt phyſicè interruptam) conſtituat cœnam. Unde à contrario, qui ſufficienter refectus à cœna diſcedit, animô non redeundi & continuandi, licitè eandem non poteſt reaſſumere ob diſcontinuationem ſcilicet non tantùm phyſicam, ſed etiam moralem: quamvis Leſſ. *l. 4. c. 2. d. 2. n. 11.* doceat, talem mutatâ voluntate & modicâ ſolùm intercedente morâ poſſe adhuc ad convivas redire, modò cœna nondum ſit peracta, quam ſententiam etiam probabilem reputat Laym. *n. 6.* ibidem.

„ Q. An violet jejunium, qui extra conſuetam corporis „ refectionem ſatis largum ſumit potum vini vel cereviſiæ, ex „ intentione non tam ſedandi ſitim, quàm famem & appe- „ titum comedendi? R. Quamvis olim minor licentia ad- „ hibendi potum diebûs jejunij fuiſſe videatur, quàm modò: „ teſte eodem Laym. *n. 7.* ut propterea S. Antonin. Richard. „ & alij quidam voluerint, potationem vini, præſertim ante „ meridiem violare jejunium. Communis tamen, & ex re- „ cepta conſuetudine certa hodie eſt ſententia, quam etiam „ tenet D. Thomas *2. 2. q. 147. a. 6. ad 2.* ſumptionem potûs „ non violare jejunium. Rationem dat S. D. hîs verbîs: *Ec- „ cleſiæ jejunium non ſolvitur, niſi per ea, quæ interdicere in- „ tendit Eccleſia, inſtituendo jejunium: non autem intendit „ interdicere abſtinentiam potûs, qui magìs ſumitur ad altera- „ tionem corporis & ad digeſtionem ciborum, quàm ad nutri- „ tionem: & ideò licet pluries jejunantibus bibere &c.* Nec „ refert bibentem id facere ex intentione ſedandi famem &c. „ etſi enim talis agat contra finem & intentionem Legis, non „ tamen propterea violat Legem, cùm finis Legis non cadat „ ſub Legem, utpote non præceptus. Benè tamen obſer- „ vandum, quod aſſumitur ad potandum, non tantùm de- „ bere eſſe liquidum, ſed debere verè habere rationem potûs,

 „ ſeu

„ ſeu ex natura ſua ad elixandum, vehendúmque alimentum „ eſſe deſtinatum. Unde non licet juxta Tambur. & alios „ die jejunij bibere lac, vel jus, multò minùs gallinam diſtil- „ latam & ſimilia, magìs rationem cibi, & alimenti, quàm „ præcisè potûs habentia. Licet econtrà bibere, quidquid „ juxta communem æſtimationem hominum & receptum u- „ ſum rationem potûs ſeu vehiculi alimenti habet. De po- „ tione Chocolatica, quæ hodie tum de manè, tum de die „ multis eſt uſui, nonnulli dubitârunt, & Tambur. nullate- „ nùs permittit. Refert quidem Illſung *tr. 4. diſp. 1. a. 3. n.* „ *39.* tres Pontifices Gregorium XIII. Pium V. & Paulum V. „ deſuper interrogatos reſpondiſſe, etiam huic veram potûs „ rationem convenire, nec proin jejunio obeſſe. Non de- „ ſunt tamen, præſertim in Italia, qui nolunt hanc declara- „ tionem authenticam eſſe.

CASUS LXVIII.

NOnnemo circa quantitatem & qualitatem collationis ſcrupuloſus & anxius Confeſſarium conſulit, quid & quantum denique tutò & ſine periculo peccati ad collationem comedere poſſit?

RESOLUTIO.

COnſulendum ſcrupuloſis, aut etiam rationabiliter dubitantibus, ut pro antidoto contra peccati periculum imprimìs ad collationem apponi faciant patinam bonæ voluntatis, & piæ intentionis, non comedendi, niſi quod & quantum licet, cum ſerio propoſito etiam cum mortificatione deſiſtendi, ſi ſcirent ulteriori comeſtione jejunium violari. Qui de hac confectione in principio, medio, & fine collationis maſticaverit, id eſt, qui ſincerè & conſtanter ita affectus fuerit, in praxi & ex poſtfacto non habet, quòd de peccato violati jeju-

jejunij angatur, aut confiteatur. Ne verò error craſſus vel ignorantia vincibilis interveniat, atque talis ſine fundamento præſumat, & putet licitum, quod eſt nimium, aut econtrà, nec quod licet, audeat: monendus eſt, collationem ex conſuetudine ortam & fundatam eſſe, proinde ubi conſuetudo publica, communis & certa eſt, eam attendendam: quomodo, quia in partibus noſtris conſuetudo eſt, circa qualitatem ciborum nihil calidum, econtrà de aliis etiam ſolidioribus cibis moderatè comedendi, tutus erit, qui ſe conformat. Laym. *tr. 8. c. 1. n. 9.* Bonac. *d. ult. q. 1. p. 3. n. 2. & 3.* Illſung *tr. 4. d. 1. a. 3. n. 40.* & ſeq.

In quantitate communis & notoria conſuetudo non æquè allegari poteſt, quia pro diverſitate complexionis plus, minúsve ſumere licet, & defactò inæqualiter ſumitur. Cùm igitur aliorum complexio & appetitus poſt largè etiam ſumptam collationem remanens mihi non conſtet, non poſſum ſcire, qualis inter mei ſimiles & paris mecum conditionis ſeu complexionis conſuetudo ſit: interim ex relatione & opinione communi hoc in noſtris partibus conſuetum, proin ex conſuetudine communi probabile videtur, non ad certum pondus ſcilicet 4. uncias, ut exiſtimant nonnulli: nec ad certam proportionem juſtæ refectionis, v. g. 4.tam partem, ut vult Buſenbaum, Reginald. Dian. & alij, eſſe attendendum, ſed tunc probabiliter ritè jejunari, ſi non ad ſatietatem collatio ſumatur, verùm cum mortificatione (quæ eſt finis & intentio hujus præcepti) & appetitu notabili (connaturaliter loquendo) remanente collatio abrumpatur: atque ita tum in qualitate, tum etiam in quantitate ſat notabilis differentia remaneat inter cœnulam & cœnam juxta communem uſum & praxin timoratorum in qualibet regione.

Cæterùm cùm AA. in aſſignanda quantitate circa prætactam refectiunculam utcunque diſcrepent, referre placet,

 quæ

quæ ſæpè citatus Clariſſ. P. Illſung loco priùs cit. n. 42. habet. *In allegandis*, inquit, *Authoribus pro conſtituenda aliqua certa quantitate cœnulæ vel collationis veſpertinæ diligenter attendendum eſt, ubi & pro quibus locis dicti AA. ſcripſerint: quia in calidis Regionibus, ut Hiſpania, Italia &c. meritò AA. ſtrictiores ſunt, cùm ibi minore cibo opus ſit, & jejunium ſtrictiùs ſit receptum, & ratione fructuum & vini, & in prandio ratione piſcium ſit hominibus, præſertim opulentioribus, meliùs proviſum. At in frigidis Regionibus, uti in Germania noſtra, ubi Laymann & Ego ſcripſimus, paulò plus neceſſitate naturæ & conſuetudine conceſſum eſt: unde ex inæquali ſtatuta quantitate non ſtatim aliqui nimiæ ſeveritatis, nec alij nimiæ laxitatis arguendi ſunt, vel pro Ducibus & Magiſtris abſolutè & univerſaliter recipiendi, ſed prudenti diſtinctione circumſtantiarum utendum eſt, quæ vel maximè colligi poteſt ex conſuetudine piorum & timoratorum Virorum, tanquam ad ſecuriſſimam regulam tandem refugiendum. Cùm enim veſpertinæ collatiunculæ uſus per conſuetudinem introductus, ac permiſſus ſit, & conſuetudo vim Legis ſtatuendi, abrogandi, mitigandi, explicandi habeat, præſertim quando piorum uſu, & temporis continuo tractu præſcripta, atque recepta eſt, illi etiam licitè ſe accommodare aliquis poterit.*

„ Q. Quinam diſpenſare poſſint in præcepto jejunij? R. 1. „ Si cauſa non jejunandi ſit perſpicua, non opus eſſe diſpen„ ſatione, ſed per ſe licere non jejunare: eò quòd obligatio „ Legis propter ſupervenientem claram neceſſitatem hîc & „ nunc non ſtringat. Ita DD. communiter. 2. Poteſt S. „ Pontifex diſpenſare in præcepto jejunii tam validè, quàm „ licitè: licitè quidem cum cauſa, validè autem etiam ſine „ cauſa, quia præceptum jejunij eſt ſolùm Juris poſitivi hu„ mani Eccleſiaſtici, cujus Author ac ſupremus Arbiter eſt „ S. Pontifex. Quod ob paritatem rationis etiam dicendum

„ de

Digitized by Google

„ de Epiſcopis, & Prælatis Regularium epiſcopali jurisdictio-
„ ne gaudentibus in jejuniis proprii Juris, ſeu à ſe inſtitutis
„ circa ſuos ſubditos, ut docet Tambur. *l. 4. c. 5 §. 7. n. 55.* & alii.
„ In communi autem Lege Jejunii, ſcilicet per Sedem Apo-
„ ſtolicam inducti, Epiſcopus etiam aliquando quidem po-
„ teſt diſpenſare, ſi nimirum vel ab ipſo Sum. Pont. habeat
„ poteſtatem diſpenſandi: vel ad eundem non ſit recurſus,
„ casúsque diſpenſandi ſit frequens. Teſte eodem Tambur.
„ loc. cit. non tamen ſine cauſa, cùm diſpenſatio in Lege Su-
„ perioris ſolùm ſit conceſſa, ut ſubditorum neceſſitatibus in
„ quibusdam caſibus ſuccurratur: nullâ autem ſubſiſtente
„ causâ, nulla etiam eſt neceſſitas. Bonac. de Diſpenſ. Fulli-
„ enſ. & alii. Plerique tamen notant, minorem cauſam re-
„ quiri & ſufficere, ut cum uno vel altero in particulari, quàm
„ cum integra communitate diſpenſetur. His addunt Do-
„ ctores, etiam Parochos ex cauſa rationabili cum particula-
„ ribus ſuis parochianis diſpenſare in hoc præcepto poſſe.
„ Etſi enim non habeant poteſtatem ſupra Jus commune, hæc
„ tamen diſpenſandi poteſtas eſt iiſdem acquiſita, tum per
„ tacitum Pontificis conſenſum, tum per longævam conſue-
„ tudinem: tum quia, ut loquitur Tambur. n. 56., nimis
„ aliàs gravarentur fideles, imò & Epiſcopi, ſi pro ejuſmodi
„ minutiis ſemper deberent adiri. Alij autem, ut Confeſſa-
„ rius, Medicus, vel etiam alius Vir probus declarare quidem
„ cauſam, diſpenſare tamen de ſe non poſſunt, quæ cauſa
„ non evidens, ſed dubia eſſe debet. Denique benè obſervat
„ cit. Fullienſ. ſubſiſtente ejuſmodi causâ dubiâ, Superiorem
„ poſſe & debere diſpenſationem abſolutè concedere, & non
„ conſcientiæ ſubditi relinquere, ut à quibusdam ſcrupuloſis
„ Superioribus fieri aſſolet, ex hoc ſubditos manifeſto pec-
„ candi periculo exponentes.

Quar-

Digitized by Google

Quartum Eccleſiæ Præceptum.

De annua Confeſſione & Paſchali Communione.

CASUS LXIX.

MIles, qui nec præceptum jejunij per Quadrageſimam, nec præceptum de Confeſſione & Communione Paſchali obſervavit, contendit, ſe ex poſtfacto non ampliùs ad ſupplendam negligentiam tam in uno, quàm altero obligari, niſi dum iterum redeat Quadrageſima & Paſcha.

RESOLUTIO.

QUi per Quadrageſimam non jejunavit, ſive ex cauſa excuſante, ſive ſine omni cauſa, non tenetur alio tempore jejunium ſupplere: at qui Confeſſionem & Communionem omiſit tempore Paſchali (*A*) manet obligatus poſtea id perficere. Ratio differentiæ eſt, quia in hoc præcepto poſteriori principale eſt Confeſſio & Communio annua, minus principaliter, aut potiùs novo præcepto additum eſt, *idque circa feſtum Paſcha &c.* ut conſtat *ex c. Omnis utriuſque ſexûs.* Econtra præceptum jejunii, & intentio præcipientis eſt, non ſeorſim jejunium, & ſeorſim certum tempus præcipere, ſed indiviſim unum præceptum eſt, jejunium à die Cinerum uſque ad Paſcha, uti etiam aliis certis diebus Vigiliarum & quatuor temporum obſervare: proin tempore elapſo impoſſibile eſt, præcepto ampliùs ſatisfieri, conſequenter ad id nemo tenetur: ſicut etiam, qui uno die omiſit Breviarium, item, qui neglexit Sacrum, alio die non tenetur ſupplere, uti quoad utramque partem communis tenet Theolog.

„ (*A.*) Q. 1. An omittens eodem anno Confeſſionem

„ &

„ & Comunionem unum duntaxat, vel duo diſtincta com-
„ mittat peccata mortalia? R. cum S. Thoma *in 4. d. 17. q.*
„ *3. a. 1.* committere duo diſtincta, eò quòd præceptum
„ Confeſſionis & Communionis ſint duo diſtincta præce-
„ pta, juxta communem ſenſum fidelium agnoſcentium
„ 5. præcepta Eccleſiæ, ex quibus duo conſtituunt annua
„ Confeſſio & Communio. Conſtat idipſum ex Trident.
„ *Seſſ. 14. c. 5. & Can. 8.*

„ Q. 2. Quomodo tempus annuum ad Confeſſionem
„ ſacramentalem obligans ſit computandum. R. Etſi à
„ Vaſq. Dian. & quibusdam aliis id computetur à Januario
„ in Januarium. A communiori tamen DD., quos referunt
„ & ſequuntur Salmant. tr. 6. c. 7. p. 4. Annus reſpectu hu-
„ jus obligationis computatur ab uno Paſchate in aliud,
„ quia hic cenſetur annus eccleſiaſticus, & conſuetudini
„ Eccleſiæ magis conformis. Unde qui in Nativitate Do-
„ mini confeſſus eſt, præcepto quoad illum annum ſatis-
„ fecit, nec ampliùs tenetur in Paſchate confiteri, niſi for-
„ ſan ob ſacram communionem, ſi ſciat ſe culpæ lethali ob-
„ noxium. ut docet Suar. *d. 36. ſect. 3. n. 4.* Navar. *c. 2. n. 9.*
„ & alii communiter. Ratio eſt, quòd dictum *cap. Omnis*
„ *utriusque &c.* non determinet tempus intra annum ad Con-
„ feſſionem inſtituendam, ſed ſolùm dicat, quemvis teneri
„ ſemel in anno confiteri. Benè tamen duo adhuc notant
„ AA. ut videre eſt apud Laym. *tr. 6. c. 5. n. 9.* & alios. Pri-
„ mò. Eum, qui integro anno diſtulit, vel neglexit Con-
„ feſſionem, teneri poſtmodùm ſtatim, quamprimùm com-
„ modè poſſit fieri, confiteri. Cujus ratio eſt, quòd tempus
„ unius anni non aſſignetur ut terminus finiens obligatio-
„ nem (uti accidit in præcepto Jejunij, vel audiendæ Miſſæ)
„ ſed tantùm, ne confeſſio ulteriùs differatur: quando autem
„ terminus aſſignatur non ad finiendam obligationem, ſed

Digitized by Google

„ tantùm ad non ulteriùs differendam impletionem præcepti, „ tunc manet obligatio ad præſtandum opus præceptum, „ quamprimùm commodè fieri poſſit. Argum. textûs *in l. Cel-* „ *ſus. ff. de Recept. Arbitr.* Secundò. Eum, qui ineunte an- „ no prævidet, ſe non habiturum copiam Confeſſarij, vel „ aliundè à Confeſſione impeditum iri toto reliquo anni tem- „ pore, teneri anticipare confeſſionem. Ratio eſt, quia, quan- „ do præceptum per aliquod tempus continuum obligat, ſi „ quis prævideat, ſe in una temporis parte non poſſe illud „ implere, tenetur id implere in alia, ut patet in eo, qui die „ Dominico prævidet, ſe ab hora 8.[va] uſque ad 12.[am] non „ ampliùs poſſe audire Sacrum, tenetur Sacro alicui intereſſe „ antecedenter. Idem cum proportione dicendum de ſacra „ Communione in Paſchate. Ut docent Suar. *loc. cit. ſect.* 5. „ Bonac. *d.* 5. *q.* 5. *ſ.* 2. *p.* 4. *n.* 21. cum communi DD.

CASUS LXX.

ALius ad evitandam pœnam in foro externo confeſſus eſt, ſed imperfectè ſeu invalidè: itaque etiam ad Communionem S. acceſſit indignè & ſacrilegè, nunquid Precepto utrique ſatisfecit?

RESOLUTIO.

QUi imperfectè, adeóque ſacrilegè confitetur, nihil agit, nec ſacramentalem Confeſſionem peragit, ſed tantùm ſimulat, ſe ſacramentaliter confiteri: ergò præcepto Eccleſiæ, & intentioni ejuſdem de annua Confeſſione ſacramentali non ſatisfacit; ſed ſicut qui non Sacerdoti confitetur, utique non ſatisfacit præcepto; quia nimirum præceptum non de qualicunque ſimulata & inutili, ſed de vera & ſacramentali Confeſſione eſt. Dein Præcepto divino non ſatisfit per confeſſionem invalidam, eò quòd finis proximus & intrinſecus hujus præ-

præcepti ſit, reconciliatio cum Deo: ergo nec præcepto Eccleſiæ, cùm hoc ſolùm ſit determinatio Præcepti divini quoad tempus: quoad ſubſtantiam quippe præceptum Confeſſionis ſacramentalis eſſe Juris divini clarè habetur in Trident. *ſeſſ. 14. can. 6. & cap. 5. (A.)* Similiter etiam is, qui ſacrilegè cum Juda communicavit, licèt verè Communionem Euchariſticam perceperit, non ſatisfecit præcepto Eccleſiæ, & inſuper aliud longè gravius, ac divinum Præceptum indigne communicando violavit. Etſi autem videatur diſpar ratio inter confeſſionem invalidam, & communionem ſacrilegam, eò quòd hoc Sacramentum ſit permanens, prius autem conſiſtat in uſu, adeóque in priori caſu nullum prorſus ſuſcipiatur Sacramentum, benè tamen in poſteriori (licèt indignè): ob quam rationis diſparitatem nonnulli Theologi antehac docuêre, ſatisfieri præcepto Eccleſiæ etiam per communionem ſacrilegam, eò quòd verum ſuſcipiatur Sacramentum: quia tamen etiam hæc ſententia ab Innocentio XI. in terminis eſt damnata ſub hac propoſitione *n. 55. Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.* Ideò ampliùs ſuſtineri non poteſt. Ratio eſt eadem, quæ prioris ſententiæ: quia nimirum non præcipitur mera phyſica manducatio, ſed moralis, ſcilicet per modum cibi & potûs, non autem veneni, quale ſuſcipit indignè manducans vel bibens Corpus & Sanguinem Domini: ut conſtat ex D. Paulo *1. Cor. 11. v. 27.*

„ (*A.*) Q. An ob confeſſionem ſacrilegè factam invalidè
„ abſolutus, liberetur ſaltem à reſervatione, ſi quædam pec-
„ cata reſervata in tali confeſſione propoſuit? R. cum Ca-
„ jet. V. Caſ. Reſerv. Suar. *d. 31. ſ. 4. n. 9.* Laym. *tr. 6. c. 5.*
„ *n. 11.* Bonac. *d. 5. q. 7. p. 5. n. 9.* pœnitentem invalidè ab-
„ ſolutum etiam ex propria culpa nihilominùs liberari à reſer-
„ vatione peccatorum, ſi quæ eſt confeſſus, ſi abſolvens quo-

„ que habuit poteſtatem in reſervata : etſi per ejuſmodi con-
„ feſſionem nec ſatisfiat præcepto Eccleſiæ , nec confitens ob
„ propriam indiſpoſitionem à dictis peccatis coram Deo libe-
„ retur. Ratio eſt , tum quia talis jam ſatisfecit fini reſerva-
„ tionis , præſentando ſe Superiori : tum quia Confeſſarius
„ abſolvendo petit facere , quantum poteſt : adeoque in tan-
„ tum ſaltem liberat pœnitentem, ut non ampliùs teneatur ſe
„ ſiſtere Superiori, ſed poſſit poſtmodùm à quocunque Sacer-
„ dote approbato ab iiſdem peccatis abſolvi. Bonacina ta-
„ men loc. cit. quamdam facit exceptionem. Niſi ſcilicet con-
„ feſſio fiat Sacerdoti præcisè habenti facultatem abſolvendi à
„ reſervatis virtute Jubilæi. Rationem dat. Quòd poteſtas
„ abſolvendi à reſervatis tempore Jubilæi ſolùm detur quoad
„ veros pœnitentes , qui nimirum ponunt opus & conditio-
„ nem , ſub qua conceditur facultas abſolvendi , & lucrandi
„ Jubilæum : quales non ſunt , qui ex propria ſua culpa &
„ indiſpoſitione ſacrilegè confitentur, & invalidè abſolvuntur.

CASUS LXXI.

SImplex ruſticus confitetur, omiſiſſe ſe communionem & confeſſionem paſchalem , ſed de reliquo non apparet peccatum mortale, ſeu materia neceſſaria, quam nunc , vel tunc , tempore ſcilicet paſchali confiteri debuiſſet de neceſſitate.

RESOLUTIO.

IN praxi inhærendum eſt verbis præcepti, quæ univerſaliter omnes fideles ad annuam confeſſionem obligant. Unde quidquid aliqui ſpeculentur, & de mente præcipientis præſumant, quòd ſolùm tempus determinare & cavere voluerit, ne ii, qui confeſſione indigent, nimium eâdem procraſtinent: de reliquo non voluiſſe, ad confeſſionem ſpecialiter

Digitized by Google

liter obligare eos, qui materiam neceſſariam non habent; adeóque ex ſe obligati non ſunt, ſicut utique (inquiunt) non obligavit ad Confeſſionem annuam, qui nullum peccatum etiam veniale commiſit &c. Nihilominùs, quia ex ſolidioribus, & in materia Legum ac præceptorum receptis fundamentis conſtat, quòd lex univerſaliter præcipiens aut prohibens liget univerſaliter etiam iis in caſibus, ubi ratio legislatorem movens, aut neceſſitas præcipiendi ceſſat: eò quòd non tantùm propter cauſam vel neceſſitatem univerſalem, quæ in ſingulis caſibus reperiatur, verùm etiam ex cauſa, quæ frequenter (etſi non ſemper) accidit, univerſaliter quidpiam ſtatui poteſt. Ideò etiam in propoſito, quia frequenter periculum animæ ſubeſt, ſi homines ultra annum Confeſsionem differant, ideò univerſaliter annua Confeſſio præcepta eſt, ligátque hoc univerſale præceptum etiam in caſu, quo neceſsitas confitendi aliàs non eſſet. Ut docent Sylv. Bonav. Nugnus. Filliuc. Vaſq. & alii apud eundem, relati à Bonac *d. 5. de Sacram Pœnit. q. 5. ſ. 2. p. 4. n. 8.* Præſumptio illa, cui contrariæ ſententiæ DD. innituntur, periculoſa & non ſatis rationabilis eſt. Neque enim rationabiliter de mente Legislatoris præſumi poſſe videtur, quòd diſtinctionem facere, & tantùm eos, qui peccati mortalis ſibi conſcii ſunt, ad Confeſsionem annuam obligare, atque ſic eoſdem quaſi prodere & confundere: vel aliis anſam dare voluerit, ſuſpicandi, & judicandi, eos peccati mortalis reos eſſe, qui tempore paſchali confitentur, ſiquidem aliàs non tenerentur confiteri. Accedit, quòd nullus hominum ſciat, an amore vel odio dignus ſit, ergò rationabiliſsimè omnibus injuncta eſt annua Confeſsio, ut ab occultis, aut non agnitis peccatis mortalibus emundentur. Et quidquid denique ſit de obligatione per ſe & directa, certum tamen eſt apud omnes, præceptum annuæ Confeſsionis ſaltem obligare

ligare indirectè indiſcriminatim omnes. 1. Ratione ſcandali evitandi. 2. Ad evitandum peccatum præſumptionis, ne forſan præter venialia quis habeat etiam aliquod mortale, cujus non recordetur, & à quo indirectè abſolveretur, ſi venialia ex motivo quodam univerſali attritus vel contritus confiteretur. 3. Ut evitet pœnas eccleſiaſticas ab Eccleſia non confeſsis per annum vel tempore paſchali inferri ſolitas. Caſus ille, quòd ſi aliquis nullum, etiam veniale comiſiſſet per annum, uti exoticus & Metaphyſicus eſt, in materia practica nihil curandus, neque Leges, aut Legislatores eo reſpexiſſe, aut propterea intentionem ſuam, vel univerſalem Legis obligationem limitâſſe, aut modificâſſe cenſeri debent.

„ Q. Quandonam obliget præceptum Sacramentalis „ Confeſsionis, quatenus eſt Juris Divini? R. Obligare „ præcipuè in articulo mortis, & probabili vitæ periculo, „ quale eſt ex. gr. inſtans prælium, periculoſa navigatio, „ graſſans peſtis, imminens naufragium &c. aut quando „ fœmina primò eſt paritura, vel difficulter parere ſolet. „ Ita Salmant. allegantes communem DD. Ratio eſt, quòd „ hoc Sacramentum à Chriſto Domino ſit inſtitutum tan„ quam ſingulare ſalutis remedium, & velut ſecunda poſt „ naufragium tabula, adeóque vel maximè adhibendum, „ dum potiſsimùm imminet ſalutis periculum, uti fit in ar„ ticulo mortis, vel alio probabili vitæ periculo. Quando „ & quoties verò hoc divinum præceptum (abſtrahendo à „ præcepto eccleſiaſtico) obliget extra articulum mortis, „ AA. non conveniunt. Nonnulli volunt, aliquem mox „ teneri ad Confeſsionem, ſi morale periculum advertat, „ ne peccata memoriæ excidant, niſi mox ea confiteatur. „ Sed contra eſt, quòd nemo juxta Trident. teneatur confi„ teri, niſi tantùm illa peccata, quæ poſt diligentem con-

ſcien-

Digitized by Google

„ ſcientiæ diſcuſsionem memoriæ occurrunt. Hinc alii „ autumant, hoc præceptum de ſe ſaltem obligare quolibet „ quinquennio, alii anno 4.to, alii tertio. Multi ſingulis „ annis, quo etiam inclinant ii, qui dicunt, Chriſtum Do- „ minum tempus determinandum reliquiſſe Eccleſiæ: hanc „ verò ſaluberrimè præcepiſſe, ut fideles ſingulis ſaltem an- „ nis ſemel confiteantur.

Quintum Eccleſiæ Præceptum.

De Nuptiis tempore prohibito non celebrandis.

CASUS LXXII.

CՕntraxit aliquis tempore Adventûs ſponſalia: nunc ex alia cauſa pœnitens reſilire volens prætendit, ea non legitimè celebrata, utpote tempore prohibito.

RESOLUTIO.

SPonſalia ſive de præſenti, ſive de futuro tempore Adventûs aut Quadrageſimæ contracta, valent & obligant ſemper, neque retractari poſſunt, ut patet ex ipſa inhibitione Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 10.* ſic ſonante: *Ab Adventu Domini Noſtri JESU Chriſti uſque in diem Epiphaniæ, & à Feria 4.ta Cinerum uſque in Octavam Paſchatis incluſivè antiquas ſolemnium Nuptiarum* (non autem ſponſalium) *prohibitiones diligenter ab omnibus obſervari ſacra Synodus præcipit.* Imprimis igitur vi hujus præcepti tantùm ſolemnis celebratio Nuptiarum interdicta eſt, nullo modo autem ſponſalia de futuro. Dein tametſi ſponſalia de præſenti ſolemniter in Eccleſia celebrare (*A.*) ſponſúmque more ſolito traducere illicitum, & tam ex parte contrahentium, quàm ipſius Parochi aſſiſtentis mortale peccatum ſit, ut communis tenet DD. eò quòd fiat transgreſſio præcepti Eccleſiæ in re gravi: niſi forſan per con-

ſue-

ſuetudinem legitimè præſcriptam alicubi aliter ſit receptum. Tamen propter Sacramentum etiam illicitè, aut cum impedimento impediente contracta ſponſalia de præſenti valent, & ligant, ut in materia Matrimonij dicetur.

„(*A.*) Q. Quid nomine Nuptiarum ſolemnium quintô „hôc Eccleſiæ præceptô prohibitarum veniat? R. denuò „juxta communem DD. Non intelligi ipſum contractum „Matrimonij, præmiſsîs etiam denuntiationibûs, neque ejuſ„dem conſumationem, ſed publicam duntaxat ſolemnitatem: „nempe benedictionem ſolemnem, traductionem publicam „ſponſæ in domum ſponſi, publica convivia, choreas & his „ſimilia, quæ publicas nuptias comitari ſolent, ſacróque „Adventûs & Quadrageſimæ tempori inconvenientia ſunt. „Unde non improbabiliter quidam cum Sanchez *lib. 7. d. 7.* „*n. 12.* exiſtimant, etiam præfatîs temporibûs Matrimonium, „omiſsîs tamen dictîs ſolemnitatibûs celebrari poſſe: colli„güntque id ex *c. Capellanus. de Feriis.* Ubi dicitur de con„ſuetudine Romanæ Eccleſiæ eſſe, ut quocunque tempore „matrimonium contrahatur. Benè tamen obſervat Laym. „*tr. 10. p. 4. c. 15.* attendendam eſſe conſuetudinem, quæ „apud nos viget, ut Parochus ejuſmodi matrimoniis non aſ„ſiſtat, niſi neceſſitas urgeat, nec eadem benedicat ſaltem „durante tempore prohibito, niſi cum præſcitu & licentia „Ordinarii, ut in caſu ſequenti dicetur.

CASUS LXXIII.

Miles in procinctu ſtans intendit celebrare Nuptias infra Octavam Paſchæ, requirit & conſulit Parochum, an & quonam modo id fieri poſſit?

RESOLUTIO.

IN caſu neceſſitatis, aut ubi ſpecialis cauſa, vel periculum fornicationis &c. ſubeſt, licitè contrahi matrimonium poteſt,

teſt, privatim & ſine ſolemnitate: Parochus autem, niſi urgens neceſſitas moram non patiatur, ut ſi ejuſmodi miles in periculo mortis conſtitutus, vel ſtatim diſceſſurus concubinam ducere velit &c. Benè faciet, rem ad Epiſcopum deferendo, cujus eſt, tum in denuntiationibus diſpenſare, tum modum extraordinarium privatim & ſine ſolemnitate aſſiſtendi hujuſmodi matrimoniis Parocho præſcribere.

„ Q. Quænam pœnæ ſint conſtitutæ pro transgreſſoribus „ hujus præcepti? R. Si Parochus ſine licentia ſui Ordina- „ rii matrimonio tempore interdictô celebrato aſſiſtat, vel eti- „ am ſolemniter benedicere præſumat, graviter puniri poſ- „ ſe, hoc ipſo, quòd peccet mortaliter, violando præceptum „ Eccleſiæ in re gravi: quia tamen nulla certa in Jure præ- „ ſcripta eſt pœna, ea Judicis Eccleſiaſtici arbitrio relinqui- „ tur. Sponſis verò in pœnam criminis ſtatuta quidem eſt „ pœna ſeparationis ad tempus *c. Non oportet. 2. 33. q. 4.* Si „ tamen periculum incontinentiæ ſubeſſe videatur, etiam iiſ- „ dem pœna quædam arbitraria erit imponenda. Ut docet „ Sanch. loc. priùs cit. *n. 5.* & alii.

CIRCA QUARTUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

Honora Patrem & Matrem.

EXplicatîs hactenus breviter, quæ circa tria primæ tabulæ præcepta, Cultum, Honorem, & Amorem DEI reſpicientia, communiter in Tribunali ſacro obviare ſolent, ad præcepta ſecundæ tabulæ progredimur, quæ de Dilectione Proximi tractant.

Digitized by Google

Hic quippe finis eſt Decalogi, ut homines inſtituantur, quomodo ſe rectè gerant tam circa Deum, quàm Proximum: ut docet D. Thomas *1. 2. q. 99. a. 1. ad 2.* Et ipſe Chriſtus atteſtatur *Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: & proximum ſicut teipſum: in his enim univerſa Lex pendet & Prophetæ.* Velut autem inter proximos primum facilè locum obtinent Parentes, utpote quibus id, quod ſumus, poſt Deum debemus, idcircò ſupremus Legislator poſt primæ tabulæ præcepta, immediatè ſubjunxit quartum. Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram. De quo porrò

CASUS LXXIV.

Filiusfamilias maturæ ſatìs ætatis accuſat ſe in confeſſionali de amore & reverentiâ debitâ Parentibus non exhibitìs.

RESOLUTIO.

Interrogandum, quid contra amorem aut reverentiam filialem egerit, cogitatione, verbô, vel opere. Nam ſi nihil contra amorem aut reverentiam factum, non arguendus erit filius gravioris peccati, etſi poſitivè non ſemper adeò amaverit. At ſi odium deliberatum habuerit, vel malum parentibus optaverit in re gravi, id non tantùm in genere odij, ſed ex circumſtantia perſonæ ſpeciale contra quartum præceptum peccatum erit. Uti ſatìs innoteſcit ex illo *Exod. 21. Qui maledixerit Patri ſuo vel Matri, morte moriatur.* Similiter, ſi verbis aſperioribus aut contumelioſis: item ſi ipſo facto, ſignìs, aut etiam denegando conſueta benevolentiæ ſigna &c. Parentes affligere, & graviter contriſtari, ſive ex propoſito, ſive ſaltem advertenter, multò magìs ſi verbera infligere, vel etiam minari tantùm, aut manum attollere

auſus

auſus ſit, peccatum mortale & ſpeciale cenſendum eſt. Uti denuò conſtat ex illo *Deut. 27. Maledictus, qui non honorat Patrem ſuum, & Matrem.* Prout etiam fusè id explicat Celeberrimus noſter Sayrus in ſua Clavi Reg. *lib. 7. c. 4.* & ſeq. Bonac. in Decal. *diſp. 6. q. un. p. 2. 3. & 4.* Navar. *c. 14. à n. 11.*

Ubi porrò notandum, levem quidem oblocutionem, aut brevem benevolentiæ denegationem, imò inter homines rudes & ruſticos etiam aliquam increpationem, aut deriſionem, non ſtatim cenſenda eſſe peccata mortalia, quando nimirum gravem, & quam hîc & nunc meritò graviter ſentiant Parentes, inhonorationem talia non important: attamen etiam econtrà verba cruda, geſtus aut ſigna averſionis, quæ reſpectu aliorum levia & venialia eſſent, poſſe reſpectu parentum fieri & eſſe mortalia: quia graviter offendere poteſt parentes, quod alius non niſi leviter apprehenderet, & ſentiret: igitur eò reſpiciendum & interrogandum erit, an advertenter aut ex propoſito fecerit, vel dixerit quidpiam filius, ex quo parentes graviter offenſi & contriſtati fuerint. Nam parvitatem materiæ & inadvertentiam in his non rarò à peccato mortali excuſare notant AA. præcitati.

„ Q. An hôc præceptô non ſolùm honor & amor filiorum „ erga parentes, ſed etiam parentum erga filios præcipiatur? „ R. cum S. Anton. Clav. Reg. & aliis communiter affirma- „ tivè. Ratio eſt, quòd ipſa natura dictet, parentes quoque „ multa filiis debere proportionaliter loquendo: nec refert, „ id præceptô expreſſum non eſſe, cùm enim filius ſit aliquid, „ & quaſi pars patris, ipſa natura ad amandum & benefacien- „ dum inclinat, nec opus eſt diſtinctô & expreſsô præceptô, „ veluti nullo opus eſt ad dilectionem ſui ipſius, abundè in- „ clinante ad id ipsâ naturâ. Obligantur proinde parentes vî „ hujus præcepti ad tria potiſſimùm. 1. Ad alimenta ſub- „ miniſtranda. Et quidem primô trienniô prolem alere ma-

 „ ter,

„ ter, reliquô autem tempore uſque ad emancipationem pa-
„ ter neceſſaria ſubminiſtrare tenetur. *L. Nec filium. C. de Patr.*
„ *poteſt.* 2. Tenentur parentes ex jure naturæ curare, ut fi-
„ lij eorum bonîs moribûs inſtituantur, neceſſaria ad ſalu-
„ tem edoceantur, præcepta Dei & Eccleſiæ obſervent, oc-
„ caſiones peccati fugiant &c. & ſi deliquerint, moderatè
„ corrigantur, vel etiam caſtigentur. Inſuper ut bonîs lit-
„ terîs vel artibûs juxta ſtatûs & qualitatum conditionem im-
„ buantur, quatenùs honeſtam vitam ducere, nec congruâ
„ aliquando ſuſtentatione egere, quantùm eſt de ſe, debeant:
„ & huc collimant verba D. Pauli 2. *ad Cor.* 12. dicentis: *Nec*
„ *enim debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis.*
„ 3. Tenentur parentes relinquere filiis ſuis libertatem in
„ electione Statûs, neque enim eorum eſt *Vocare*, ſed Dei:
„ unde graviter peccant, ſi eos à Religionis ingreſſu retrahant,
„ vel invitos eò compellant, aut matrimonio jungant &c. Spe-
„ cialiter Trident. *ſeſſ. 25. de Reg. c. 18.* excommunicat omnes,
„ qui dolîs aut minîs invitas puellas, vel mulieres (exceptîs ca-
„ ſibûs à Jure permiſsîs) ad ingreſſum Monaſterij, vel ſuſce-
„ ptionem habitûs, aut profeſſionem faciendam cogunt. Et
„ qui ſcienter ad hoc conſilium vel auxilium dederint: vel his
„ actibus præſentiam, vel authoritatem, aut conſenſum inter-
„ poſuerint. Similî quoque anathemate ibidem ferit eos, qui
„ ſanctam Virginum vel aliarum Mulierum Voluntatem acci-
„ piendi, vel voti emittendi quoquo modo ſine juſta cauſa
„ impedierint.

CASUS LXXV.

ALius confitetur, quòd contra prohibitionem parentum tabernam acceſſerit: familiaritates periculoſas cum fœminis habuerit, aut omninò fornicatus ſit &c.

RE-

Digitized by Google

RESOLUTIO.

Diſtinguere oportet inter admonitiones, vel dehortationes utcunque ſerias, & inter præceptum aut prohibitionem. Nam cùm filius quoad educationem & morum directionem ſubjectus ſit patri, ſpeciale atque ſpecialiter in confeſſione exprimendum erit peccatum, contra prohibitionem parentum in quocunque peccati genere peccâſſe, aut pericula peccandi non devitâſſe: ſiquidem parentes ſeriò cum intentione & ſufficienti declaratione, quòd ex parte ſua patria poteſtate uti, aut filium obligare, & ex obedientia obligatum eſſe velint. Nam præceptum non obligat ultra intentionem præcipientis. S. Th. *2. 2. q. 104. a. 5.* Cajet. *V. Filij peccata.* Navar. *c. 14. n. 12.* Graffius *c. 56. n. 15.* & alij. Quæ intentio non tantùm verbîs expreſsîs, ſed etiam ex modo agendi & prohibendi, maximè ſi de jure & poteſtate paterna, aut econtrà de ſubjectione & obedientiâ, quam filius patri exhibere tenetur, mentio aliqua fiat. Interim in dubio, & ubi nulla obedientiæ mentio facta eſt, præſumi poteſt, magìs dehortationem, quàm juſſionem aut prohibitionem: neque mentem parentum fuiſſe obligationem novam gravìs ſaltem obedientiæ filijs imponere, eo ferè modo, quo de obedientia vel inobedientia Religioſorum docent Theologi.

„ Q. Quandonam filij cenſeantur mortaliter peccare
„ provocando parentes ad iracundiam? R. Si filij verba
„ tam aſpera, contumelioſa, vel rebellia erga parentes ef-
„ fundant, vel aliîs dictîs aut factîs eoſdem graviter laceſ-
„ ſent, ut hi propter eà in gravem iram prorumpant, haud
„ dubiè peccati mortalîs reos eſſe, etſi forſan id non cum
„ omnimodè plenâ deliberatione & advertentiâ faciant.
„ Cujus ratio eſt, quòd hoc præceptum lumini naturali ita
„ inſitum ſit, ut talia vix fieri poſſint, quin gravitas eorum,

Digitized by Google

„ adeóque etiam notabilis transgreſſio præcepti memoriæ
„ occurrant, ut adeò indeliberatio, quæ fortè in aliis præ-
„ ceptis excuſaret, hîc locum non inveniat, prout in ſi-
„ mili de Blaſphemia diximus. Quòd ſi verò offenſa ex
„ ſe non ſit tanta, ut meritò propterea parentes graviter
„ iraſcantur, ſed ſolùm ex vitio naturæ, vel colerica paſ-
„ ſione, aut aliâ causâ præter ſpem & intentionem filiorum
„ in gravem iram ſe effundant, à mortali erunt excuſandi,
„ cùm id vitio parentum potiùs, quàm filiorum ſit adſcri-
„ bendum. Vide Clav. Reg. *l. 7. c. 5. n. 3.* Tolet. in Summ.
„ *l. 5. c. 1.* & alios.

CASUS LXXVI.

JUvenis ruſticus relictâ domo paternâ alterius famulitio ſe mancipat contra voluntatem patris.

RESOLUTIO.

Cùm filius teneatur obedire patri (non æquè matri) in iis, quæ ad familiæ gubernationem notabiliter & principaliter faciunt, peccabit mortaliter, qui contradicente & graviter invito patre familiam deſerit: niſi valdè extraordinariæ cauſæ v. g. injuſta ſævitia patris, vel omninò periculum animæ propter odia, rixas &c. talem diſceſſum excuſent. Ita colligitur ex D. Th. *cit. q. 104. a. 5. in C.* ubi ſic habet. *In his, quæ pertinent ad diſpoſitionem actuum & rerum humanarum tenetur ſubditus ſuo Superiori obedire, ſecundùm rationem ſuperioritatis. Sicut miles Duci exercitûs in his, quæ pertinent ad bellum: ſervus Domino in his, quæ pertinent ad ſervilia opera exercenda: filius Patri in his, quæ pertinent ad diſciplinam vitæ & curam domeſticam &c.* Ex quo DD. communiter inferunt, filium peccare mortaliter, ſi non obtemperet patri in re gravi quoad ea, quæ perti-

nent

Digitized by Google

nent ad gubernationem domûs & familiæ, præſertim ſi id fiat ex obſtinatione & pertinaciâ animi, ut notat Sayrus *loc. cit. n. 9.* Laym. tamen *l. 3. tr. 4. c. 8. n. 7.* inquit, Patrem non poſſe prohibere filium, ne ex domo paternâ diſcedat artis diſcendæ cauſâ, vel ut aliud honeſtum vitæ genus amplectatur, niſi pater ita inops ſit, ut ex pietate filius obligetur ad operam ipſi præſtandam.

„ Q. In quibusnam filius non teneatur obedire patri?
„ R. In duobus præcipuè caſibus id conſiſtere. 1. Quo-
„ ad electionem ſtatûs perfectioris e. g. Clericatûs vel Re-
„ ligionis &c. ut jam dictum Caſu 74. (de Matrimonio in
„ Caſu ſequenti) unde advertens filius ſe à Deo vocatum,
„ poteſt inſciîs & non rogatîs parentibûs Clericatum aſſu-
„ mere, vel Religionem intrare, ſi ſciat, eoſdem de hoc
„ admonitos reluctaturos, vel ſeſe injuſtè impedituros.
„ Ratio eſt, quòd filius quoad hoc ſit ſui juris, nec ſubſit
„ patri, ut patet ex illo *Actorum 4. Obedire oportet Deo ma-*
„ *gìs, quàm hominibus.* Item *Matth. 10. Qui amat patrem*
„ *aut matrem plùs quàm me, non eſt me dignus.* Quod expo-
„ nens D. Gregorius *Homil. 37. in Evang.* ait: *Parentes, quos*
„ *adverſarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo neſcire*
„ *debemus.* Notat tamen D. Thomas *2. 2. q. 101. a. 4. ad 3.*
„ & communiter Theologi. Si parentes ſint in extrema
„ vel valdè gravi neceſſitate, filium etiam intermiſſo Reli-
„ gionis ingreſſu teneri iiſdem obedire & ſuccurrere, eò
„ quòd ingreſſus Religionis ſit conſilij, ſubvenire autem
„ parentibus in tanta neceſſitate obligationis naturalis.
„ 2. Non tenetur filius obedire parentibus in rebus pravis
„ Juri naturali, divino, vel etiam humano repugnantibus,
„ niſi forſan talis ſuperveniat cauſa, quæ pravitatem operis
„ tollat, & prohibitionem ceſſare faciat. Quòd ſi dubium
„ ſit, an juſſa parentum excedant limites eorundem juris-

„ dictio-

„ dictionis, tenentur filij nihilominùs obedire: cùm enim „ hi Jure naturali, divino & humano ſint iiſdem ſubditi, „ conſtat de parentum poteſtate, ſúntque in poſſeſſione, à „ qua non debent deturbari per dubiam exceptionem ex- „ emptionis, ut loquitur Tambur. *l. 1. c. 3. §. 7. V. Subditus.* „ Sanch. Dian. & alij: quod tamen à quibuſdam limitatur „ catenus, ut res præcepta non vergat in præjudicium tertij.

CASUS LXXVII.

Filia inſcio & inſalutato patre: filius conſulto quidem, ſed contradicente, & rationabiliter invito patre ſponſalia contraxit de futuro, vel etiam de præſenti: cujus peccati arguendus iſte, vel illa?

RESOLUTIO.

Electio Statûs tam matrimonialis, quàm Religionis eatenus libera de jure eſt, & eſſe debet, ut nec parentes in hoc cogere, aut abſolutè prohibere filios poſſint. Ut conſtat ex *c. Sufficiat. 27. q. 1. & c. Veniens. de Sponſal.* S. Thomas *2. 2. q. 104. a. 5.* Cùm enim matrimonium ſit vinculum indiſſolubile, perpetuúmque onus, ac coacta inſuper matrimonia ordinariè difficiles ſoleant ſortiri exitus &c.: Ideò ſi in uno caſu, vel maximè in hoc contrahentes oportet eſſe liberos, ſuique juris & voluntatis.

Itaque ſi adſit rationabilis cauſa, & deſit contemptus, aut animus ex inſtituto contriſtandi vel deſpiciendi parentes, non peccabit ſaltem mortaliter, qui vel inconſultis parentibus, vel contra conſilium (nam imperium hîc locum non habet) matrimonium contrahit, quia utitur jure ſuo, & libertate ſibi de jure competente. Quæ ratio ſuadet etiam, ſi diſuadente & contradicente patre filius aut filia cum aliquatenùs inæqualis conditionis, aut aliàs non

adeò

adeò qualificato, & indigno contrahat, adeò, ut ex communi hominum apprehenſione aliquale dedecus familiæ inde enaſcatur &c. Necdum eſſe peccatum mortale. Secus dicendum, ſi ex ejuſmodi matrimonio, ut benè notat Sanchez *l. 4. de Matrim. d. 23.* timeantur gravia mala, ſcandala, vel alia incommoda, aut ob nimiam inæqualitatem magnum familiæ dedecus inferatur.

Et quamvìs decens ſit, ſaltem præmonere & conſulere patrem: adeoque contrarium indecens, & per ſe contemptum importare videatur: ita ut Bonac. *q. 4. p. 17. n. 25.* de Matr. cum multis aliis peccati mortalis reum dicat filium vel filiam, ſi abſque cauſa inconſulto patre matrimonium contrahant: quòd ſi tamen ex rationabili quadam conſideratione parentibus irrequiſitis contrahant: puta, ſi quis ex una parte ita indubiè reſolutus, aut fortè ex cauſa prægnante neceſſitatus ſit, matrimonium tale contrahere, ut certum ſit, conſilia & rationes parentum in contrarium opponendas ſine omni effectu fore: econtrà ex altera parte perpendat, parentes, ſi maturè moneantur, tantùm diutiùs affligendos, & non minùs de contemptu conqueſturos, ſi rationes & motiva eorum contemnantur, quàm ſi omninò non conſulantur &c.: maximè ſi inſuper timendum, ne illi modô illicitô cum periculo animæ ſuæ matrimonio ſe opponant &c. tali, inquam, caſu, uti filius aut filia in foro conſcientiæ de contemptu parentum condemnari non poteſt, ita nec de peccato ſaltem mortali. Vide cit. Bonac. Tambur. & alios.

„ Q. An filia invitò aut inconſulto patre nubens poſſit ex-
„ hæredari? R. cum Sanch. *d. 24. n. 15.* Navar. *c. 14. n. 15.*
„ & aliis negativè. Ratio potiſſima videtur, quòd talis pœ-
„ na libertati matrimonij, adeóque etiam Trident. & SS. Ca-
„ nonibus præjudicare cenſeatur. Velut enim ſtipulatio pœ-

 nalis

Digitized by Google

„ nalis in contractu ſponſalitio juxta communem DD. illicita
„ & nulla eſt, eò quòd libertati matrimonij præjudicet juxta
„ *c. Gemma. de Sponſal.* : ita non minùs ejuſdem libertati vi-
„ detur repugnare, filiam privari hæreditate in pœnam, quòd
„ invito patre contraxerit, quoniam metus exhæredationis
„ haud leviter libertatem minuere cenſetur. Exiſtimat qui-
„ dem Layman. *tr. 10. p. 1. c. 1. n. 15.* Lege vel conſuetudine
„ poſſe introduci, ut filia exhæredetur in caſu, ſi non con-
„ ſulendo patrem peccavit mortaliter: e. g. ſi fecit ex mero
„ contemptu &c. eò quòd ejuſmodi delictum ad ſæcularem
„ quoque Magiſtratum pertineat, ab eóque puniri poſſit, ut
„ docet Covarr. *in Epit. p. 2. c. 6. n. 22.* Cui tamen ob alla-
„ tam rationem contradicit Sanch. & alij.

CASUS LXXVIII.

PAterfamilias confitetur, ſe uxorem & liberos malè tractâſſe, verberibus excepiſſe, domo expuliſſe, ídque ordinariè, cùm vel ebrius, vel aliundè ad indignationem & iracundiam commotus fuit; putat, non graviter ſe peccâſſe, eò quòd jure ſuo in ſuos uſus ſit.

RESOLUTIO.

PAterfamilias in domo & familia ſua jus habet regendi & corrigendi: proinde ſi liberos, vel etiam uxorem mandatis ſuis parere nolentes, vel aliàs delinquentes, verbis, aut verberibus corrigat, injuriam non facit, ſed jure ſuo utitur. Quòd ſi modum excedat, ordinariè peccatum veniale cenſendum contra virtutem diſcretionis, niſi exceſſus enormis, & pœna ſeu verberatio nimis gravis, atque delicto improportionata foret: tunc enim etiam mortale peccatum incurri poſſet. Ut docet Clav. Reg. *l. 7. c. 7. n. 8. & 9.* Bonac. *d. 6. q. un. p. 7. n. 2.* & alij communiter.

At

Digitized by Google

At in caſu poſito, ſi ob bilem per alium motam, aut conſuetudinem ebrietatis ſæviat in innocentes, cùm ad hoc jus nullum habeat, etiam injuriam ſuis faciet. Interim quia inter familiares, aut familiariter notos ſæpè injurioſum, ſaltem graviter, non cenſetur, quod reſpectu aliorum grandis injuria eſſet, v. g. verbum, aut cognomen contumelioſum, levis nec doloroſa percuſſio &c.: item & multò magis reſpectu filij minorennis modica vel nulla injuria cenſetur, etiam verbera de manu paterna accepiſſe: quod ſecus foret de adulto & emancipato, in officio vel dignitate conſtituto &c. prout ſimiliter inter conjuges illuſtres, aut alias honoratiores, levis quoque percuſſio, aut etiam verbalis injuria graviter affligere, & rationabiliter pro gravi offenſa haberi poteſt, quæ in plebe modicæ conſiderationis eſſet. Ideò in hac materia circumſtantiæ attendendæ, & à pœnitente indagandum eſt: an ita conjugem aut liberos verbìs vel factìs ſine culpa ipſorum offenderit, ut hîc & nunc conſideratis omnibus gravem offenſam, contumeliam aut injuriam ſe paſſos rationabiliter, ſuô & communî Prudentum judiciô, judicare & reſentire poſſint. Atque tunc ulteriùs de numero peccatorum hujuſmodi, utpote mortalium, inſuper de ſatisfactione parti læſæ facienda quærendum & monendum erit.

„ Q. In quibus potiſſimùm peccet uxor circa maritum ſu-
„ um? R. Peccare imprimis graviter, ſe notabiliter inobe-
„ dientem exhibendo in iis, quæ ad bonos mores, domûs, ac
„ familiæ gubernationem ſpectant. Patet ex eo, quòd vir ſit
„ caput utriusque, ſcilicet tam familiæ, quàm ipſius uxoris.
„ Unde à mortali non excuſatur, ſi contemptô vel graviter
„ invitô maritô jus gubernandi ſibi arroget: vel ejuſdem ju-
„ ſta præcepta implere non curet, quale juxta Navar. *c. 14.*
„ *n. 20.* etiam eſt, ut ſuperflua & vana deponat, moréſque
„ incompoſitos exuat. Secundò cenſetur graviter peccare, ſi

„ ſciens, vel ſcire debens, maritum ad gravem iram, vel blaſ-
„ phemias provocet, aut rixarum & contentionum in domo
„ cauſa ſit: quod viciſſim etiam cum proportione dicendum
„ de ipſo marito. Tertiò. Non minùs graviter peccat, ſi vi-
„ rum aliò migrantem nolit ſequi (velut etiam vir, ſi nolit
„ ſuæ uxori cohabitare) niſi adſint juſtæ & ſufficientes cauſæ
„ divortij, vel ſeparationis: quæ fuſiùs videri poſſunt apud
„ Bonac. de Matrim. *q. 4. p. 6. n. 20.* & alios ibidem relatos.
„ Ulteriùs peccat uxor dives, ſi marito inopi alimenta ne-
„ ceſſaria deneget, vel in caſibus fortuitis non ſuccurrat, quo-
„ niam eundem taliter non diligere perhibetur. *L. Si cum do-
„ tem. ff. Soluto Matr.* Denique uterque conjux graviter pec-
„ cat, ſi abſque gravi cauſa una pars alteram malè ſuſpectam
„ habeat de incontinentia, alióve gravi crimine: vel invicem
„ defraudent quoad debitum conjugale, ut conſtat ex D.
„ Paulo *1. Cor. 7. verſ. 5. Nolite fraudare invicem, niſi fortè
„ ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi.*

„ Cæterùm, quæ hactenùs circa hoc præceptum diximus,
„ de obligatione liberorum erga parentes, mariti erga uxo-
„ rem & viciſſim, cum proportione etiam intelligenda ſunt
„ de officiis & obligationibus pupillorum erga Tutores, vel
„ alios vicem Parentum gerentes: item de obligationibus
„ ſubditorum & inferiorum, quorumcunque erga Dominos,
„ aut Superiores ſuos juxta monitum ejuſdem Doct. gentium.
„ *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.*
„ *Ad Rom. 13.* De quibus fuſiùs AA.
„ præcitati.

AD

AD QUINTUM DECALOGI PRÆCEPTUM.
Non occides.

A Præcepto de honorandis parentibus ſeu diligendo proximo progredimur ad præcepta ſecundæ tabulæ negativa, varia damna & injurias ab eodẽ proximo avertentia. Inter quæ primũ locum obtinet præceptum : *Non occides.* Velut enim homini poſt dona ſupernaturalia nihil magìs præcipuũ & charum, quàm unio animæ cũ corpore, ſeu vita: ita majus damnũ eidem inter bona temporalia inferri nequit, quàm ſi violenter & injurioſè dicta unio diſrumpatur, ſeu vita auferatur. Hinc Optimus Deus omniũ bonorum ac donorum noſtrorũ Largitor & Cuſtos tantum damnum à conſortio humano arcere volens ſpeciale præceptum de non occidendo, ſeu quocunque modo lædendo in bonis corporalibus, tabulis Moyſis, ſimúlque cordibus hominum inſcribere voluit. De quo proinde

CASUS LXXIX.

ACcuſat ſe pœnitens, commiſiſſe ſe ſemel homicidium, quid Confeſſarius ultra interrogare habeat, ut tum ſpeciem peccati, tum obligationem reſtituendi, tum etiam pœnas irregularitatis, aut cenſuras annexas dijudicare poſſit?

RESOLUTIO.

QUærendum 1. An voluntariè & ex propoſito talis occiderit. De homicidio neceſſario, ſeu neceſſariæ defenſio-

fenſionis cauſa facto: item de eo, quod in cauſa tantùm voluntarium, per ſe autem non intentum, adeóque non ex propoſito factum eſt, ſeorſim infrà dicetur.

2. De qualitate perſonæ quærendum, nam ſi Mater, Uxor &c. occiſa foret, ſpecie diſtinctum à communi homicidio peccatum erit, proin ſpecialiter & proprio nomine, parricidii, uxoricidii &c. (ſcilicet non tantùm contra charitatem & juſtitiam, ſed etiam contra pietatem, ſeu quartum Decalogi præceptum) in confeſſione exprimendum: Si Clericus fuiſſet, reatum ſacrilegii & cenſuram excommunicationis incurriſſet homicida juxta *c. Si quis ſuadente. 17. q. 4.* Nec à Confeſſario, niſi ſpecialiter privilegiato, abſolvi poſſet.

3. De reſtitutione facienda, non quidem pro ipſa vita occiſi, utpote quæ nec reſtitui, nec æſtimari poteſt, prout habetur *L. ult. ff. Qui effuderunt.* Sed pro quantitate damnorum uxori, liberis, aliiſve ex tali morte emergentium cum pœnitente agendum erit. (*A.*)

4. De irregularitate lata in occidentes, vel etiam mutilantes *c. 1. & c. Sicut dignum. 6. de Homic. Item c. un. de Hom. in Clement. Trident. Seſſ. 14. c. 7. &c.* tunc mentio facienda, ſi pœnitens Clericus ſit, aut ad ſtatum clericalem veroſimiliter aſpirare, neque tamen hujus impedimenti ſufficientem cognitionem habere videatur.

„ (*A.*) Q. Quid & quibus teneatur reſtituere injuſtè
„ mutilans, vel occidens? R. 1. Teneri juxta communem
„ DD. ſenſum reſtituere omnia damna compenſabilia ex ejuſ-
„ modi homicidio vel mutilatione emergentia: qualia ſunt
„ imprimis expenſæ in curatione vulneris adhibitæ, vel factæ
„ in exequiis ſeu funere occiſi, ſi ob certas circumſtantias ſint
„ majores, quàm aliquando per ſe debuiſſent fieri. Item de-
„ bet compenſari lucrum ceſſans, ſecundùm æſtimationem
„ ſpei,

Digitized by Google

„ ſpei, quam juxta Prudentis Viri arbitrium vulneratus vel oc-
„ ciſus conſideratîs viribûs, induſtriâ, ætate, aliiſque circum-
„ ſtantiîs ad tale lucrum habuiſſet, ſi læſus non fuiſſet, dedu-
„ ctîs tamen expensîs in ſuſtentationem occiſi, vel vulnerati
„ aliàs faciendîs. Dixi *ſecundùm æſtimationem Spei.* Nam ut
„ monet Bonac. de Reſtit. *d. 2. q. ult. ſect. 2. p. 1. n. 6.* non ne-
„ ceſſariò integrum lucrum compenſandum, ſed in quantum
„ valebat ſpes: eò quòd lucrum in ſpe minus valeat, quàm
„ in re, velut ſegetes in flore aut ſemente minus valent, quàm
„ in ſegete. Ratio horum eſt, quòd occiſor vel vulnerans
„ injuſtâ ſuâ actione efficax cauſa fuerit omnium iſtorum
„ damnorum, lucríque ceſſantis. R. ad 2. Si læſus ſolùm
„ fuerit vulneratus, eidem eſſe compenſationem faciendam:
„ ſi autem ſit occiſus, teneri homicidam eandem facere uxori
„ & liberis: vel in horum defectu ſuccedentibus ab inteſtato.
„ Ita Abbas. *c. 1. de Injuriis.* Navar. *c. 15. n. 24.* Clav. Reg.
„ *l. 11. c. 2. n. 14.* Ratio eſt: quòd hi vel cenſeantur una
„ quaſi perſona cum defuncto ob conjunctionem: vel ſaltem
„ habeant jus connaturale ad ejuſdem hæreditatem aliquando
„ relinquendam, ſi injuſtè occiſus non fuiſſet. Dubitatur
„ tamen adhuc de creditoribus: & iis, quos occiſus merè li-
„ beraliter ſuſtentabat. Reſpondet Stephan. à S. Paulo *tr. 4.*
„ *d. 5. dub. 3. n. 24.* quoad priores, non occiſorem ſed hære-
„ des occiſi (quibus occiſor omnia damna compenſat) debi-
„ tis occiſi, adeoque & creditoribus ſatisfacere debere: cùm
„ enim hi ſuccedant in jus occiſi, etiam onera ipſius ut fe-
„ rant, oportet. Verùm quid ſi occiſus nullam hæreditatem
„ nec in ſpe, nec in re, multa tamen debita relinquat, & oc-
„ ciſor ſat dives ſit? Hinc R. cum Haunoldo *tr. 2. n. 671.*
„ occiſorem etiam creditoribus ſatisfacere debere ſaltem, ſi
„ damnum à ſe inferendum præcognovit, vel facilè præco-
„ gnoſcere potuiſſet: eò quòd damnum taliter creditoribus

„ datum

Digitized by Google

„ datum eidem ſit voluntarium. Quamvis Molina & alij ab-
„ ſolutè occiſorem ad ſatisfaciendum condemnent, ſi occiſus
„ creditoribus ſolvendo non fuit, eò quòd morte prævcntus ſit.
„ Quoad poſteriores R. cum Laym. *l. 3. ſect. 5. tr. 3. p. 3. c. 6.*
„ *n. 3.* & aliis: Iiſdem probabiliùs nihil deberi. Hoc ipſo
„ enim, quòd occiſus merè liberaliter eos ſuſtentaverit, ni-
„ hilque ex juſtitia debuerit, etiam in nullo ſuo Jure fuerunt
„ læſi. Quod tamen Illſung *tr. 4. d. 2. q. 2. n. 78.* etiam li-
„ mitat, niſi occiſor damnum hiſce inferendum præcognoverit.

CASUS LXXX.

ALius causâ defenſionis vitæ ſuæ occidit: ſed invaſor Pater fuit, Sacerdos, aut proprius Parochus: num ſine noxa irregularitatis, excommunicationis &c.? Et quid ſi reus criminis lictores ſe comprehendere volentes, aut Judicem ipſum vel Superiorem occidat, aut verberet, causâ defendendi ſe.

RESOLUTIO.

EXaminandus eſt pœnitens, an verè & in conſcientia ſua ſentiat homicidium tale conſideratîs omnibûs circumſtantiîs abſolutè neceſſarium fuiſſe, adeoque ex moderamine inculpatæ tutelæ factum eſſe. (*A.*) Ita ſcilicet, ut aliud medium non fuerit, vel ſaltem tunc nullo modo in mentem ſibi venerit, declinandi, vel evadendi præſens & evidens vitæ periculum. Si ita ſentit, & quidem de periculo vitæ ſuæ agebatur, liber à culpa, cenſurâ, & irregularitate pronuntiandus eſt: etſi occiſus fuerit Pater, Sacerdos, aut quiſcunque alius injuſtè aggrediens, ut cum D. Thoma *2. 2. q. 64. a. 7.* communis tam Theologorum, quàm Canoniſtarum eſt ſententia. Ratio eſt, quòd omni jure ac lege permiſſum ſit, vim iniquam vî repellere, ordóque Charitatis exigat, vitam propri-

am

Digitized by Google

am præponere alienæ: ac inſuper aliàs melior foret conditio malorum, quàm bonorum, dum iiſdem daretur occaſio bonos invadendi, ſecuris, quòd ab his non occiderentur. Quòd ſi medium evadendi occurrerit, ſed illud reſpectu perſonæ, & præſertim circumſtantiarum valdè probroſum ſit &c. an nihilominùs homicidium neceſſarium, vel licitum (tametſi non neceſſitate defendendi vitam, ſed honorem duntaxat) ſit? dicetur infrà ſpecialiter. Attamen ſi Magiſtratus aut Superior reum criminis capitalis per ſe vel ſuos miniſtros invadat, capiat, aut ſuppliciô afficiat, hìc enimverò defenſio locum non habet juxta illud tritum: Ubi juſta offenſio, ibi injuſta defenſio eſt. Præterea exigit bonum publicum, ac forum juſtitiæ, ut ejuſdem miniſtri tanquam juſti aggreſſores indemnes ſerventur. Fugere tamen, utut nomine & authoritate legitimi Judicis reus ſtare jubeatur, imò etiam poſt captivitatem auffugere, ſi poſſit, peccatum non erit, ut denuò docet D. Thomas *q. 69 a. 3. & 4.* quia nemo tenetur ſui ipſius eſſe carnifex, lictor aut cuſtos, nec judex id jubere poteſt: cùm quivis eatenùs habeat jus ad vitam propriam conſervandam, ut eidem hoc nullâ lege humanâ adimi poſſit. Unde etiam licitum eſt reo in carcere jam detento, ut docet Baſſæus Leſſ. & alij: vincula rumpere, carceres infringere, cuſtodes ſeclusâ vî, fraude, gravî ſcandalô, vel juramentô &c. decipere, ut auffugere poſſit. Quippe cui licitus eſt finis, etiam licita ſunt media, præcisâ fraude &c. ut dixi. Etſi talis in foro civili ob adhibitam vim forſan graviorî pœnâ mulctetur, ſi deprehendatur.

„(*A.*) Q. Quid ſit moderamen inculpatæ tutelæ, ſive „Ein rechtmäſſige Nothwähr: & ſub quibus conditioni-„bus licitum? R. Eſſe neceſſariam ſui defenſionem, qua-„tenus injuria ſive aggreſſio aliter depelli nequit. Ad hujus „verò licitum uſum requiritur 1. Ut detur vera invaſio ſeu

„ aggreſſio per vim iniquam facta. Unde non ſufficiunt ti-
„ mor, nec ſuſpicio aggreſſionis faciendæ, quia jus naturæ
„ non concedit, vim vî repellere, niſi vis inferatur. Neque
„ ſufficit teſte Sayro *l. 7. c. 10. n. 18.* invaſio per calumniam,
„ dum e. g. Judex ſive per calumniam, ſive falſos teſtes, ſivè
„ proceſſum iniquum innocentem vitâ privare intendit, con-
„ formiter Decreto Alexandri VII. damnantis ſequentem pro-
„ poſitionem, *Ord. 18. Licet interficere falſum accuſatorem,
„ falſos teſtes, ac etiam judicem, à quo iniqua certò imminet
„ ſententia, ſi aliâ viâ innocens non poteſt damnum evitare.*
„ Ratio prohibitionis videtur eſſe, tum quòd calumnia non
„ ſit propriè vis vel aggreſſio, tum quòd poſſit per teſtes
„ contrarios, & ordinem Juris depelli, tum denique, quia
„ grave inferretur damnum reipublicæ humanæ, quatenùs
„ non modò innocentes, ſed etiam nocentes, & digni mor-
„ tis ſuppliciò ſub ſpecie calumniæ illatæ ſeſe cum occiſione
„ judicis, accuſatoris vel teſtium defenderent. 2. Requiri-
„ tur. Ut defenſio fiat in ipſo actu aggreſſionis moraliter ſpe-
„ ctato. Unde nec licet inimicum prævenire, utpote quòd
„ non foret merè propulſare injuriam, ſed eandem prævenire.
„ Nec licet occidere peractâ aggreſſione, utpote quòd eſſet
„ injuriam vindicare. Dixi tamen *moraliter ſpectato;* quia
„ DD. communiter concedunt, ad actualem aggreſſionem non
„ ſemper requiri actualem percuſſionem, ſeu invaſionem, ſed
„ ſufficere, inimicum vel in inſidiis jamjam latere, vel arma
„ proximè parare, aut ſtringere, aut actu irruere, ſicque al-
„ terum de ſecutura morte moraliter certum eſſe, nec ampliùs
„ medium effugiendi, aut aliter ſeſe defendendi habere, niſi
„ ipſe occidat. Ratio eſt, quòd ejuſmodi violentia actu jam
„ proximè parata, non ampliùs cenſeatur in fieri impedibili,
„ adeoque moraliter loquendo jam in facto eſſe: ſicque li-
„ cere vim vî repellere. 3. Requiritur. Ut defenſio ſit mo-
„ dera-

Digitized by Google

„ derata & non exceſſiva, ita ut plus non fiat, quàm præcisè
„ ſit neceſſarium ad damnum avertendum. ſecùs enim ite-
„ rum non foret mera defenſio, ſed potiùs injuriæ vindicatio.
„ Unde ſi hæc levi percuſſione, alióve mediô mitiori, quàm
„ actualî occiſione propelli poſſit, occidere non licebit. Sup-
„ poſitîs verò & obſervatîs hîſce conditionibûs, non modò
„ vitam propriam, pudicitiam &c. (quæ pluris ſit bonîs for-
„ tunæ) ſed etiam cujuscunque alterius innocentis: item bo-
„ na externa magni momenti ac pretij tam propria, quàm
„ aliena (niſi in uno vel altero caſu particulari rariùs contin-
„ gente bonum commune vel lex charitatis aliud præcipiat)
„ licitum eſt tueri: minimè tamen, ut vult Abul. etiam de
„ Præcepto: quia nemo tenetur vitam propriam conſervare
„ mediîs valdè difficilibûs & extraordinariîs, quale eſt, ag-
„ greſſorem iniquum occidere, & in peccato mortali conſti-
„ tutum ad infernum detrudere.

CASUS LXXXI.

INtendit quispiam adverſarium ſuum vulnerare tantùm, aut nodoſo fuſte verberare, aut per pontem in flumen non adeò vaſtum detrudere, aſt præter intentionem illum occidit: quid hîc de reſtitutione, irregularitate ſentiendum?

RESOLUTIO.

QUamvis tale homicidium non ſit abſolutè voluntarium, ſive ex propoſito factum, tamen etiam non eſt caſuale, ſed medium, id eſt voluntarium & peccaminoſum in ſua cauſa: continétque gravem & mortalem malitiam ex eo, quòd quis prævideat, actionem ſuam eſſe valdè periculoſam, adeóque ſaltem dubitet, an non cauſa mortis ſit futura, neque tamen eandem intermittit: uti univerſim, qui ſtante dubiô

Digitized by Google

practicô operatur, an v. g. actio juſta vel injuſta, an peccatum mortale vel veniale ſit &c. hoc ipſo, quia cum dubio operatur, & periculo peccandi graviter ſe exponit, gravioris & mortalis peccati reum ſe facit: prout certum eſt apud omnes. Cùm igitur in exemplis propoſitis (& ubicunque periculum propinquum, proin actio talis propter ipſum periculum mortis illicita & naturali dictamine rationis intermittenda eſt) neceſſariò, vel actu cogitatum & prævifum ſit periculum: vel certe ipſa ignorantia & inconſideratio craſſa nimis, adeoque nec in foro interno excuſans foret, omninò talis occiſor peccati mortalis reus, reſtitutioni obnoxius, atque etiam irregularis eſt judicandus. Ita paſſim DD. propter textus Juris ſatìs claros, ut videre eſt in *c. Presbyterum. & c. De catero. de Homicidio.*

Quòd ſi verò actio aliqua ex ſe & abſolutè licita ſit, etſi ſequatur exinde præter intentionem homicidium, v. g. ſi opifices dando operam ædificationi &c. unus alteri forſan improvisè prætereunti cauſam mortis tribuat &c. tametſi negligentia aut omiſſio majoris circumſpectionis culpam venialem importare poſſit, tamen ipſum homicidium caſuale cenſetur, neque irregularitatem (uti expreſsè habetur *c. 9. & 11. ac ſeq. de Homicidio.*) neque obligationem reſtituendi parit: eò quòd ejuſmodi homicidium nec in ſe, nec in ſua cauſa cenſeatur voluntarium. Leſſ. *l. 2. c. 9. d. 15.* allegans communem Juriſperitorum opinionem.

Quòd ſi demum periculum homicidii ita remotum ſit, ut meritò aliquis de eo non cogitaverit, nec propterea craſſæ & graviter culpabilis injuriæ argui poſſit, utut rei illicitæ (dummodo non propter ipſum periculum homicidii, ſed ex alio capite illicitæ & prohibitæ) operam dederit, v. g. tractando opera ſervilia die feſto &c. talis ſecutô homicidiô in foro conſcientiæ à peccato mortali in genere homicidii, & in conſe-

quen-

quentiam ex probabili ſententia juxta Bonac. *de Reſtitut. d. 2. q. ult. ſect. 2. p. 2. n. 5.* & plures ab eo relatos etiam à reſtitutione excuſari poterit : non item ab irregularitate, quippe quæ non fundatur ſemper in gravitate peccati mortalis, ſed eſt impedimentum à Jure Eccleſiaſt. certîs caſibûs conſtitutum, vel ob nullam, vel etiam ob ſolam venialem culpam ex non adhibita ſufficienti diligentia commiſſam : inter quos caſus etiam eſt homicidium, dando operam rei illicitæ alteri illatum, niſi ſcilicet omnis diligentia, quæ potuit, & debuit adhiberi, ne occiſio ſequeretur, fuerit adhibita. Vide Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 10. n. 4.*

„ Q. Quid ſentiendum de mutilatione, & reſultante ex „ ea irregularitate ? R. Ob mutilationem propriè talem „ æquè incurri irregularitatem, quàm ob homicidium; „ quia in Jure quoad hunc effectum æquiparantur, ut con- „ ſtat ex *c. 1. de Clericis pugn. in Duell. c. ult. de Homicidio* „ *in 6.* juncta Gloſſ. verb. *Mutilet.* Unde quicunque ſive „ directè ſive indirectè voluntariè ac injuſtè alterum muti- „ lat, vel ad hoc cooperatus eſt, vel ex juſtitia obligatus „ non impedivit, irregularitatem incurrit : ut conſtat tum „ ex locis cit. tum ex *c. Si quis viduam. diſt. 50. & c. Quæ-* „ *ſitum. de Pænit. & Remiſſ.* Dixi tamen ob mutilationem „ propriè talem, nam ut benè obſervat Layman loc. priùs „ cit. *c. 12.* mutilâſſe dicitur non omnis, qui vulneravit, „ ſanguinem fudit, aut membrum inutile reddidit, ſed „ ſolùm qui membrum aliquod principale, ad ſpecialem „ ſcilicet uſum deputatum, & cujus privatio notabilem „ corporis deformitatem inducit, ut ſunt e. g. manus, pes, „ oculus, naſus &c. truncavit; ut habetur *c. Sicut urgeri. 1.* „ *q. 1. c. Clericis. Ne Clerici vel Monachi. c. Archiepiſcopatu.* „ *de Raptor.* Unde Irregulares non ſunt, qui prædicta „ membra abſque vera mutilatione vel ſolùm hebetârunt,

 „ vel

Digitized by Google

„ vel ſolùm partem quandam minorem membri cujuſdam
„ abſcidêre, qualis juxta Navar. *c. 27. n. 206.* Molin. & alios
„ etiam cenſetur digitus, qui per *L. Item filius. ff. de Ædilit.*
„ *edict.* ſolùm pars membri, non membrum appellatur, eò
„ quòd non habeat diſtinctum officium, ſed ſemper cum
„ aliis concurrere ſoleat. Laym. tamen *n. 2.* vult, abſcin-
„ dentem digitum, ſaltem unum ex majoribus probabiliùs
„ & ſacris Canon. conformiùs irregularem fieri.

CASUS LXXXII.

PAterfamilias deprehendiſſe ſe ait adulterum cum conjuge vel filiâ ſuâ, & juſto dolore permotum, eundem occidiſſe.

RESOLUTIO.

QUidquid Leges civiles hoc caſu juſto dolori aut iracundiæ indulgeant, ut habetur *L. Marito. ff. Ad Leg. Juliam. de Adult. & L. Gravis eodem.*: in conſcientia tamen id nullo modo licet, ut communis tenet tam Theolog. quàm Canoniſt. Imò contrariam ſententiam omnî carere probabilitate conſtat ex damnatione ſequentis propoſitionis *num. 19. Non peccat maritus occidens propriâ authoritate uxorem in adulterio deprehenſam.* factâ ab Alex. VII. in ſpeciali decreto 24. Septemb. Anno 1665. emanato. Ratio eſt, quòd maritus aut pater jus vel authoritatem occidendi adulterum ex ſe non habeat, utpote homo privatus, neque etiam à Judice aut Republica, quaſi executor pœnæ hujus, ut ſupponitur, poteſtatem acceperit, cùm Leges ſolùm permittant, id eſt, non puniant talem homicidam, uti plura alia, quæ in conſcientia gravia peccata ſunt, in foro tamen externo impunita relinquunt. Quòd autem abſolutè poteſtatem occidendi non tribuant, nec tribuere poſſint,

ex eo

Digitized by Google

ex eo patet, tum quia ipſi Judices, Legésque hodiernæ adulterium mitiori, quàm mortis & capitis pœnâ puniunt: tum quia nulla cauſa eſt, talem commiſſionem aut poteſtatem concedendi patrifamilias, cùm res commodè ad ipſum juſtitiæ tribunal deferri, ibique ſervato juris ordine adulterium puniri poſſit. (*A.*)

Aliter accidit cum Bannitis & Proſcriptis, qui propter eam cauſam à quolibet (*B.*) occidi poſſunt, quia, cùm ſint pro utilitate publicâ è medio tollendi, & ad mortem auctoritate publicâ condemnati, nec tamen à Magiſtratu comprehendi poſſint, ideò cuivis alteri ea poteſtas datur, ut nomine Magiſtratûs hanc pœnam exequi, & Bannitum interficere poſſit.

„(*A.*) Q. 1. An Adulter vel Proſcriptus ſe defendere „poſſint moderamine inculpatæ tutelæ? R. ad 1. Adulterum vel Adulteram in actuali adulterio deprehenſam contra aggreſſores occidere volentes, ſeſe defendere poſſe etiam occidendo, ſervato tamen moderamine inculpatæ tutelæ, niſi ſcilicet elabi, aut aliter ſe tueri ſciant. Tamb. & alij. „Ratio eſt, quòd ejuſmodi aggreſſor, qualiſcunque tandem „ſit, in foro conſcientiæ iniquè invadat, utpote nec miniſter „juſtitiæ, nec aliundè occidendi poteſtatem habens, adeoque adultero licitum ſit, vim vî repellere.

„Ad 2. R. Poſt latam mortis ſententiam, facultatémque „occidendi univerſim datam, ejuſmodi Proſcriptum fugere „quidem, reſiſtere tamen ampliùs non poſſe. Ratio deſumitur à paritate aliorum reorum, vel ad mortem condemnatorum, quibus fugiendo pœnam quidem declinare, ſi „poſſint, licet, non tamen contra juſtitiæ miniſtros (quales „reſpectu proſcripti ad mortem publicè declarati cenſentur „omnes, exceptîs Clericîs in majoribus conſtitutîs, quibus „occiſio etiam proſcripti Jure Canonico ſpecialiter prohibita „eſt, teſte Tambur. *lib. 6. c. 1. §. 4. n. 4.*) ſe defendere. Vide „Clav. Reg. *l. 7. c. 9. n. 15.*

„(*B.*)

„ (*B.*) Q. 2. An liceat filio quoque occidere patrem pro-
„ ſcriptum vel bannitum? R. cum Julio Claro, Bonac. &
„ aliis, probabiliùs non licere, eò quòd filius per ſententiam
„ proſcriptionis non abſolvatur à naturali obligatione erga
„ patrem, & crudelitatem ſapiat, vitam illi auferre, à quo
„ quis ſuam accepit: quamvis nonnullis etiam contrarium
„ probabile videatur.

CASUS LXXXIII.

RUſticus occidit prædonem in ſtabulo deprehenſum, & equum vi rapere volentem: aut etiam furem jam abeuntem cum re furtiva inſecutus fuſte vel ſclopeto interficit.

RESOLUTIO.

QUòd prædonem eo caſu interficere liceat, ſi violenter domum invadat, minìs aut actionibûs ita ſe trucem exhibeat, ut dominus vel alius in domo exiſtens meritò præter amiſſionem bonorum etiam periculum vitæ ſuſpicari & timere poſſit, ſat certum eſt: & jam conſtat ex dictis ad Caſum 80. Quòd ſi autem nullum planè periculum vitæ timeri poſſit, puta, quia fur inermis, ultrò Domini conſpectum declinans, in ſtabulo tantùm aut loco ſeparato prædam captat &c. Hoc ſuppoſito. An propter ipſa bona temporalia ſervanda liceat hominem occidere, cùm ſecundùm DD. pro ſervanda hominis vita bona propria exponi, atque extremè indigenti inde ſuccurri debeat &c. non omninò certum eſſe videtur: ſpeculativè tamen probabile judico, ſi bona ſint magni momenti, & magnæ quantitatis, quòd Dominus res ſuas defendere, prædoni obſiſtere, etiam auferentem inſequi poſſit: & ſi tunc fur deſiſtere, aut res dimittere nolit, ſed potiùs ſe opponere audeat, nec aliud medium ſuperſit rem ſuam defendendi & manu-

Digitized by Google

manutenendi, etiam furem occidere poſſit (*A.*) eò quòd extrema neceſſitas rei, juríſque ſui conſervandi id exigat, & qui utitur jure ſuo, nemini injuriam facere cenſeatur: prout communis tenet DD.

Practicè autem, & prout caſus ordinariè accidunt, aliter ſentio, quia hoc ipſum, quòd extrema neceſſitas, nec aliud remedium ſit, rem ſervandi aut recuperandi, caſum valdè rarum, & conſideratô modernô noſtrô reipublicæ ſtatu, atque inter homines privatos & plebejos vix unquam contingentem cenſeo, ſi cui enim vires & animus ſunt furem aggrediendi, inſequendi, & trucidandi, is haud difficulter eundem abſterrere poterit, etiam ſolùm oſtentando arma, & comminando necem, cùm ſemper timidi ſint fures: aut certè inſequi etiam à longè furem poterit, donec videat, quò ſe recipiat cum re furtiva, ibíque judicem, vel intereà accolas in auxilium vocare, denique hoc ſaltem probabiliter ſperare ſemper poterit, adeoque præſens periculum rei amittendæ, aut certa neceſſitas, eáque inevitabilis hominem occidendi, etiam ſuppoſito, quòd quis rem ſuam ſervare & defendere velit, nunquam erit, niſi ut prædictum, in caſu valdè extraordinario magìs fingendo, quàm in praxi & confeſſionali exſpectando.

Cæterùm benè hìc notandæ ſunt tres propoſitiones ab Innocentio XI. in decreto 2. Martij 1679. edito, ob quorumdam AA. hac in materia nimìs laxè ſcribentium damnatæ: quarum prima Ordine 31. eſt. *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.* 2.[da] Ord. 32. *Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſivâ, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.* 3.[tia] Ord. 33. *Licitum eſt tam hæredi, quàm Legatario, contra injuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere: ſicut & jus habenti in Cathedram vel Præbendam, contra eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem.*

Digitized by Google

„ (*A.*) Q. An etiam Clericis & Religioſis licitum ſit fu-
„ rem, ſeu aggreſſorem facultatum externarum mutilare vel
„ occidere? R. Licere quidem id etiam Clericis & Religio-
„ ſis ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, ac ſuppoſito, quòd
„ bona ſat magni momenti & valoris ſint: ex tali tamen oc-
„ ciſione probabiliùs incurrere irregularitatem ob defectum
„ lenitatis. Ratio prioris eſt, quòd vim vî repellere ſit Juris
„ naturalis non tantùm quoad ipſam vitam, ſed etiam quoad
„ facultates externas, ſine quibus vita congruè ſuſtentari non
„ poteſt: adeoque æquè competat Clericis, quàm Laicis. Sayr.
„ *l. 7. c. 10. n. 34.* Cajet. Nav. & alij communiter. Ratio po-
„ ſterioris deſumitur ex *c. Suſcepimus. de Homicidio.* Ubi dici-
„ tur: *Expediebat potiùs poſt tunicam relinquere pallium, &*
„ *rerum ſuſtinere jacturam, quàm pro conſervandis vilibus &*
„ *tranſitoriis rebus tam acriter in alios exardeſcere.* Et Gloſſ.
„ in *c. 2. de Homici. V. non deponatur. Irregularis factus eſt,*
„ *quia potiùs debuit dimittere ſua, quàm interficere.* Abb. ibi-
„ dem. Navarr. *c. 27. n. 211. & 213.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 9.*
„ *n. 3.* aſſerens, id ipſum obſervari Romæ in curia. Ulterior
„ ratio eſt, quòd ad irregularitatem ex defectu lenitatis in-
„ currendam, non requiratur culpa, ſed ſufficiat ſpontanea
„ hominis occiſio, vel mutilatio: *in SS. Can. verò* ille dun-
„ taxat excipiatur caſus, ſi quis mortem (non verò jacturam
„ bonorum) aliter vitare neſciat, niſi ſuum occidat, vel mu-
„ tilet invaſorem. Etſi contraria ſententia etiam quibuſdam
„ videatur probabilis, ut videre eſt apud Covarr. *in Clem. p.*
„ *3. §. un.* quâ tamen relictâ nobis placuit probabiliorem &
„ tutiorem eligere.

CASUS LXXXIV.

E Contra fur cum præda fugiens, videns dominum armatum inſequentem ſe defendit, & defendendo

dendo occidit dominum, res ſuas ipſúmque furem perſequentem.

RESOLUTIO.

QUia dominus juſtè furem inſequi, eúmque armis terrere & minitando mortem rem furtivam extorquere poteſt, ideò econtra fur hoc caſu ſe opponere non poteſt, ſed rem furtivam dimittere tenetur: atque vel ideò juſta defenſio hic eſſe non poterit, cùm aliud medium evadendi periculum in promptu ſit, ſcilicet rem furtivam dimittere, & ſalutem in pedibus quærere: neque enim ignominiam, aut honoris jacturam ex fuga timere debet, qui fur eſſe non erubuit. Aliud dicendum, ſi re dimiſsâ dominus nihilominùs armis furem appeteret, & fur effugere non poſſet: tunc enim dominus re ſuâ obtentâ vindictam petens injuſtus aggreſſor, & fur juſtus ſuæ vitæ defenſor eſſet. Vide Bonac. *de Reſtit. d. 2. q. ult. ſect. 1. p. 10.*

„ Q. Quantum oporteat eſſe damnum in bonis temporalibus, ut ad illud evitandum liceat furem, vel alium iniquum aggreſſorem occidere: cùm ex Lege & ordine charitatis magìs videatur æſtimanda & diligenda vita proximi, quàm bona temporalia? R. Certum eſſe ſecundùm omnes, damnum aliquod leve non ſufficere, ſed grave ac magni momenti eſſe debere. Ratio clara eſt, velut enim ob rem exigui momenti non licet vitam propriam periculo exponere, ita nec alium eâdem privare: & licet jus naturale permittat, ſe ſuáque tueri, ipſa tamen recta ratio dictat, proximum non debere vita ſpoliari ob rem levis momenti: unde meritò damnata eſt propoſitio priùs relata: *Regulariter occidere licere furem pro conſervatione unius aurei.* Econtra ſat multorum ac gravium DD. ut videre eſt apud Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. n. 4. Bonac. loc. cit. eſt ſententia, ad evitandum grave damnum in bonis

 „ tem-

„ temporalibus licere non tantùm vim vi repellere, ſed
„ etiam ſervato moderamine inculpatæ tutelæ (ſive ſi alia
„ via non ſuppetat ejuſmodi grave damnum evitandi, vel re-
„ ſarciendi) iniquum invaſorem mutilare, vel ſi neceſſe ſit,
„ omninò occidere: quoniam aliàs nequiſſimi homines,
„ auri cupidine excæcati, à furtis, rapinis, & latrociniis
„ abſterreri ſatis non poſſent. Nec obſtat, quòd in fla-
„ granti deprehenſi & occiſi æternùm probabiliſſimè dam-
„ nentur, eò quòd propria ſua culpa & nequitia in tale pe-
„ riculum ſeſe conjecerint, ac pro libitu à violenta aggreſ-
„ ſione deſiſtere poſſent & deberent. Reſtat proinde ſolùm
„ quæſtio, quanti pretii vel æſtimationis oporteat eſſe bona
„ temporalia, ut ob jacturam eorum liceat iniquum invaſo-
„ ſorem occidere? Sunt quidem aliqui, exiſtimantes, pre-
„ tium bonorum ablatorum ſeu auferendorum, non mino-
„ ris ſaltem valoris eſſe debere, quàm duorum aureorum:
„ ſed planè videtur repugnare chriſtianæ pietati vitam pro-
„ ximi duobus vel tribus aureis (regulariter ſaltem) poſtha-
„ bere. Bonacina loc. cit. trium, quatuor, vel quinque au-
„ reorum valorem exigit. Dicaſtillus longiſſimè majorem
„ quantitatem, quàm quæ ſufficit ad mortale in furto. Sed
„ contra hos videtur eſſe, quòd reſpectu valde divitis quinq;
„ aurei, vel etiam decem tanti ponderis non ſint, quanti re-
„ ſpectu pauperis vel mediocris conditionis eſt unus vel duo.
„ Unde denique clarum videtur, nullam determinatam
„ quantitatem, pretium aut damnum rerum abſolutè taxari
„ poſſe: ſed quoad tribunal ſacrum judicio prudentis Con-
„ feſſarii conſideratis circumſtantiis præſertim ſtatûs pœni-
„ tentis & damnum paſſi id relinquendum eſſe: prout DD.
„ communiter relinquunt.

CA-

Digitized by Google

CASUS LXXXV.

NOnnemo gravi injuria affectus, v. g. alapa percuſſus, aut verbis injurioſis laceſſitus, vel etiam expreſſè ad duellum provocatus pro defenſione honoris ſui injuriantem occidit.

RESOLUTIO.

DIſtinguendum hìc videtur inter perſonas. Ac certum eſt 1. Clericis & Religioſis non licere ad honoris proprij vel etiam Religionis ſuæ defenſionem iniquum aggreſſorem, nec ante nec poſt acceptam injuriam, etiam ſervato moderamine inculpatæ tutelæ interficere. Sic Gloſſ. in *c. Suſcepimus.* Et Panorm. in *c. Significâſti. 2. de Homi.* item *c. 2. de Vit. & honeſt. Cler.* Accedit, quòd ab Alexandro VII. ſequens propoſitio Ordin 17. ſit damnata. *Eſt licitum Religioſo vel Clerico calumniatorem, gravia crimina de ſe vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit: uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè & coram graviſſimis Viris prædicta impingere, niſi occidatur.* Ratio prohibitionis præter alias cenſetur eſſe, quòd Viris Eccleſiaſticis humilitatem & manſuetudinem profeſſis ignominioſum non ſit, vel fugâ ſibi conſulere, vel exemplô Chriſti injurias & contumelias patienter ſupportare.

2. Haud minùs certum videtur juxta Sayr. & alios Inter homines plebejos nunquam licitum, aut à mortali peccato ac pœnis homicidij excuſare hanc cauſam ſeu excuſationem, pro defenſione honoris ſui homicidium feciſſe: quia inter plebejos, ſeu cives, ſeu ruſticos, homicidium non eſt medium neceſſarium ad tuendum, ſed communi vulgi judicio magìs abominabile & infame eſt, occidiſſe hominem ex dicta cauſa, quàm contumeliam paſſum eſſe.

Digitized by Google

Econtrà ſatìs honori conſultum cenſetur, ſi ad ſummum par pari (ſaltem ad abſtinendum ab occiſione) reddatur, & injuria verbalis retorſione compenſetur. Si quis hoc non poſſit, lædentem ad deprecationem, vel etiam ſatisfactionem per judicem compellere poterit, ſine notabili jactura honoris: quòd ſi hoc ipſum fortè alius deridendo exprobret, tanti res non erit, nec tantùm inde honoris periculum metuendum, ut propterea hominem occidere liceat.

Reſtat proinde ſolùm quæſtio de Perſonis illuſtribus, belli Ducibus & ſimilibus, qui ſuo & ſui ſimilium judicio honorem proprium ab aliis invaſum non niſi in continenti, & quidem viâ facti, ſeu propriæ generoſitatis oſtentatione defendere, vel recuperare cenſentur: an his, inquam, licitum ſit aggreſſorem occidere, vel ſaltem duellum acceptare, ſi nullum aliud medium ſuperſit, honorem defendendi, ſeu præcavendi, ne is graviter lædatur. Quamvìs autem antehac communis fermè DD. opinio fuerit affirmativa: eò quòd fama ſit præſtantior, quàm bona fortunæ, juxta illud tritum: Omnia ſi perdas, famam ſervare memento. Et illud *Prov. 22. Melius eſt bonum nomen, quàm divitiæ multæ &c.* ob quarum neceſſariam tamen defenſionem mutilare & occidere licet, ut conſtat ex duobus caſibus præced.

Hodie tamen ampliùs id aſſerere vel defendere non licet, ob Decretum Innocentij XI. prohibentis ſequentem propoſitionem Ordine 30. *Fas eſt Viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequeat: idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam vel ictum fuſtis fugiat.* Nec obſtat ratio, famam eſſe præſtantiorem bonîs fortunæ: etſi enim præſtantior ſit, faciliùs tamen recuperari poteſt. Unde ſic argumentari licet. Ideò invaſor

vaſor bonorum fortunæ magni momenti, vitæ vel membrorum poteſt occidi, vel mutilari, quia illa cenſentur irrecuperabilia etiam officio judicis (ſi enim recuperari poſſunt, occidere non licet, ut conſtat) atqui fama & honor ſemper recuperari poſſunt vel ſatisfactione, vel retractatione ultrò à lædente facta, vel ſaltem ſententia judicis impetrata: ergò horum invaſor nunquam occidi poteſt. Quòd ſi per accidens in aliquo caſu nulla ſuppetant media famam recuperandi, non propterea ceſſat lex ſeu prohibitio, quia bonum commune (ob quod facta eſt iſta prohibitio) prævalet bono privato: adeoque nec in tali caſu extraordinario licitum erit occidere.

Jam etiam facilè conſtat, quid dicendum de duello (*A.*) quòd ſcilicet extra caſum juſtæ ac neceſſariæ defenſionis non liceat illud acceptare ad vitandam ſolam ignominiam. Si enim ipſum homicidium ad hanc evitandam eſt illicitum, etiam duellum, utpote medium per ſe ad occidendum ordinatum, erit illicitum. Idcircò Alexander VII. hanc damnavit propoſitionem Ord: 2. *Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

„ (*A.*) Q. Quandonam duellum ſit licitum: & quænam injuſtè duellantium pœnæ? R. ad 1. Duellum ſemper eſſe licitum, quando fit cum moderamine inculpatæ tutelæ, dum ſcilicet provocatus videt, ſe aliter vitam ſuam ſalvare non poſſe, niſi duellum acceptet, vel cum provocante congrediatur: quia Jure naturali cuivis permiſſum eſt, ſe contra iniquum invaſorem vitæ defendere. Item communiter admittunt AA. duellum eſſe licitum (quod tamen eſt impropriè tale) dum juſtum bellum non niſi copioſo aliàs ſanguine terminandum, in duorum vel paucorum duellum reſolvitur: vel ſi fiat ad mo-

„ dum

„ dum, quo David Goliathum viciſſe legitur *1. Reg. 17.* Vi-
„ de ulteriùs Sanch. *l. 2. Moral. c. 39.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 5.*
„ R. ad 2. Non tantùm in injuſtè duellantes, ſed etiam in
„ patrinos eorum: item conſiliô, auxiliô, chartellîs, aut
„ aliô modô ad duella cooperantes: nec minùs in Domi-
„ nos territoriorum duella non impedientes; imò etiam in
„ ſpectatores ſolùm (ex induſtria & condicto) à Trident.
„ *ſeſſ. 25. cap. 19. de Reform.* item Bulla Greg. XIII. *Ad tollen-*
„ *dam.* & Clem. VIII. *Illius vices &c.* ſtatuta eſt pœna ex-
„ communicationis ipſi Papæ reſervata. Præterea in ipſo
„ duello congredientes, eorúmque patrinos præter dictam
„ excommunicationis pœnam, aliásve jure civili conten-
„ tas, in eodem Trident. loc. cit. decreta eſt, omnium
„ bonorum proſcriptio cum perpetua infamia, & ut ho-
„ micidæ juxta SS. Can. puniantur, ac, ſi in ipſo conflictu
„ deceſſerint, perpetuò careant eccleſiaſticâ ſepulturâ.
„ Rationem tam rigidæ ſuæ conſtitutionis aſſignat S. Con-
„ cilium, quia *deteſtabilis duellorum uſus fabricante diabolo*
„ *eſt introductus, ut cruenta corporum morte etiam animarum*
„ *perniciem lucretur:* tali proin conſtitutione ex orbe chri-
„ ſtiano meritò exterminandus.

CASUS LXXXVI.

RUſticus ſpectavit viatorem prolabi in flumen, alióve infortunio perire, neque ſuccurrit. Alius vidit duos uſque ad mortem ſe fuſtibûs verberare, nec inhibuit: & quid ſi inſuper unum contra alterum verbîs animaverit, fuſtem ſubminiſtraverit &c. Item quid ſi judex loci vel etiam lictor ſpectaverit, nec tamen inhibuerit, cùm poſſet, ut deberet? Quid uno alteróve caſu de reſtitutione, vel etiam irregularitate ſentiendum?

RE-

RESOLUTIO.

HOc caſu aliquando contra juſtitiam peccari poteſt, idque imprimìs, ſi quis activè concurrat animando, arma ſubminiſtrando &c. Deinde etiam, qui cùm teneretur ex officio præcavere, v. g. Judex, lictor &c. permittat rixas, duella &c. Demum quicunque ſpecialiter obligatus eſt, periclitanti ſuccurrere, aut ne periclitetur, præmonere, v. g. ſi famulus herum ſuum deſerat, ſi is, cui ex officio incumbit, pontem reficere, prætereuntem non moneat, eundem modò fractum eſſe &c. Ordinariè autem nullô ejuſmodi titulô juſtitiæ concurrente tantùm contra charitatem peccatur, quæ tamen in caſu hujuſmodi extremæ neceſſitatis obligat ſub mortali. Ubi ea notabilis differentia eſt attendenda: quòd, qui tantùm contra charitatem peccat, non obligetur ad reſtitutionem, neque irregularitatem aut excommunicationem, etſi Clericum in tali neceſſitate deſerat, incurrat: quia univerſim reſtitutio tantùm in materia juſtitiæ, & contra injuſtos damnificatores locum habet: pœnæ quoque, uti per ſe reſtringendæ, ita in caſibus ordinariis contra juſtitiam fieri ſolitis intelligendæ, nec ad extraordinarium caſum, quo tantùm contra charitatem peccatur, extendendæ ſunt. (*A.*) Uti latè deducit, & exemplificat Bonac. *d. 7. q. 4. p. 8.* Laym. *tr. 3. p. 3. c. 4. n. 7.*

Nec obſtat, quòd communiter talis, qui cùm poſſet, periclitanti non ſuccurrit, occidiſſe dicatur juxta illud: Eſurientem ſi non paviſti, occidiſti &c. Hæc enim verificantur latô ſolùm loquendi modô, cùm tamen in materia pœnali ſtrictè loquendum, & pœnæ ad proprios terminos reſtringendæ ſint. Ut paſſim docent DD.

„ (*A.*) Q. An conſulentes vel ratihabentes homicidium fi-
„ ant quoque irregulares, teneanturque ad reſtitutionem?
„ R. Conſulentem (idem à fortiori dic de mandante) ſuó-

„ que conſilio efficaciter in occiſionem vel mutilationem in-
„ fluentem fieri irregularem, tenerique ad reſtitutionem. Ita
„ communis. Et prius quidem habetur in *c. Si quis viduam.*
„ *diſt. 50.* ac alibi. Poſterioris ratio eſt, quòd ſit cauſa effi-
„ cax ſuo conſilio homicidij ſecuti. Excuſari tamen talis
„ poteſt tam ab irregularitate, quàm reſtitutione 1. Si con-
„ ſtet, alterum datô conſiliô non fuiſſe permotum, ſed ſuâ
„ ſponte & independenter ab alterius conſilio damnum intu-
„ liſſe. 2. Si conſilium primitùs non ſit acceptatum, poſt-
„ modùm verò mutatâ mente compleatur: modò non am-
„ pliùs formaliter vel virtualiter perſeveret, & in occiſionem
„ influat. 3. Denique, ſi conſulens ſeriò & efficaciter, quan-
„ tum eſt de ſe, conſilium ſuum revocet, ipſum verò conſi-
„ lium ſolùm fuerit ſimplex, & non veſtitum, qualificatum
„ ut vocant: quia tunc attendendum ad propoſitionem 39.
„ ab Innocent. XI. damnatam, quam optimè expendit Car-
„ denas. Ratio horum omnium eſt, quòd his ſtantibus non
„ ampliùs effectus cenſeatur à conſulente efficaciter dependere.
„ Ratum habens merè homicidium non facilè irregularitatem
„ incurrit, nec ad reſtitutionem tenetur, niſi homicidium
„ nomine ſuo fiat, vel eidem præſens ſit, & ita approbet, ut
„ moraliter influere, & cooperari cenſeatur. Sayr. *l. 7. c. 4.*
„ *n. 17.* Covar. *Clem. ſi furioſus. p. 2.* §. *1. n. 4.* & alij.

CASUS LXXXVII.

NOnnemo dubitat, & Confeſſarium con-
ſulit, an proximum, quem amat, (*A.*) v. g. Vicinum
conſanguineum &c. contra injurias & invaſionem tertij de-
fendere, & defendendo aggreſſorem occidere ſine peccato
poſſit, aut fortè etiam ſub peccato ad hoc teneatur?

R E-

Digitized by Google

RESOLUTIO.

PErſonam ſpecialiter conjunctam, vel ad ſui curam ſpectantem, aut etiam publicam & reipublicæ valdè utilem defendere etiam cum morte aggreſſoris non ſolùm licitum, ſed neceſſarium eſt, idque pro qualitate circumſtantiarum, maximè ubi ſine periculo propriæ vitæ fieri poteſt, etiam ſub mortali obligante ad hoc vel juſtitiâ, vel charitate. Quòd ſi vim patiens non ſpecialiter conjunctus, nec magìs quàm aggreſſor proximus ſit: tamen ordo Charitatis rationabiliter permittit, potiùs innocentem ſervare, quàm aggreſſorem, utpote latronem & reipublicæ damnoſum, atque ex poſtfacto per judicem occidendum. Non autem ad id obligat, quia medium nimìs durum, periculoſum & crudele foret, quod proinde apprehendere Charitas erga proximum non jubet, etſi permittat. Velut enim ad conſervationem propriæ vitæ tam difficilia media, v. g. amputationem membri ex proprio corpore non jubet, ſed duntaxat permittit, ita quoque occiſionem proximi, etſi latronis, non jubet, ſed permittit tantùm. Vide dicta ad Caſum 80. de Moderamine inculpatæ tutelæ.

„ Q. hìc incidenter. An proximum teneamur dili-
„ gere non tantùm merè externè: ſeu an præcepto charita-
„ tis proximi ſatisfieri poſſit per actus merè externos cum
„ omiſſione odii & vindictæ: vel inſuper requiratur actus
„ aliquis internus & formalis dilectionis ejuſdem? R. Per
„ ſolam ſimplicem beneficentiam externam, ac meram o-
„ miſſionem odii & vindictæ &c. huic præcepto non ſatis-
„ fieri, ſed inſuper requiri actum aliquem formalem dile-
„ ctionis. Ita conformiter Decreto Innocentii XI. duas ſe-
„ quentes propoſitiones ordine 10. & 11. rejicientis, ac pro-
„ hibentis. *Non tenemur proximum diligere actu interno &*
„ *formali.* Item *Præcepto proximum diligendi ſatisfacere*

„ *poſſumus per ſolos actus externos.* Ratio prohibitionis po-
„ tiſſima videtur deſumpta ex S. Script. quæ ſtatuendo hoc
„ præceptum, ſecundùm propriam verborum acceptionem
„ ſemper ſolet indicare ac præcipere actum quendam dile-
„ ctionis formalem. Sic enim 1. Joan. 4. dicitur: *Manda-*
„ *tum habemus à Deo, ut, qui diligit Deum, diligat & fratrem*
„ *ſuum.* Matth. 4. *Diligite inimicos veſtros.* Et 22. *Diliges*
„ *proximum tuum, ſicut te ipſum.* Joan. 13. inquit Chriſtus,
„ *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos:*
„ non utique merè externè, ſed etiam formaliter & ex ani-
„ mo. Velut igitur præceptum charitatis erga Deum non
„ conſiſtit in ſola obſervantia aliorum præceptorum, ſed in-
„ ſuper requirit actum aliquem formalem dilectionis Dei
„ (juxta dicta caſu 13.) ita quoque præceptum charitatis
„ erga proximum non conſiſtit in mera beneficentia ex-
„ terna, ſed inſuper requirit actum formalem internum &
„ poſitivum dilectionis, quo quis propter Deum velit pro-
„ ximo bonum, quatenus ipſi bonum eſt, & abeſſe malum,
„ quatenus ei malum eſt, de quo actu interno & formali pœ-
„ nitentes frequenter inſtruendi ſunt à Confeſſariis, dum
„ nimirùm exiſtimant, ſe per meram depoſitionem odii &
„ rancoris præcepto charitatis jam ſatisfeciſſe, quin proxi-
„ mũ actu formali & poſitivo diligant. Et hic actus inter-
„ nus quidem de ſe debet eſſe efficax, ita ut occurrente ne-
„ ceſſitate proximi tranſeat in actum externum, eidémque
„ juxta proportionem neceſſitatis ſubveniat.

CASUS LXXXVIII.

Confitetur aliquis ſe peccâſſe contra quintum præceptum, non quidem re ſed cogitatione, voto & deſiderio: optando inprimìs ſibi ipſi mortem ob miſerias, quas

quas patiebatur: dein etiam adverſariis ſe affligentibus, imò etiam propriis parentibus ex cupiditate & ſpe citò ſuccedendi in hæreditate paterna.

RESOLUTIO.

Actus hujuſmodi inefficaces, puta ſimplex deſiderium, complacentia, gaudium &c. quia pro objecto immediato & motivo formali non habent malum v. g. mortem &c., neque etiam ut malum proximi, vel ut peccaminoſum hìc & nunc apprehendunt, ſed ab his quà talibus abſtrahendo, tantùm ſuum intereſſe & commodum ſpectant, vel alteri ulteriori fini unicè intendunt &c. tales inquam actus inefficaces ſpeciem & malitiam non ab objecto malo (utpote à quo & ejus malitia abſtrahunt) ſed à fine intento & motivo, ex quo prodeunt, totam malitiam derivant: proin ſi finis & motivum hujuſmodi ſecundùm ſe indifferens, vel ſaltem mortaliter malus non ſit, ut in caſu poſito, ſi quis optat inefficaciter mortem, aut complacet, & gaudet de ea, non ob ipſam mortem, ſed præciſè propter hæreditatem: ita ut ſenſus ſit: *Præſuppoſitâ morte patris mei opto hæreditatem tanquam mihi commodam.* Vel *Ego quidem mallem, patrem meum adhuc & diutiùs vivere, ſuppoſito tamen quòd mortuus ſit, gaudeo de hæreditate ex morte illius mihi delatâ &c.*: talis contra charitatem non peccat, quia re ipsâ amat patrem, neque ei mortem vel aliud malum, ut ſic, optat, ſed tantùm in abſtracto, & quaſi conditionatè (ſuppoſito quòd mortuus ſit, vel ſi moreretur) id reſpectivè & ſecundùm quid videlicet propter hæreditatem, gratum eſſet, quod ad ſummum aliqua inordinata cupiditas, adeóque ordinariè peccatum veniale eſt.

Eadem ratione, qui internecionem totius exercitûs hoſtilis optaret, aut de clade illius gauderet; item ſi quis homines ſibi infenſos, vel aliàs facinoroſos, & malè agentes, infortunia pati, graviter puniri à Deo, vel homine optet & com-

placeat &c. non peccat mort. ſi talia non ex odio, aut ut mala proximi, ſed præciſe ut ſibi bona, vel ut juſtam pœnam delinquentium apprehendat, & deſideret. Poſſe autem voluntatem noſtram ita abſtrahere, ac præſcindere, & ſuppoſitâ nullâ aliâ inordinatione ita præſcindendo omninò non peccare certum eſt, & exempla habemus etiam in S. Script. teſte Laym. *l. 2. tr. 3. c. 10. n. 4.* Nam Lucæ 12. Chriſtus Dominus Voluntate efficaci & abſoluta, conformiter Voluntati æterni Patris ſui, deſiderabat pati & mori pro Redemptione Generis humani. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, uſquedum perficiatur.* Quo non obſtante ſimplici affectu & voluntate dixit: *Pater mi, ſi poſſibile eſt, transeat à me calix iſte.* Scilicet, ſi Voluntas æterni Patris non eſſet, ſive abſtrahendo & præſcindendo à Voluntate Patris, optarem, mortem tanquam malum naturæ humanæ à me transire. Alterum exemplum habemus in D. Paulo, dum ad Cor. 7. dixit: *Gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam.* Ubi S. Apoſtolus non gaudet de triſtitia Corinthiorum ſecundùm ſe, & prout eſt mala, vel moleſta Corinthiis, ſed præſcindendo ab ea ut ſic, gaudet de ea, quatenus eſt cauſa & origo pœnitentiæ. Sic & filio nullatenus licet gaudere de morte patris ſecundùm ſe, benè tamen de ea, præcisè quatenus eſt cauſa & origo ſuorum commodorum: & in hoc ſenſu intelligendi ſunt DD. docentes, licitum eſſe ſpeculativè gaudere de morte proximi ob bona temporalia inde nobis provenientia, non obſtantibûs tribûs propoſitionibûs ab Innocent. XI. damnatîs, de quibus mox infrà.

Similiter poteſt quis vel ſibi ipſi, vel aliis exoptare accelerationem mortis juxta diſpoſitionem divinam (ſecus ex impatientia vel deſperatione) ad declinandas valdè graves hujus vitæ miſerias, non directè intendendo mortem, ſed præcisè liberationem à miſeriis ſecundùm Dei Voluntatem. Ac multò ma-

Digitized by Google

tò magis id licet, ſi tale deſiderium oriatur vel ex horrore & metu Deum ulteriùs per peccatum offendendi: vel ex amore ipſi ſe conjungendi in æterna beatitudine. Juxta illud D. Pauli: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.*

Certum econtrà eſt apud omnes, optare, gaudere &c. directè & immediatè de morte, vel alio quocunque gravi malo tam proximi, quàm ſui ipſius, quà tali, & quatenus alteri vel ſibi malum eſt, ſemper peccatum mortale eſſe contra charitatem proximi, vel ſui ipſius: & multò magìs, ſi id fiat ob diſplicentiam ipſius perſonæ, ex odio, malevolentiâ, rancore, æmulatione &c. Inſuper ſpecie diſtinctum contra pietatem, obſervantiam &c. ſeu 4.tum præceptum Decalogi peccatum erit, ſi ejuſmodi gaudium, vel deſiderium verſetur circa grave malum parentum, aut Superiorum, quà talium, eò quòd juxta ordinem Charitatis pluris æſtimandi & diligendi ſint parentes, & Superiores, quàm alij. Eodem modo loquendum, ſi quis non ſimpliciter mortem v. g. patris, uxoris &c. deſideret, ſed etiam eandem promovère cogitet quocunque modo, etiam remotè tantùm, v. g. diſſuadendo medicinæ ſumptionem, recreationem &c. tunc enim non inefficax & ſimplex deſiderium, ſed hoc ipſo, quia de mediis cogitat, jam efficax intentio, & reſpectu mediorum ipſa mors patris vel uxoris &c. finis erit: adeóque transfundet malitiam, eamque mortalem, in hujuſmodi intentionem, vel cogitationem, ſiquidem ea deliberata & ſeria ſit. Quia tamen indeliberatio, ſeu imperfecta & inſufficiens deliberatio, quæ ſemper à mortali excuſat in hujuſmodi peccatis ſola intentione, & præcipiti rationis motu committi ſolitis, facilè & frequenter intervenit, rectè procedet Confeſſarius in caſu poſito, ſi primò interroget pœnitentem, an ſeriò & deliberatè? Secundò an ex malevolentia vel odio? Tertiò an efficaciter & de mediis quoque cogitando, &c. mortem vel aliud grave malum patri, aliive optaverit.

„ Q. Quomodo intelligendæ & quo ſenſu prohibitæ ſint „ ſequentes tres propoſitiones ab Innocent. XI. damnatæ? „ Quarum 1.ma Ord. 13. eſt. *Si cum debita moderatione facias,* „ *potes absque peccato mortali de vita alterius triſtari, & de* „ *illius morte naturali gaudere, illam efficaci affectu petere, &* „ *deſiderare: non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob tem-* „ *porale emolumentum.* 2.da Ord. 14. *Licitum eſt abſoluto* „ *deſiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris,* „ *ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis* „ *hæreditas.* 3.tia Ord. 15. *Licitum eſt filio gaudere de par-* „ *ricidio parentis à ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes* „ *divitias inde ex hæreditate conſecutas.* R. Imprimìs dictam „ prohibitionem non ſe extendere, nec intelligi debere de „ doctrina eorum, qui cum Bonac. Tolet. Reginald. Azor. „ Navar. & aliis docent, licere inefficaciter deſiderare, vel „ gaudere de morte alterius ob bonum ſpirituale illius: eò „ quòd bonum ſpirituale tanquam ordinis altioris præſtet bo- „ no temporali. Sic enim frequenter cum gaudio & gratia- „ rum actione erga Deum dicimus illud Sapient. 4. Raptus „ eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus &c. Similiter li- „ citum eſt, nec eâ damnatione comprehenditur, ſi quis affe- „ ctu inefficaci exoptet mortem alterius, vel aliud malum me- „ rè phyſicum ob ingens bonum Communitatis, vel Eccleſiæ; „ quoniam bonum commune præferendum eſt bono privato. „ Nec tertiò comprehenditur ea ſententia teſte Illſung *tr. 3.* „ *q. un. n. 93.* quæ dicit, licere appetere mortem alterius, vel „ etiam propriam inefficaciter ad evitandum ingens malum „ temporale. Quis enim, inquit cit. Author, peccati mor- „ talis damnet uxores, Deum rogantes, ut matrimonio cum „ maritis ebrioſis, prodigis, furioſis, aſperis, de quibus nulla „ emendatio ſperanda &c. finem tandem imponat. Qua ra- „ tione S. Thomas in *3. diſt. 30. a. 1.* dixit: *Poteſt aliquis ſalvâ*

„ *chari-*

Digitized by Google

„ *charitate optare malum alicui temporale , & gaudere , ſi con-*
„ *tingit , non in quantum eſt malum illius , ſed in quantum eſt*
„ *impedimentum malorum alterius , quem plùs tenetur dilige-*
„ *re &c.* Nec denique quartò cenſetur damnata ſententia
„ juxta Cardenam & alios , admittens poſſe filium gaudere
„ de hæreditate ex morte patris ſecuta, quatenùs præſcindit à
„ morte , prout hæc eſt mala patri , & præcisè gaudet de bo-
„ no effectu ex tali morte ſecuto. Poſſe autem intellectum
„ ita præſcindere , jam conſtat tum ex dictis , tum ex Philo-
„ ſophia univerſim admittente præciſiones ſaltem formales, ſi
„ non etiam objectivas : quòd ſi intellectus hoc poſſit , cur
„ non & voluntas tali præciſioni inhærens , & ductum intel-
„ lectûs ſequens , etiam queat taliter operari , & unum velle
„ ſine altero , uti in aliis materiis tam practicis , quàm ſpe-
„ culativis paſſim admitti ſolet , & debet à Theologis.

„ Dicendum igitur cum cit. Cardena in Criſi ſua Theolog.
„ *diſſert. 10. c. 3. n. 20.* dictam prohibitionem intelligendam
„ duntaxat eſſe de doctrina , admittente licitum eſſe , deſide-
„ rare vel gaudere directè & immediatè de morte proximi ob
„ bona vel commoda temporalia. Ratio prohibitionis cen-
„ ſetur eſſe , quòd proximum non ſolùm merè externè , ſed
„ etiam actu interno & poſitivo (ut ad præcedentem caſum
„ dictum) teneamur diligere , cui dilectioni eſſentialiter ob-
„ ſtat , mortem , vel aliud grave malum quà tale , directè ei-
„ dem exoptare , vel de eo gaudere ob lucrum aliquod tem-
„ porale longè inferioris ordinis vitâ & ſalute proximi.

CASUS LXXXIX.

FOemina nobilis , aut ſaltem bonæ famæ, confitetur , ſe ſeductam , aut violenter corruptam procuràſſe abortum , eo fine & neceſſitate , ut tam ſuo , quàm

parentum & familiæ honori ac famæ conſuleret. An homicidij arguenda? an verò à peccato ob dictam cauſam conſervandæ famæ excuſanda?

RESOLUTIO.

ABortum procurare ex ſe grave peccatum contra jus naturale eſt, quia natura omnia animalia docuit, & inſtruxit fœtum, ſive animatum ſive inanimatum, omni ſtudio fovere, & cum proprio etiam incommodo ad perfectionem, partúmque deducere. Ulterior ratio accedit, quòd in nullo caſu licita ſit directa expulſio ſeminis, utpote unicè ordinata ad generationem prolis humanæ: cùm ergò fœtus ſive inanimatus ſive animatus proximiùs ipſo ſemine ſerviat ad generationem: ſimiliter eundem in nullo caſu licebit expellere, directè ſaltem. (*A.*) Ut docet Leſſ. *l. 2. c. 9. d. 10.* Palao *d. 2. de Matr. p. 4. §. 3. n. 11.* cum aliis multis. Quamvìs Laym. & aliis quibusdam videatur licere, fœtum inanimatum ſaltem expellere etiam directâ intentione, ſi ſit quaſi aggreſſor vitæ matris, ſeu ſi matri ex eo mors moraliter certò immineat. Interim quia juxta communem DD. ſpeciale peccatum, & formale homicidium, imò parricidium eſt, inducens irregularitatem, aliasque pœnas, prolem jam viventem in utero occidiſſe, rectè interrogabit Confeſſarius, an hæc procuratio abortûs paulò poſt conceptionem, an verò diu poſtea (v. g. ultra 40. dies: tunc enim præſumitur, fœtum animatum fuiſſe) facta ſit. Cæterùm nec propter defenſionem ſeu conſervationem honoris & famæ ſive ſuæ ſive familiæ abortum procurari poſſe, communis & certa eſt ſententia: dato etiam, non conceſſo, quòd cauſâ honoris defendendi licitum ſit, hominem aliquando occidere. Nam inprimis cùm natura omnia animalia docuerit (adeoque juris naturalis, & quidem primævi ſit) cum proprio quocunque incommodo, vitæ quoque diſcrimine fœtum fovere: quid ni etiam cum diſcrimine hono-

honoris? Deinde defenſio locum non habet, niſi contra injuſtum aggreſſorem: at in propoſito nemo eſt, qui injuſtè famam fœminæ talis aggreditur, vel in diſcrimen vocat: ergò non habet locum defenſio honoris, ſed ſibi imputet, quòd non tempeſtivè honori ſuo conſulerit, caſtè & honeſtè vivendo. Quòd ſi vim paſſa ſit, potuiſſet tunc omninò honorem defendere, etiam cum occiſione violenti oppreſſoris: ſi id non fecit, cùm poſſet, rurſùs ſibi culpam imputare debet. Si omninò non potuit, non magnum honoris detrimentum erit inter Prudentes, per vim cui reſiſtere non potùit, eſſe corruptam, reſtabitque jus ex poſtfacto damna & intereſſe à tali violatore per viam juris repetendi. Unde meritò damnata eſt ſequens propoſitio ab Innocent. XI. Ord. 34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella occidatur, aut infametur.* Et etiam immediatè ſequens, utpote malitiam prioris extendens. *Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero eſt, carere animâ rationali: & tunc primùm incipere, eandem habere, cùm paritur: ac conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* (*B.*)

„ (*A.*) Q. 1. An ſaltem aliquando licita ſit expulſio indi-
„ recta fœtûs? R. Si fœtus nondum ſit animatus, & ma-
„ ter graviter ægrotet, poterit licitè ſumere medicinas &
„ pharmaca etiam purgativa ex natura ſua ad ſanitatem ob-
„ tinendam ordinata, etſi exinde indirectè ſequatur expulſio
„ fœtûs: velut ex eadem ratione licita quoque eſt indirecta
„ expulſio ſeminis per medicinas, ſi deſit periculum conſen-
„ sûs, ut communiter admittunt DD. An verò idipſum li-
„ ceat, ſi fœtus ſit animatus, dubitant nonnulli ob damnum
„ ſpirituale prolis: affirmativa tamen eſt communior, eò quòd
„ hoc damnum ſit incertum, & aliàs cum interitu matris
„ probabiliter ſecuturum: nemo autem tenetur ſe exponere
„ periculo vitæ ob ſalutem animæ alterius incertam.

„ (*B.*) Q. 2. Quænam ſint pœnæ procurantium abortum?
„ R. Inprimìs *L. penult. C. Ad Legem Cornel. de Siccariis.* eſſe
„ conſtitutam pœnam mortis. Dein per Bullam Sixti V. quæ
„ incipit *Effrænata.* editam 1588. procurantibus, conſulenti-
„ bus, vel quocunque modo cooperantibus ad abortum fœ-
„ tûs animati præter irregularitatem ſtatuta eſt pœna excom-
„ municationis latæ ſententiæ, reſervata S. Pont. Quam ta-
„ men Bullam mitigavit eatenùs Greg. XIV. per Bullam *Se-*
„ *des Apoſtolica.* An. 1591. emanatam, ut tam à peccato,
„ quàm excommunicatione hodie abſolvere poſſit quivis Con-
„ feſſarius, ad ejuſmodi caſus à Loci Ordinario ſpecialiter
„ deputatus. Procurantibus verò abortum fœtûs inanimati,
„ etſi non ſit conſtituta pœna irregularitatis vel excommuni-
„ cationis, incurrunt tamen pœnas in utroque Jure homici-
„ dis conſtitutas. Quòd ſi talis Clericus fuerit, privandus
„ erit ſuô beneficiô, dignitate, aliiſque Privilegiis Clericali-
„ bûs cum perpetua inhabilitate ad eadem, ut legenti dictas
„ Bullas patebit.

CIRCA SEXTUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

Non mœchaberis.

PRæcepto non occidendi meritò ſuccedit Præceptum de non mœchando. Cùm enim poſt ipſam vitam, ſeu animæ cum corpore conjunctionem arctius vinculum non detur, quàm viri & uxoris, quo per legitimum matrimonium una quaſi caro efficiuntur: idcircò poſt legem, ne vitæ proximi damnum infe-

inferatur, vel per cædem omninò tollatur, recto ordine ſubſequitur lex prohibens mœchiam, ſeu adulterium, utpote quo ſanctus ille nexus, & mutui amoris vinculum à Deo pro conſervatione ſpeciei humanæ inſtitutum, dirimitur. Veluti autem in aliis præceptis negativis unum expreſsè prohibetur, & alterum implicitè præcipitur, ita quoque hoc 6. Præcepto directè quidem prohibetur mœchia, implicitè verò præcipitur animi, corporíſque caſtitas, cui non tantùm adulterium tanquam ſupremum ſpeciei ſubalternæ, ſed omnis venereus uſus extra legitimum matrimonium opponitur. Circa hæc igitur,

CASUS XC.

QUidam Theologiæ Studioſus confeſſionis aut conſilij causâ proponit ſe graves tentationes pati, quoties in materia 6. Præcepti ſtudere, aut Caſiſtas legere incipit: doceri quidem à Theologis, quòd permittere carnales motus ex cauſa juſta peccatum non ſit, dummodò abſit periculum conſensûs. Attamen ſe ita imperfectum & pronum ad hoc malum eſſe, ut etiam periculum conſenſûs vel tunc, cùm ſtudet, vel ſaltem ex poſtfacto ſubeſſe cenſeat.

RESOLUTIO.

TRiplex peccatum in propoſito conſiderandum & timendum eſt. 1. Ex eo, quòd voluntariè aut ſaltem advertenter cauſam præbeat carnalibus cogitationibus & commotionibus. 2. Propter periculum conſenſûs, ſeu delectationis moroſæ. 3. Propter ipſum conſenſum, ſeu commorationem & complacentiam voluntariam in delectatione & commotione carnali. Quantum ad primum. Si quis prævia, recta & bona intentione ſimilia faciat, ut ſcilicet ſciat id, quod vel pro ſua confeſſione ritè facienda, vel alio-

Digitized by Google

rum confeſſionibus benè excipiendi neceſſarium aut utile judicat &c. nullum erit peccatum, ut communis tenet DD. neque ſequentes carnis motus peccatum inducent, utpote involuntarii, nec intenti, neque dando operam rei illicitæ cauſati, adeóque nec in ſe, nec in ſua cauſa culpabiles. E-contra, ſi quis animo libidinoſo & delectationis causâ tales materias legat, mortaliter peccabit, quia hoc ipſo delectatio voluntaria, quæ ſemper peccatum mortale in hac materia eſt, intercedet. Quòd ſi verò negativè ſe habeat, nec bona nec mala intentione; ſed quia occaſio ſe offert, & materia talis in libro ſecundùm ſe non prohibito occurrit, proin temerè, aut quod ordinariè ſolet, ex aliqua curioſitate legere pergat, talis ex hoc atque ordinariè quidem venialiter peccabit, aliquando autem, ſi ſcilicet propinquum & morale periculum conſenſûs ſubſit, etiam mortaliter. Vide Laym. *l. 3. ſect. 4. n. 16.*

2. Quantùm ad periculum conſenſûs, ſciendum, quòd quidem remotum & generale periculum, quod ordinariè ſubeſt, quoties carnis delectatio ſurgit, ex ſe ſpeciale peccatum non inducat, hoc ipſo, quòd generale & inſeparabile ſit. At ubi ſingulare & propinquum periculum eſt, ita ſcilicet, ut quis probabiliter conſenſum ſecuturum prævideat, v. g. quia expertus eſt ordinariè, vel delectationem moroſam, vel propoſitum peccandi ſecutum eſſe: talis ſub gravi obligatione tantum periculum ceu occaſionem mortaliter peccandi, vitare tenebitur: niſi cauſa etiam gravis & proportionata gravitati ipſius periculi ſubſit, & excuſet: tunc enim, ſi quis aliàs debitam diligentiam adhibeat, & conetur facere, quod poteſt, (id eſt, ita conetur extenuare periculum, ut probabile non ſit, ſe lapſurum) non erit peccatum expoſuiſſe ſe periculo, & occaſioni periculoſæ: quia non eſt ſpecialis obligatio vitandi occaſiones & pericula, niſi

quan-

Digitized by Google

quantùm & quando poſſumus: non poſſumus autem omittere, quod pro ratione ſtatûs & conditionis facere tenemur, puta ſtudere & legere etiam tales materias, ſi Confeſſarii ſumus, aut eſſe intendimus. Clav. Reg. *l.* 8. *c.* 7. *n.* 8. Leſſ. Bonac. & alii communiter.

Quantùm ad 3. Scilicet conſenſum in delectationem (*A.*) ſeu carnalem commotionem, ut ut occaſione confeſſionis exceptæ, ſtudii, aut quacunque demum cauſa proveniat, ſemper peccatum mortale eſſe extra dubium eſt: quia nulla cauſa vel occaſio ullum hominem utcunque infirmum & fragilem neceſſitare ad conſenſum poteſt: ſicut tamen invitum etiam ad delectationem commovere poteſt. Ita omnes.

Igitur in caſu propoſito monendus & inſtruendus eſt talis caſuum ſtudioſus. 1. Ut nunquam temerè ſine expreſſa intentione finis honeſti legere vel ſtudere incipiat hujusmodi materias, ſecùs propter temeritatem aut curioſitatem peccatum commiſſurum, id licèt cæteris paribus tantùm veniale: at ſingulariter in hac materia lubrica metuendum, quia facilè diſponere poterit ad mortale. 2. Quod ſi ſpecialiter ſe pronum ad conſenſum, adeóque periculum ſpeciale ſubeſſe judicet experientia fortè doctus &c. non quidem teneri deſiſtere à ſtudio caſiſtico, nec in hac materia rudem ad confeſſionale quondam accedere, ſed tamen teneri vitare, extenuare, & minorare periculum & occaſionem peccandi mortaliter, quantum commodè poteſt: poteſt autem utcunque evitare periculum conſenſûs, ſi tam ante lectionem, confeſſionum exceptionem, aliásve actiones, & converſationes periculoſas expreſſam & ſeriam proteſtationem, nullo modo ullam delectationem captandi, ſed opus bonum Domino Deo gratum ad meritum ſuum, non ad damnationem &c. perficiendi, præmittat: tum inſuper ubi carnis motus primùm ſentit, vel etiam in propin-

quo

quo prævidet, cum humilitate & contriſtatione miſeriam ſuam, ipſúmque peccati periculum recogitet, itáque timorem & triſtitiam delectationi & concupiſcentiæ opponat &c.

„(*A.*) Q. Quid delectatio moroſa, & an ſemper peccatum? R. Delectationem moroſam generatim ſpectatam „eſſe ſimplicem & deliberatam voluptatem, ſeu complacentiam, ortam ex cogitatione rei illicitæ, absque voluntate, „illam exequendi. Dicitur verò moroſa, non à mora temporis, ſed à mora rationis, quatenùs ſcilicet voluntas eidem advertenter & deliberatè inhæret, nec expellit, cùm „poſſet, & deberet: quod in minimo quoque temporis ſpatio contingere poteſt. Porrò delectatio moroſa de re turpi, „vel mala, eſt mala juxta objectum & rationem formalem, „per quam fertur in objectum: unde qui delectatur morosè „de rebus venereis, quà talibus, ſeu ex motivo libidinis ſemper peccat mortaliter, quia tam objectum, quàm ipſum „motivum eſt mortaliter peccaminoſum. Econtrà qui delectatur, vel complacet ſibi ſolùm de cogitatione verſante „circa talia objecta, excluſô omnî motivô, vel complacentiâ libidinosâ, aut omninò non peccat: ut ſi ejuſmodi cogitationes ordinet ad concionem, doctrinam & eruditionem aliorum &c. aut ſolùm venialiter, ut ſi de ejuſmodi „cogitationibus gaudeat ex motivo curioſitatis, vel levitatis: „modò nullum periculum accedat, exinde incidendi in delectationem ipſius objecti, quà venerei. Similiter vel nullum, vel ſolùm peccatum veniale eſt, ſi delectatio merè „verſetur circa modum operandi, non verò circa ipſum „objectum malum, quatenùs v. g. ejuſmodi modus eſt artificioſus, aſtutus, ridiculus &c. quo modo nos delectant „fabulæ, comediæ, bella &c. Ratio horum eſt, ut jam dictum, quòd delectatio tanquam actus inefficax totam ſuam „boni-

„ bonitatem vel malitiam deſumat à motivo formali, ſub cu-
„ jus ratione fertur in objectum : unde ſi hoc ſit bonum vel
„ malum , item mortale vel veniale , etiam ipſa delectatio
„ moroſa erit talis, exceptâ delectatione moroſâ in rebus vene-
„ reis, quà talibus : cùm enim hæc intrinſecè ſit mala, utpo-
„ te ex natura ſua tendens in finem inhoneſtum & graviter
„ peccaminoſum , ſcilicet commotionem ſpirituum venereo-
„ rum generationi inſervientium &c. ex quocunque motivo
„ procedat, extra ſtatum legitimi conjugij, ſemper erit mor-
„ taliter peccaminoſa , ut paſſim docent DD. Vide Bonac.
„ *de Matr. q. 4. p. 7. & 8.* Clav. Reg. & alios. Sed de his
„ plura in ſequentibus præſertim *Caſu 104.*

CASUS XCI.

COnfeſſarius juvenis experitur ſuos filios confeſſionis in explicando peccato carnis nimìs verecundos eſſe, vix generaliter in his ſe accuſare, ſine explicatione circumſtantiarum, aut etiam ſpeciei infimæ. Cùm igitur aliunde legat, Confeſſarium circa hanc materiam curioſum eſſe non debere : valdè perplexus hæret , ideóque conſulit , quid ſibi faciendum ? an nimirum in peccatis hujuſmodi non ſit opus numerum & ſpeciem , adeóque circumſtantias ſpeciem mutantes exprimere ? an verò Confeſſarius potiùs pati debeat, pœnitentem imperfectè , adeóque ſacrilegè confiteri , quàm interrogando notam curioſitatis incurrere ? denique quid hæc verecunda carnis peccata ſpecialia habeant ? vel quid demùm interrogare ex pœnitente liceat ?

RESOLUTIO.

NOn minùs in his , quàm aliis peccatorum generibus neceſſe eſt , numerum & ſpeciem , adeóque etiam circumſtantias peccatorum, quæ ſpeciem mutant, in confeſſione ex-

 prime-

primere, ut conſtat ex Trident. *ſeſſ. 14. c. 5. & Can. 7.* Secus, & ſi pœnitens aliquam circumſtantiam talem, quæ novam ſpeciem & ſpecialem malitiam importet, in confeſſione reticeat ſcienter, imperfecta, ſacrilega, & nulla erit confeſſio. (*A.*) Neque ex parte confitentis ulla differentia eſt inter hæc peccata carnis & alia, niſi fortè, quòd in his faciliùs, quàm in aliis ignorantia invincibilis hanc vel illam circumſtantiam mutare ſpeciem, aut de neceſſitate in confeſſione explicandam eſſe, apud homines ſimplices intercedere poſſit, ex eo, quòd de plerisque ſpeciebus luxuriæ, & circumſtantiis ſpeciem mutantibus nihil audire ſoleant, nec in catecheſi, nec in confeſſionali, nec in concionibus: cùm tamen aliæ peccatorum ſpecies & diverſitates paſſim explicentur.

Ex parte Confeſſarij ſicut in aliis peccatis periculoſum aut ſcandaloſum non eſt, etiam liberaliùs, & ex levi cauſa ſuſpicandi, ea interrogare, quæ probabiliter interveniſſe Confeſſarius cogitat, item enumerare ſpecies & circumſtantias, quæ novam ſpeciem peccati conſtituere poſſunt, interrogando, an in uno vel altero deliquerit &c. ita in peccatis carnis modos & ſpecies peccandi pœnitenti declarare ex duplici cauſa ſcandaloſum eſſe poteſt, tum quia datur materia cogitandi talia, delectandi, aliis recenſendi, aut omninò practicandi eadem, de quibus aliàs nunquam cogitâſſet: tum quia occaſionem præbet, malè de ipſo Confeſſario vel ſuſpicandi, vel loquendi &c. ex quo natum & receptum eſt illud, Confeſſarium cautum in interrogando, nec curioſum eſſe debere &c. Sed quouſque hoc? & quid demum interrogare licebit? R. 1. Si ſpecies certa non explicetur à pœnitente, ſed genus tantùm peccati, v. g. Commiſi peccatum carnis: peccavi toties contra 6. Præceptum &c. tenetur Confeſſarius interrogare, & ſpeciem certam indagare: cautè tamen id faciet, modô paulò pòſt declarandô. Quòd ſi ſpecies aliqua certa exprimatur, ſuſpi-

Digitized by Google

ſuſpicetur autem Confeſſarius probabiliter & verò ſimiliter latere adhuc aliquam circumſtantiam ſpeciem mutantem, tunc locum habebit illud, *cautè interrogandum*: quod ſic intelligendum, ſcilicet ſi interrogatorium formari poteſt ſine ſcandalo, periculo inſtruendi & inducendi ad peccatum hactenùs ignoratum &c. tunc liberè interrogare licet, & oportet, non ſecus, quàm in aliis peccatis, cujuſmodi interrogatoria ſunt, an cum ſoluta, vel cum conjugata peccatum? an præter delectationem etiam propoſitum peccandi interceſſerit &c.? an obligationem reſtitutionis ſciat ratione prolis, ſeductionis &c.? quæ paſſim interrogari, atque ex his plerumque etiam alia, quæ honeſtè interrogari non poſſunt, probabiliter colligi, aut certo ſufficiens occaſio pœnitenti ſpeciem peccati explicandi dari poterit. Econtrà autem illæ interrogationes, quæ in pœnitente periculoſas cogitationes & novas tentationes cauſare, vel anſam talia impoſterum practicandi dare poſſent: v. g. An copula perfecta, an modô naturalî facta, an non conceptio impedita, fœtus expulſus &c.? tales, inquam, circumſtantiæ periculòſæ, & omittendæ ſunt. Nam ut ait Conink *d. 7. de Sacram. dub. 7. n. 56.* Præſtat aliquando Sacerdotem minùs perfectè peccatum pœnitentis intelligere, quàm illi, vel ſibi aliquod ſcandalum creare. Atque hæc eſt principalis & ferè unica differentia inter peccata carnis, aliaque, quòd in aliis Confeſſarius omnes circumſtantias, quæ ſpeciem mutare poſſent, indagare debeat, ſi veroſimiliter celari putat: eò quòd officium ipſius ſit, non tantùm certos defectus (ut ſi genus ſolùm, non ſpecies aut numerus exprimeretur) ſed etiam probabiles emendare, & periculum imperfectæ confeſſionis præcavere: nam ceu Pater & Medicus ſpiritualis etiam id omittere non debet, quod tutiùs, & confitenti probabiliter expediens, ac neceſſarium eſt: at in peccatis luxuriæ, licèt ex una parte parî modô videatur probabile, pœnitentem ali-

Digitized by Google

quam hujuſmodi circumſtantiam reticere, ideóque interrogationem utilem, aut neceſſariam eſſe, quia tamen ex altera parte non minùs probabile & timendum eſt, interrogationem talem noxiam & ſcandaloſam fore, modô antè dictô, ideò in pari utrinque dubio præſtat negativè ſe habere, & unum periculum permittere, quàm alterum cauſare: maximè, cùm, ut antè monui, faciliùs in hac materia quoad circumſtantias tales, & neceſſitatem eas exprimendi ignorantia invincibilis pœnitentem à peccato mutilatæ confeſſionis excuſare poſſit. Vide ulteriùs Filliuc. Ang. Homob. cit. à Tambur. *l. 7. c. 7. §. 4. n. 4.*

„(*A.*) Q. An non modò circumſtantiæ ſpeciem mutantes, „ſed etiam notabiliter aggravantes in confeſſione neceſſariò „ſint exprimendæ? Antequam R. obſervandum eſt, cir„cumſtantiam in genere eſſe accidens actûs moralis, quod „licèt ſit extra ſubſtantiam actûs, tamen aliquid confert ad „ejus bonitatem vel malitiam in genere moris: unde aliæ „dicuntur ſpeciem mutantes, aliæ ſolùm aggravantes. „Priores ſunt, quæ actûs humani malitiæ, quam habet ex „ſuo objecto, ſuperaddunt novam ſpecie malitiam, ut, ſi „quis peccet cum conſanguinea, conjugata, aut votô ca„ſtitatis obſtricta, non tantùm peccat contra temperanti„am & caſtitatem, ſed inſuper fit reus peccati inceſtûs, „adulterij, aut ſacrilegij ob circumſtantiam conſanguini„tatis, conjugij, vel voti. Poſteriores ſunt, quæ maliti„am actûs ex objecto deſumptam intra eandem ſpeciem „peccati ſolùm aggravant, & augent ſecundùm magis & „minùs. Ac licèt omnes Theologi conveniant, circum„ſtantias parùm duntaxat aggravantes, non neceſſariò eſſe „confitendas (cùm aliàs jugum confeſſionis fermè foret „intollerabile) multi tamen probati Doctores, quos re„fert, & ſequitur Tannerus, volunt, circumſtantias ſal-

„tem

Digitized by Google

„ tem notabiliter aggravantes (quæ ſcilicet cuivis etiam „ rudi intellectui facilè innoteſcunt, ut ſunt e. g diuturni- „ tas temporis, quo continuatur actus peccaminoſus: quan- „ titas objecti, circa quod peccatur) in confeſſione exprimi „ debere: tum ut Confeſſarius poſſit ritè de ſtatu pœniten- „ tis judicare, tum ut proportionatam ac ſalutarem ſatis- „ factionem queat injungere &c. Nihilominùs quia pro „ ſententia negativa ſtat expreſſè D. Thomas *4. diſt. 16. q. 3.* „ *a. 2. quaſtiunc. 5.* S. Bonavent. S. Anton. & communior „ DD. R. Conſultum quidem, non neceſſarium tamen, „ nec præceptum eſſe, dictas circumſtantias exprimi in „ confeſſione, regulariter ſaltem. Ratio potiſſima videtur, „ quòd nulla gravis obligatio ſit imponenda conſcientiis „ hominum, niſi de ea ſatìs conſtet: atqui de hac ſatìs non „ conſtat: eò quòd Tridentinum locô ſuprà cit. exactè de- „ finiens obligationem confitendi peccata, nullã faciat men- „ tionem (cùm tamen facillimè potuiſſet) circumſtantiarum „ aggravantium, ſed ſpeciem duntaxat mutantium, ut patet „ clarè ex textu: *Omnia & ſingula peccata mortalia, & cir-* „ *cumſtantias, quæ ſpeciem mutant &c.*: ergò hæc obligatio „ non eſt imponenda: præſertim cùm idem Concil. cap. „ 5. expreſſè ſubjungat: *nihil aliud in Eccleſia à pœnitenti-* „ *bus exigi.* Dixi tamen *regulariter ſaltem.* Nam aliquan- „ do per accidens dari obligationem etiam circumſtantias „ aggravantes fatendi, dum ſcilicet pœnitens à Confeſſa- „ rio de iis interrogatur, ut poſſit obligationem reſtituen- „ di imponere, à conſuetudine peccandi dehortari, fu- „ gam periculi proximi peccandi inculcare, vel indiſpoſi- „ to abſolutionem omninò negare &c. apud omnes cer- „ tum eſt. Velut enim in tali caſu Confeſſarius habet jus „ interrogandi, ita ex parte pœnitentis datur obligatio ad „ interrogata candidè reſpondendi, ut in omnibus con-

Digitized by Google

„ gruè officio ſuo poſſit ſatisfacere. Unde meritò ab In-
„ nocentio XI. damnata eſt propoſitio ordine 58. *Non te-*
„ *nemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus con-*
„ *ſuetudinem.*

CASUS XCII.

POenitens teneræ conſcientiæ cum multa anxietate confitetur, & inſuper repetitionem priorum confeſſionum facere incipit, eò quòd leviores quoſdam exceſſus contra 6. Præcept. v. g. cogitationes minùs caſtas, verba nonnihil obſcœna, aſpectus, tactus leves &c. deliberatè quidem commiſſos tamen propter levitatem, ſeu parvitatem materiæ, hactenus tantùm pro venialibus habuerit, neque in numero & ſpecie confeſſus ſit: nunc verò inter DD. communem & quaſi certam ſententiam eſſe intelligat, quòd in hac materia non detur parvitas &c. Quid ad hæc Confeſſarius?

RESOLUTIO.

INſtructione hic opus eſt, & accuratiori diſtinctione. An primò actiones iſtæ graviter contra caſtitatem, & propinquè ad Venerem diſponentes ſint, ex ſe. 2. An libidinoſa affectio præcedat, ex qua tales actiones tanquam effectus ſequuntur. 3. An eandem comitetur, & ſubſequatur carnis delectatio &c. 4. An in ipſo aſpectu, tactu, confabulatione &c. & illâ, quam actiones tales ſecundùm ſe important, complacentiâ, ac aliquali delectatione ſeu voluptate ſenſuali abſque commotione carnali ſaltem voluntaria ſiſtatur &c.

Quantùm ad primum. Cùm extra hypotheſin & naturam hujus caſus ſit, infrà aliquid dicendum erit ad Caſum 99.um.

Quan-

Quantùm ad 2. Cùm affectio & intentio libidinoſa tendens & propendens in veneream conjunctionem ex ſe, niſi per indeliberationem excuſetur , ſit peccatum mortale, multò magìs, novúmque peccatum mortále, proin ſpecificè in confeſſione explicandum erit, cùm quis eandem affectionem non in animo continet, verùm in effectum qualemcunque exire ſinit, itáque cupidini & libidinoſæ inclinationi in aliquo ſaltem ſatisfacere intendit. Unde generaliter, quidquid animo libidinoſo dictô modô fit, utcunque ſecundùm ſe leve ſit, peccatum mortale eſt, ſi quidem advertenter nec alio fine vel cauſa, ſed ut ſupponitur, ex libidine fiat: v. g. aſpectus non tantùm fœminæ, ſed etiam imaginis minùs honeſtæ: proprij corporis: item verba, cantilenæ, acceſſus nocturni ad feneſtram inter ruſticos conſueti, uti etiam choreæ, amplexus, manuum compreſſio, & quidquid demum dicta intentione ad ſatisfaciendum aliqualiter libidini mentali exercetur, ut cum D. Thoma *2. 2. q. 154. a. 4.* communis tenet DD. non admittentium in materia venerea parvitatem. (*A.*)

Quantùm ad 3. Pari modo, ſi ad prædictas actiones conſequenter, vel concomitanter ſurgat (uti ſolet) carnalis commotio, & delectatio: tunc ſi ea delectatio vel per tales actiones intendatur, & appetatur, vel ſaltem advertenter & voluntariè in animo toleretur ſine reſiſtentia & diſplicentia, mortaliter peccabitur toties, quoties interruptim delectationi venereæ voluntariè cauſa datur: ut docet Navar. *cap. 11. n. 12.* Bonac. *de Matrim. q. 4. p. 7. n. 7.* Leſſ. Filliuc. & alij. Quòd ſi autem aliquis advertat, ſolùm ſe v. g. per confabulationes cum fœminis, aſpectus, choreas &c. cauſam dare carnalibus commotionibus, attamen hoc non velit, nec in eas conſentiat, ſed potiùs contrarium actum diſplicentiæ & proteſtationis eliciat: atque aliun-

aliunde etiam grave periculum actualîs conſensûs ſubeſſe (experientiâ docente) non cenſeat &c. probabile eſt, ex hoc ſolo, quòd advertenter cauſam dederit obſcœnis delectationibus & commotionibus per actionem omninò non, vel tantùm venialiter peccaminoſam, non niſi venialiter peccâſſe, ut docet Sanch. *l. 9. de Matrim. d. 46. n. 39. & 45.* Laym *l. 1. tr. 3. c. 6. n. 6.* Et infrà Caſu 100. & 104. magìs declarabitur.

Quantùm ad 4. (Quòd propria hujus casûs materia eſt) ſi prædictæ actiones ex ſe non impudicæ, nec propinquè ad peccatum carnis diſponentes, neque ex præcedente, neque cum concomitante libidine factæ ſint, ſed vel nulla delectatio venerea inde naſcatur: aut cùm hæc advertitur, mox ab his ipſis actionibus deſiſtatur, & efficaciter tentationi carnali reſiſtatur &c. adhuc quidem peccabitur, tum propter generale & remotum ſaltem periculum, quod in materia lubrica etiam à lòngè vitari oportet, ſempérque aliqua temeritas cenſenda eſt, de ſua conſtantia & caſtitate in occaſione etiam leviori multùm confidere: tum maximè, quia, ut ſupponitur, tales actiones non bono & honeſto fine, ſed propter ſenſualem aliquam voluptatem, aut ſaltem curioſitatem fiunt, contra dictamen perfectioris ab omnibus affectandæ caſtitatis: mortalia tamen non erunt, hoc ipſo, quia non graviter, nec abſolute, ſed perfectiori tantùm caſtitati repugnant.

Neque propterea dicas, admitti parvitatem materiæ in re venerea. Aliud enim eſt delectatio merè ſenſualis, aliud venerea: conſtat enim, quid Venus & in quibus partibus dominetur: illa proinde inter venerea numerari debent, quæ ad generationem faciunt, vel tanquam propriæ & propinquæ diſpoſitiones & præparationes eò referuntur, ſive ſecundùm ſe, ſive ex intentione operantis: atque idcircò pro venereis, impudicis, obſcœnis, turpibus & carnalibus communi hominum judicio habentur: tales autem non ſunt actiones illæ in

caſu

Digitized by Google

caſu noſtro poſitæ, uti pulchrè explicat poſt Caſtro-palaum Tambur. *l. 7. c. 8. §. 1. n. 8.*

Igitur breviter & practicè ad caſum propoſitum interrogandum eſt à confitente, an etiam carnales concupiſcentiæ interceſſerint, ídque advertenter & voluntariè? Hoc ſi neget, ſalva res, nec opus repetitione erit: ſi affirmet, ulteriùs procedendum & judicandum erit ſecundùm dicta, & dicenda ad Caſum 94.

„ (*A.*) Q. Qua de cauſa in rebus venereis nulla admittatur materiæ parvitas? R. Rationem eſſe, quòd quilibet motus, ſeu delectatio venerea, quà talis, ex natura ſua tendat ad ſeminis effuſionem, adeóque ſit inchoata quædam pollutio, quæ omni lege & jure, extra ſtatum legitimi conjugij in ordine ad generationem prolis, tanquam intrinſecè mala, & repugnans rectæ rationi, ac ordini ipſius naturæ graviter eſt prohibita. Nec refert, non ſemper ſequi iſtum turpiſſimum effectum, vel etiam non ſemper intendi: ſufficit enim, hunc eſſe finem ipſius operis, licèt non operantis, proximúmque periculum peccandi ulteriùs ſemper habere ſibi annexum. Nam ut bene advertit Amicus *d. 23. ſect. 7. n. 283.* Ratio periculi, quod quævis delectatio venerea, quà talis, ſecum trahit, conſiſtit in maxima proclivitate, affinitate & ſympathia, quam invicem habent appetitus ſenſitivus, & natura delectationis venereæ, ut nemo ſine ſummo periculo fidere poſſit, ſe certam in his metam ſervaturum, ne à minimâ illectus, & eidem voluntariè inhærens, ſenſim in majorem prolabatur. Licèt autem delectatio merè ſenſitiva, quæ oritur ex proportione objecti ſenſibilis ad potentiam ſenſitivam de ſe cæteris paribus, omninò non, vel ſolùm venialiter ſit peccaminoſa, ſi tamen ob dictam ſympathiam proximè diſponat ad aliquam delectationem veneream, juxta communem & veram

Digitized by Google

„ ſententiam teſte Illſung *tr. 4. d. 1. n. 68.* à peccato mortali „ non excuſatur. Unde meritò Alexander VII. ſequentem „ damnavit propoſitionem Ord. 40. *Eſt probabilis opinio, quæ „ dicit, eſſe tantùm veniale oſculum, habitum ob delectatio- „ nem carnalem & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo „ periculo conſenſûs ulterioris, & pollutionis.*

„ Hîs tamen non obſtantibûs certum eſt ſecundùm omnes, „ dari quoque parvitatem materiæ in re venerea velut in om- „ nibus aliis materiis ob imperfectionem actûs, ſcilicet ob „ defectum perfecti conſenſûs, plenæ advertentiæ vel delibe- „ rationis, ſufficientis quidem ad culpam venialem, non ve- „ rò mortalem, ut paſſim docent Theologi in 1.ma 2.^{dæ}.

CASUS XCIII.

CОnfitetur aliquis, ſe decies plùs minùs peccâſſe contra ſextum Præceptum: aut contra votum Caſtitatis, non quidem opere, ſed tamen cogitationibûs. Quid interrogare, aut judicare habet Confeſſarius?

RESOLUTIO.

Cùm ex materia, utpote per ſe valdè periculoſa, inſuper ex modo confitendi utcunque appareat, agi de peccato mortali, aliunde autem ſpecies peccati non exprimatur: & cogitationes per ſe non ſint peccata mortalia, niſi quatenus actus voluntatis aut propoſiti, aut ſaltem ſimplicis complacentiæ & delectationis accedat: non poteſt Confeſſarius acquieſcere, ſed neceſſariò de prædictis differentiis ſpecificis, an videlicet cogitationes illæ cum propoſito, aut cum moroſa delectatione contigerint, interrogare debet. Hinc autem

„ Q. An deſiderium & propoſitum peccandi diſtinguantur „ ſpecie à delectatione moroſa, ac per conſequens in Tribu- „ nali ſacro diſtinctè neceſſariò ſint exprimenda? R. cum

„ Laym.

Digitized by Google

„ Laym. *l. 1. tr. 3. c. 6. n. 15.* Sanchez. & aliis affirmativè.
„ Ratio diverſitatis ſpecificæ deſumitur à diverſo modo ten-
„ dendi in objectum. Nam delectatio moroſa ſiſtit præcisè
„ in complacentia carnali interna, nec ſe extendit ad ullum
„ actum externum, aut actualem objecti fruitionem, ſed ab
„ ea præſcindit: econtrà propoſitum, vel deſiderium peccan-
„ di tendunt in ipſam actionem externam, quatenus eam per-
„ ficere vellent, ſi poſſent: ergò eandem ſortiuntur ſpecie
„ malitiam, quam haberent ipſæ actiones externæ, attingen-
„ tes objectum cum omnibus ſuis circumſtantiis. Unde qui
„ deſiderat, vel proponit peccare cum conjugata, conſangui-
„ neâ, vel Deo ſacratâ, non ſolùm peccat contra caſtitatem,
„ ſed inſuper contrahit malitiam adulterij, inceſtûs, vel ſa-
„ crilegij juxta effatum ipſius Chriſti Domini Matth. 5. *Qui*
„ *viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mæchatus eſt*
„ *in corde ſuo:* debétque id ipſum diſtinctè in confeſſione ex-
„ plicare. Qui verò circa ejuſmodi mulierem habet præcisè
„ ſimplicem complacentiam & delectationem moroſam, qua-
„ tenus e. g. pulchra eſt, excluſô omnî deſideriô, vel propo-
„ ſitô externè peccandi cum ea, ac præſcindendo, quòd ſit
„ conjugata, conſanguinea &c. probabiliùs ſolùm peccat pec-
„ catô moroſæ delectationis internæ contra temperantiam &
„ virtutem caſtitatis, non verò contra juſtitiam, pietatem
„ ſeu reverentiam ſanguinis, aut religionem: ut videre eſt
„ apud eundem Laymannum & alios.

CASUS XCIV.

ALius centies cogitationibus & delectationibus obſcœnis ſe immoratum ait: partim cum, partim ſine propoſito actualiter peccandi, reticendo circumſtantiam perſonarum, an erga ſolutas, conjugatas, conſanguineas &c. cogitationes, delectationes, aut propoſitum habuerit &c.?

Digitized by Google

RESOLUTIO.

HOc quoque caſu opus eſt ulteriori examine, quia non ſufficit, duo peccata ſpecie diſtincta ſub uno numero promiſcuè explicare: verùm ſingulæ ſpecies ſeparatim cum ſuo numero exprimendæ ſunt. (*A.*)

Interrogabit ergò Confeſſarius hoc caſu, quoties pœnitens cogitationes cum propoſito vel deſiderio habuerit? quo intellecto ulteriùs. An cum conjugatis fortè, adeóque adulterium committere propoſuerit, vel deſideraverit: item ex eadem ratione (ſi aliàs non conſtet) an ipſe conjugatus ſit? Subinde, ubi nimirùm probabile videtur Confeſſario, quòd fortè etiam ad conſanguineam, vel affinem tale propoſitum, adeóque inceſtum in animo & propoſito habuerit pœnitens, etiam de hoc (cùm non ſit ſingulare periculum ſcandali) interrogare poterit ſub una interrogatione: an fortè cum perſonis conjugatis, conſanguineis aut ſimilibus perſonis ſingulariter prohibitis peccare intenderit &c.? Aliæ verò interrogationes circa propoſitum ſacrilegij, ſodomiæ &c. intermittendæ ſunt, quia ſcandalô non caret, Confeſſarium de ſimilibus loqui, aut interrogare, niſi ſpecialis ratio dubitandi, vel ſuſpicandi ſubſit.

Quòd ſi pœnitens v. g. miles dicat, quòd generaliter tantùm, ſine apprehenſione certæ perſonæ peccare propoſuerit: putarem, acquieſcendum ordinariè: quamvis enim meritò dubitare poſſit, an non ad utrumque paratus, & explicitè, vel implicitè tam adulterij, quàm ſimplicis fornicationis propoſitum habuerit, prout ſcilicet occaſio ſe obtulerit &c. tamen, quia ex una parte ſpeciem certam peccati, propoſitum ſcilicet indefinitum, exprimit: ex altera parte timendum, ne, ſi de prædicta intentione & promptitudine ad utrumque interrogetur, impoſterum hoc ipſum animo hæreat, & aliâ vice expreſsè etiam de conjugatis cogitet: cùm abs hac in abſtra-

cto

ĉto tantùm absque malitia vel cogitatione adulterij, carnale propoſitum haberet. Vide Tambur. *l. 1. c. 1. §. 4. n. 13. & ſeq.* Item dicta Caſu 91.

Iis verò caſibûs & vicibûs, quibûs pœnitens ſe cogitationibûs & delectationibûs obſcœnîs ſine propoſito peccâſſe ait, non erit opus ulteriorî interrogatione circa perſonarum circumſtantias: tum ob rationem primùm dictam, ne tales cogitationes: an ſcilicet de conjugatis cogitaverit &c. animo pœnitentis hæreant, ac proinde aliâ vice cogitet, vel etiam proponat talia, de quibus aliàs planè abſtraxiſſet: tum præcipuè, quia in actum inefficacem, qui ſcilicet in ſola mentali apprehenſione, & ſimplicî complacentiâ vel delectatione ſubſiſtit, nec in opus, aut effectum extra intellectum tendit, non transfunditur malitia totius objecti, ſed tantùm malitia finîs intenti, aut objecti, quatenùs objectum voluntatis complacentis eſt, ſive quatenùs hîc & nunc tanquam delectabile voluntati proponitur: ut jam ſuprà Caſu 88. de Complacentia in morte parentis, hoſtîs &c. & Caſu immediatè præcedenti dictum eſt. Cùm igitur delectationis moroſæ finis, tum intrinſecus (qui coincidit cum objecto ut ſic, & quatenùs voluntatem movens eſt) tum etiam extrinſecus ultimatè intentus, aliud non ſit, quàm delectatio, & de cogitata re venereâ interna voluptas absque omni intentione actûs externi, conſequenter abſtrahens ab omni complice ſive ſoluta, ſive conjugata: utpote quæ circumſtantia perſonarum nihil ad delectabilitatem aut intentam voluptatem facit: ſequitur merè per accidens eſſe, neque ſpeciem delectationis mutare, utrùm conjugata vel ſoluta materiam cogitationi, & occaſionem delectationi moroſæ præbeat: niſi fortè ponamus, quòd aliquis formaliter de adulterio quâ tali delectetur, quod prorſus inſolitum, & extra caſum ſimplicis delectationis eſt.

„ Cæterùm ſæpiùs quidem hactenus mentio facta, opor-

„ tere, Confeſſarium eſſe cautum & prudentem in interro-
„ gando, & examinando pœnitentem circa res venereas: ne
„ fortè vel ſibi, vel pœnitenti ſit petra ſcandali, & lapis of-
„ fenſionis, ſeu occaſio peccandi: quód ſi tamen meritò is
„ dubitet, an non pœnitens in graviores, & non modò dictu,
„ ſed etiam cogitatu abominabiles ſpecies luxuriæ inciderit,
„ quas forſan pœnitens ex rubore, vel timore reticere cogitat,
„ etiam de iis ex obligatione ſui Officij interrogare tenebitur,
„ ſervatâ tamen omnî modeſtiâ, adhibitaque omnî cautelâ,
„ ne pœnitentem ſcandalizet. Proin-

„ (*A.*) Q. Quot ſint ſpecies Luxuriæ, & quænam illæ?
„ R. cum D. Thoma *2. 2. q. 154. a. 1.* Luxuriæ, quæ eſt inor-
„ dinatus appetitus, vel uſus venereorum (de quibus meritò
„ D. Paulus ad Epheſ. 5. *Qui talia agunt, regnum Dei non*
„ *conſequentur.*) tanquam unius ex ſeptem capitalibus pecca-
„ tis, ſex enumerari ſpecies, ſcilicet *Fornicationem*, *Adulte-*
„ *rium*, *Inceſtum*, *Stuprum*, *Raptum*, *& Vitium contra natu-*
„ *ram*: quibus plerique addunt *Sacrilegium*. Itaque *Forni-*
„ *catio* eſt commixtio carnalis ſoluti cum ſoluta. Et hanc
„ quidem non ſolùm jure poſitivo divino, ſed etiam naturali
„ graviſſimè prohibitam eſſe omnes fermè contra Durandum
„ in *4. d. 33. q. 2. n. 10.* affirmant; Innocentio XI. contrarium
„ damnante per prohibitionem ſequentis propoſitionis Ord. 48.
„ *Tam clarum videtur, fornicationem ſecundùm ſe nullam in-*
„ *volvere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta eſt,*
„ *ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur.* Graviſſi-
„ mum intra hanc ſpeciem peccatum cenſetur Concubinatus,
„ ſeu continuatum cum ſoluta quadam perſona ſub eadem
„ habitatione carnis commercium: circa quod potiſſimùm
„ monent AA. Concubinarium non eſſe abſolvendum, niſi
„ concubinam domo ejiciat. *Adulterium* eſt violatio fidei
„ conjugalis per acceſſum ad thorum alienum. Superaddit

„ vitio

Digitized by Google

„ vitio luxuriæ ut ſic differentiam ſpecificam injuſtitiæ: vel „ ſimplicis, ſi unus tantùm: vel duplicis, ſi uterque com„ plex ſit conjugatus. Nec refert, maritum conſentire in „ adulterium uxoris ſuæ, quoniam jure ſuo cedere non po„ teſt, tum ob bonum prolis, tum ob reverentiam Sacramen„ ti. Hinc ab Innocent. XI. damnata eſt ſequens propoſitio: „ Ord. 50. *Copula cum conjugata, conſentiente marito, non „ eſt adulterium: adeoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe „ fornicatum.* *Inceſtus* eſt congreſſus cum conſanguinea vel „ affine intra gradus ſive jure naturæ, ſive jure poſitivo pro„ hibitos. Adjicit peccato luxuriæ differentiam ſpecificam „ alicujus impietatis, ſeu irreverentiæ Sanguinis: & eſt eò „ gravius quoad malitiam, quò gradus eſt propinquior. Et„ ſi autem multùm varient DD. an omnes iſti gradus ſpecie „ differant inter ſe, adeoque neceſſariò in confeſſione expri„ mendi, nec ne, in praxi tamen pro majori ſecuritate & „ tranquillitate conſcientiæ omninò id conſulendum: adeo„ que interrogandum, an ejuſmodi peccatum cum conſan„ guinea, vel affine, & in quoto conſanguinitatis vel affini„ tatis gradu, item an in linea recta, vel transverſa commiſ„ ſum fuerit. *Stuprum* propriè ſumptum eſt violenta virgi„ nis corruptio: unde præter malitiam luxuriæ continet ſpe„ ciem gravis injuriæ corporalis ob violentam ablationem vir„ ginitatis fœmineæ, inducítque obligationem ſatisfactionis „ ob damnum illatum, ut infrà Caſu 102. dicetur. *Raptus* „ eſt violenta abductio fœminæ de loco ad locum explendæ „ libidinis, vel matrimonij contrahendi causâ. Superaddit „ ſpeciem gravis injuſtitiæ, illatæ tam ipſi raptæ, quàm ejus „ parentibus, aut quorum poteſtati ſubeſt: inducítque im„ pedimentum dirimens matrimonium inter rapientem, & vio„ lenter raptam, poſito quòd raptus animo contrahendi ma„ trimonium contigerit, niſi hæc conſtituatur in loco libero,

„ ibi-

„ ibíque conſentiat: ſecùs ſi ſpontè cum amaſio ſuo, inſciis
„ licèt & invitîs parentibûs, diſcedat.

„ *Sacrilegium*, quod eſt violatio Perſonæ ſacræ, vel eti-
„ am Loci ſacri per actum venereum, addit peccato luxu-
„ riæ violationem religionis ratione voti, vel juramenti,
„ quo peccantes, vel ſaltem is, quocum peccatur contra ca-
„ ſtitatem, ſunt obſtricti. Denique peccatum contra natu-
„ ram, ex omnibus ſpeciebus hactenus enumeratis graviſſi-
„ mũ, eſt uſus venereorum contra ordinem naturæ, ſeu finem
„ generationis: & ſubdividitur in 4. ſpecies, ſcilicet Mollitiẽ,
„ Beſtialitatem, Sodomiam, & indebitũ concumbendi Mo-
„ dum. Prima ſpecies eſt deteſtanda illa im̃unditia, qua pro-
„ prium corpus fœdatur, ſeu polluitur, in nullo caſu, ſi dire-
„ ctè intendatur, licita, ut jam alibi dictum. Secunda con-
„ ſiſtit in effuſione ſeminis cum beſtia: quò revocatur etiam
„ commixtio cum dæmone certam hominis formam indu-
„ ente: & hæc ob ſpecialem Dei contemptum ſuperaddit
„ rationem ſacrilegii ſeu irreligioſitatis, item ſuperſtitionis:
„ ac inſuper adulterii, inceſtus &c ſi diabolus formam con-
„ jugatarum, vel conſanguinearum aſſumat. Tertia eſt
„ coitus præpoſterus inter duos ejuſdem ſexûs. Et hoc eſt
„ illud horrendum ſcelus, ob quod Sodoma & Gomorrha
„ cum finitimis locis cœleſti igne & ſulphure obruta terræ,
„ vel potiùs inferni faucibus abſorpta fuêre. Ultima de-
„ nique ſpecies, ſcilicet indebitus concumbendi modus
„ etiam grave peccatum mortale conſtituit contra natu-
„ ram, ſi exinde impediatur generatio: ſecùs non erit qui-
„ dem mortaliter peccaminoſus, ſemper tamen venialiter,
„ niſi quædã neceſſitas, vel rationabilis cauſa excuſet. Unde
„ Innocentius XI. prohibuit hanc propoſitionẽ ord. 9. *Opus*
„ *conjugii ob ſolam voluptatem exercitum, omni penitus caret*
„ *culpa ac defectu veniali.* De reliquo circa has ultimas 4. ſpe-

„ cies

Digitized by Google

„ cies peccati contra naturam etiam obſervanda eſt damna-
„ tio Alexandri VII. propoſitionis ord. 24. *Mollities, ſodomia,*
„ *beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideóque ſufficit*
„ *dicere in confeſſione, ſe procuráſſe pollutionem.*

CASUS XCV.

LAxioris conſcientiæ juvenis accuſat ſe de carnalibus cogitationibus & delectationibus, ſed ait, ſe magìs in ipſis cogitationibus, quàm re venereâ delectatum: vel certè conditionatè tantùm, ſi conjugatus eſſet, aut in eventum, cùm aliquando uxorem ducet, de actionibus eo caſu licitis, adeóque nihil illicitum cogitâſſe: acceſſiſſe etiam aliquoties deliberatum propoſitum talia actu perficiendi, ſed ſub dicta conditione, & in eventum conjugij ſecuturi, neutrum cenſere ſe eſſe peccatum mortale, quia id, quod ſub conditione conjugij cogitavit, & propoſuit, ea conditione poſita licitum eſt &c.

RESOLUTIO.

IN hoc Caſu objectum ſecundùm ſe malum non eſt, hoc ipſo quia conditionatum, & conditione ſuppoſitâ honeſtum ac licitum. Unde intentiones & actus illi, qui ſpeciem & malitiam ſuam deſumunt, & participant ab objecto præcisè tali hypotheſi vel conditione ſuppoſita, non mali, ſed inculpati erunt, puta propoſitum, promiſſio, præparatio mediorum de ſe honeſtorum & licitorum &c. At verò delectatio præſens, ſiquidem voluntaria & moroſa ſit, quia, ut caſu præcedenti dictum, malitiam non ab objecto externo, ſed à fine movente, ſeu ratione formali, ſub qua talis actus elicitur, deſumit, mala & mortaliter peccaminoſa erit, quia finis malus eſt, ſcilicet libido & voluptas in ſtatu præſenti captata ex cogitatione venereorum. Unde licèt de futuro matrimonio, atque etiam

Digitized by Google

de uſu matrimonij abſolutè vel conditionatè tum cogitare, tum etiam in eum eventum proponere, malum non ſit, tamen ſi de præſenti accedat carnalis commotio & delectatio, hæc tanquam malum præſens approbari, aut voluntario conſenſu acceptari ſine peccato non poteſt: quia conſenſus in delectationem, utut ea ex licita cogitatione, lectione, vel actione principium, occaſionémque ſumat, ſemper eſt peccatum mortale, ut ſuprà Caſu 90. dictum, & co̅munis tenet DD.

In praxi igitur talis Juvenis, qui vel in cogitationibus tantùm, vel ſub conditione, aut in eventum matrimonij obſcœnis ſe immoratum ait: paucis interrogandus erit, an tunc, cùm de futuro, aut ſub conditione talia cogitabat, actu & de præſenti non ſenſerit carnales commotiones & delectationes: & num iis conſenſerit, aut voluntariè cum præſenti voluptate & libidinoſa complacentia immoratus ſit. Si hoc fatetur, peccati mortalis arguendus erit ex cauſa dicta, quia actus inefficax delectationis & complacentiæ ſimplicis ſecundùm objectum externum ſive ſimpliciter, ſive ſub conditione bonum aut malum non regulatur, eo ipſo, quia inefficax eſt, & in effectum ſeu objectum extra operantem poſitum non tendit: verùm totam ſeu bonitatem, ſeu malitiam à fine ſibi intrinſeco, vel intra mentem præfixo (qui in propoſito eſt libidinoſa voluptas) in ſe derivat.

„ Benè tamen obſervat Tambur. *l. 10. c. 5. §. 4. n. 2.* duos „ ſcopulos periculi plenos circa hunc caſum eſſe cavendos. „ 1. Ne ejuſmodi actus ſeu conditionata & inefficacia deſide- „ ria præſupponant, vel procedant à voluntate quadam abſo- „ luta jam actu in peccatum inclinata, ut ſi quis adoleſcens „ ex actuali turpi amore dicat, vellem cum hoc habere com- „ mercium &c. ſi mea eſſet uxor: tunc enim ejuſmodi deſi- „ derium per adjectam conditionem non ampliùs purificare- „ tur, ſed ob actualem turpem inclinationem, ex qua proce-

„ dit

„ dit, mortaliter peccaminoſum foret. 2. Ne quis ejuſmo-
„ di inefficacibus velleitatibus & deſideriis, utut conditiona-
„ tis diu inhæreat, ob periculum incidendi in delectationem
„ omninò veneream, propter ſympathiam nimirum, quam ha-
„ bent dicti actus cum actibus venereis & libidinoſis.

„ Sed quid dicendum 1. de deſiderio ſub conditione, *ſi*
„ *liceret*, alicujus objecti, quod in certis circumſtantiis po-
„ teſt cohoneſtari, e. g. Ducerem uxorem, ſi Religioſus non
„ eſſem &c.? 2. Si quis ita foret conſtitutus, ut vellet pec-
„ care, ſi infernus aut aliæ pœnæ Lege civili vel canonica ſta-
„ tutæ non eſſent. 3. Si Clericus dicat, peccarem, niſi par-
„ cerem ſtatui clericali: aut niſi infamiam, vel deprehendi
„ timerem &c. R. ad 1. Ejuſmodi deſideria inefficacia (ſe-
„ cluſâ omnî delectatione venereâ, & periculô incidendi in
„ talem) probabiliùs de ſe non eſſe peccaminoſa. Ratio eſt,
„ quòd ſtante illa conditione, *ſi liceret*, nulla ampliùs mali-
„ tia refundatur in actum, eò quòd per dictam conditionem
„ objectum, utut de ſe hîc & nunc materialiter malum & pro-
„ hibitum, in ratione objecti mali liberetur à malitia, adeò,
„ ut ſenſus ſit, vellem hoc vel illud, ſi liceret, ſive ſi pro-
„ hibitum non eſſet, ſed quia non licet, nolo; quem actum
„ non facilè quis arguet, cæteris paribus, alicujus peccati.
„ Ad 2. & 3. R. Hæc poſteriora deſideria eſſe graviter pecca-
„ minoſa, non obſtantibûs dictîs conditionibûs. Ratio eſt,
„ quòd illæ conditiones objectum non depurent à ſua mali-
„ tia: etſi enim infernus, vel aliæ pœnæ humanæ non eſſent,
„ nec ſtatus clericalis, nec infamia, tamen peccatum, quà ta-
„ le, maneret illicitum, ac conſequenter etiam graviter pec-
„ caminoſum, quod non fit, ſi quis dicat, vellem hoc, vel
„ illud, *ſi liceret*. Unde pro regula univerſali tenendum,
„ objectum illicitum & inhoneſtum ſub iis duntaxat condi-
„ tionibus ſimplici & ineffieaci affectu optari ac deſiderari

Digitized by Google

„ poſſe ſine peccato, quæ conditiones objectum à ſua malitia „ denudant, ſeu quibus poſitis objectum de ſe non ampliùs „ eſt, vel ſaltem non apprehenditur ut illicitum & inhone„ ſtum: non verò ſub conditionibus, quæ objectum à ſua „ malitia non extrahunt, ſed reſpectu ejuſdem ſe merè per „ accidens habent, uti fit in adductis poſterioribus exemplis.

CASUS XCVI.

VErbîs contra 6. Præceptum peccâſſe ſe homo quidam ex plebe confitetur: loquendo partim verba craſſa & abſurda, partim etiam obſcœna & turpia: non tamen mala intentione, ſed ex quadam levitate, vel conſuetudine.

RESOLUTIO.

VErba craſſa contra bonos mores, & verba obſcœna contra caſtitatem diſtinguenda, & ſi pœnitens generaliter tantùm de verbis inhoneſtis, vel immodeſtis aut turpibus &c. ſe accuſet, ſpecies certa indaganda eſt. Cæterùm quid dixerit, nunquam honeſtè & prudenter interrogari poterit.

Igitur cùm 1. explicatur, tantùm verba craſſa dicta fuiſſe, ordinariè acquieſcendum erit, & præſumendum, non mortaliter peccatum fuiſſe: quamvis enim ſubinde talia verba mortalem malitiam nanciſcantur, vel propter ſcandalum, ut ſi à Viro Religioſo, Parocho &c. in plebe nimis liberaliter proferantur: vel propter irreverentiam & deſpectum, qui per talia verba alteri infertur: uti facilè contingit, cùm in contentione & jurgiis talia inſeruntur &c. tamen quia hoc rariùs & omninò ſpeciale peccatum eſt, quod pœnitens per ſe veroſimiliter agnoſceret, & exprimeret, ſi accidiſſet, non neceſſarium erit, interrogare.

Quòd ſi 2. fateatur, ſe verba obſcœna contra caſtitatem dixiſ-

Digitized by Google

dixiſſe additô numerô, rurſus præſumendum fermè ordinariè de peccato mortali: nec opus erit interrogatione, niſi forſan Confeſſarius prudenter dubitet, an non loquens certum aliquod objectum venereum non tantùm loquendo, ſed etiam concupiſcendo attigerit: tunc enim meritò interrogabit, qualenam illud objectum concupitum fuerit: an ligata, ſoluta, conſanguinea &c.?

Conſuetudinem verò non excuſare, niſi inducat inadvertentiam & indeliberationem, ſed reſpectivè novum peccatum, & obligationem deſueſcendi inducere ex dictis Caſu 40. de Blaſphemia conſtat.

Denique ex levitate tantùm, nec mala intentione dici talia, quæ ſecundùm ſe gravia & ſcandaloſa ſunt, etiam non excuſare Caſu ſequenti dicemus.

„ Cæterùm regula quædam univerſalis pro turpiloquiis, tur-
„ pium lectione, ſcriptione, cantilenis & ſimilibus deduci poteſt
„ ex triplici fine, quo fieri talia poſſunt, & ſolent. Vel enim
„ 1. fiunt ex bono fine, ut causâ ſtudij, inſtructionis &c. &
„ tunc nullum ſuberit peccatum: quoniam aliàs nec Magi-
„ ſtris in Scholis de ſimilibus loqui, nec Doctoribus ſcribere,
„ nec ipſi pœnitenti examen componere liceret. Vel 2. fiunt
„ causâ delectationis quidem naturalis, nullatenùs tamen li-
„ bidinoſæ: ut ex joco, curioſitate dictionis, animo fallendi
„ tempus, vel relevandi ſe à laboribus (ſeclusô ſemper peri-
„ culô libidinoſæ complacentiæ, & ſcandali) & tunc venia-
„ lem culpam non excedent, eò quòd ad ſummum remotè
„ duntaxat diſponant ad finem graviter malum. Vel deni-
„ que 3. fiunt animô verè libidinosô, id eſt cum delectatio-
„ ne ad ipſa objecta narrata, ſcripta, cantata &c. aut ſaltem
„ cum morali periculo conſenſûs in talem delectationem,
„ & tunc haud dubiè erunt mortalia, uti hactenùs ſæpiùs
„ dictum.

CASUS XCVII.

ALius ſe cum fœminis nimis familiariter verba non quidem valde turpia, ſed amoroſa tantùm & inordinatum animi affectum exprimentia locutum ſe ait.

RESOLUTIO.

CIrca verba obſcœna plura ſunt, quæ reatum peccati mortalis inducunt. Et 1. quidem, ſi verba per ſe gravem turpitudinem ſonent, proin libidinem vel in dicente, vel audiente moraliter loquendo excitare ſolent, ſemper erunt mortalia, quacunque intentione proferantur, tum ratione periculi, tum ratione ſcandali.

2. Quòd ſi verba vel ita paucula, vel ita mediocria, ambigua, ingenioſa, aut tametſi ea affectuoſa & amoroſa, tamen intra terminos non prorſus à caſto amore alienos &c. proferantur: talia cùm ex ſe graviter ſcandaloſa aut libidinoſa non ſint, tamen ex principio, fine, & concurrente libidine mortalia fieri poſſunt: ſi videlicet vel animo libidinoſo tanquam effectus præexiſtentis libidinis advertenter proferantur: vel ſi malo fine extrinſeco, puta ad excitandum amorem in audiente: vel denique ſi cum talibus verbis concurrat aut excitetur in dicente delectatio, cáque voluntaria, ut dictum fuſiùs caſu 92. & immediatè præcedenti.

„ Sed quid dicendum de litteris amatoriis, Comœdiis, „ aliiſque repræſentationibus parùm honeſtis, vel omninò „ obſcœnis? R. Etiam has regulis priori caſu traditis me„ tiendas eſſe, niſi quòd finis honeſtus & licitus rariùs in„ tendatur, vel etiam aliquando intendi nequeat. Hinc „ imprimìs cùm litteræ amatoriæ ordinariè talia contine„ ant, quæ vel affectum libidinoſum in ſcribente ſigni„ cant, vel talem in legente excitant, adeóque grave peri„ culum peccandi ingerant, nunquam à peccato mortali

„ excu-

Digitized by Google

„ excuſandæ erunt, niſi ab omni impuritate libidinoſa im-
„ munes, unicè honeſtæ amicitiæ fovendæ gratiâ mittan-
„ tur. Quòd ſi, hac honeſtate ſuppoſitâ, aliqualis delecta-
„ tio ſenſualis, vel etiam motus corporis non intentus ex-
„ inde ſequatur, abſque tamen periculo ulterioris conſen-
„ ſûs, aut complacentiæ venereæ à mortali ſaltem eas excu-
„ ſat Marcantius & alii. 2. Quantùm ad ludos & exhibi-
„ tiones hiſtrionales, valde turpia, vel ſaltem amatoria con-
„ tinentes &c. etſi ſubinde à peccato gravi excuſari poſſint
„ merè aſpicientes, vel audientes, ſi nimirùm talia nec ex-
„ ſpectârint, nec intenderint, & non niſi ex mera curioſita-
„ te ſine periculo ulteriori & ſcandalo aliorum interfue-
„ rint; ipſi tamen componentes & repræſentantes hujusmo-
„ di ludos obſcœnos à culpa lethali excuſandi nunquam
„ ſunt: eò quòd moraliter loquendo impoſſibile ſit, ne vel
„ ſibi ipſis, vel aliis ſint anſa & cauſa gravis ruinæ ſpiritualis.
„ Quod idem dicendum ob paritatem rationis, de ſcriben-
„ tibus libros turpes & obſcœnos, licèt merè in gratiam
„ Rhetoricæ, vel Poëſeos &c. Neque dicas, excuſari hos
„ ratione ſtudii, elegantiæ dictionis, aut inſtrúctionis alio-
„ rum? Nam talibus benè obviat Tambur. *l. 7. c. 8. §. 5. n. 1.*
„ *dicens.* Cogit utilitas publica Medicum Anatomiſtam
„ verenda & ſecretiora naturæ ſeu corporis humani deſcri-
„ bere: eadémque cauſa cogit Theologum moralem, actio-
„ nes fœdas minutatim explicare &c.: at te Poëtam, te va-
„ num Scriptorem, quæ neceſſitas, quæ utilitas compellit
„ ad ea turpia deſcribenda, convenit proinde his potiùs
„ illud Chriſti. Expedit, ut ſuſpendatur mola aſinaria in
„ collo eorum, & demergantur in profundum maris.

Digitized by Google

CASUS XCVIII.

PEtulans juvenis fœminas ad oſcula, aliáſve actiones illicitas ſe invitâſſe confitetur: ſed hoc tantùm ex joco factum, & cauſa tentandi animum ac conſtantiam talium fœminarum, abſque ſeria intentione aut propoſito, tale quidpiam contra caſtitatem committendi &c.

RESOLUTIO.

SAtis hìc ſpecies peccati expreſſa habetur, nec opus ulteriori interrogatione: at ne confitens rem hanc juſto leviorem cenſeat, monendus eſt, grave & multiplex hoc caſu intercedere peccatum mortale. 1. Quia hæc ipſa tentatio opus & officium dæmonis eſt, inter homines graviter charitati repugnat. 2. Propter ſcandalum, quia inducit & diſponit alterum ad effectus, intentionéſque mortaliter peccaminoſas, ut ut poſtea effectus non ſequatur. 3. Propter periculum proprium & propinquum: cùm nihil periculoſiùs ſit, quàm ludere in materia lubrica: vix enim talis petulans tentator tam conſtans & caſtus erit, quin ſi advertat ex parte alterius animum & affectum in ſe propendentem, ipſe ſaltem ad complacentiam & delectationem veneream non moveatur. (*A.*) Non dixi tamen de his ſpecialiter interrogandum, cùm ex natura rei inſint: ſed tantùm monendum & dehortandum eſſe confitentem ob gravitatem peccati, quam forſan non advertit.

„ (*A.*) Q. An ſponſis de futuro in ſimilibus non plus li-
„ ceat, quàm omninò ſolutis? R. Probabiliter eſſe iiſdem
„ licita quædam amoris ſigna aliis illicita, ut ſunt oſcula,
„ amplexus, confabulationes amoroſæ &c. etiam ob dele-
„ ctationem ſenſibilem in iis reſidentem, modò abſit peri-
„ culum pollutionis & copulæ, vel conſenſus in illa: ac di-
„ cta ſigna non per ſe, ſeu ex objecto ſuo turpia & impudica
„ ſint.

Digitized by Google

„ ſint. Ita Navar. *c. 14. n. 18. in fine : & c. 16. n. 12.* Sanch. *l. 9.*
„ *d. 46. n. 50.* Cajet. Medin. Valent. Azor. Laym. Bonac. cum
„ aliis multis ab his relatis. Rationem unanimiter dant.
„ Quòd ſponſalia ſint principium nuptiarum promiſſarum.
„ Velut igitur ipſæ nuptiæ, ſeu matrimonium ratum lici-
„ tam facit actualem copulam: ita ſponſalia tanquam via
„ ad Matrimonium tribuunt aliquale jus in corpus: ſeu li-
„ cita faciunt iſta ſigna mutui amoris. Quamvìs culpâ ve-
„ niali non vacent, ſi præcisè fiant ob delectationem illam
„ ſenſualem : imò frequenter omninò mortalia evadant,
„ præſertim ſi diu continuentur ob periculum pollutionis,
„ vel conſenſûs in copulam aut delectationem veneream.
„ Dixi tamen, modò non abſolutè turpia & impudica ſint,
„ uti forent tactus partium inhoneſtarum &c. cùm enim
„ talia proximè ordinentur & diſponant ad pollutionem
„ vel copulam: hæc verò ſponſis ſint illicita, patet etiam
„ media, ſeu actiones proximè diſponentes ad ea iiſdem eſſe
„ illicitas. Contrarium nihilominùs tenet Leſſius *l. 4. c. 3.*
„ *dub. 15. n. 120.* Henriquez *l. 11. c. 19. n. 4.* & alii: eò quòd
„ delectatio orta ex oſculis, tactibus &c. inter perſonas di-
„ verſi ſexûs à natura ſint inſtituta ad copulam: quæ cùm
„ ſponſis ſit illicita, etiam erit illicita dicta delectatio. Prio-
„ rem ſententiam vocat Bonacina probabilem, poſteriorem
„ probabiliorem & tutiorem : quamvìs utramque ob au-
„ thoritatem tantorum Doctorum ſatìs tutam cenſeam. In
„ praxi juxta conſcientiam & dictamen pœnitentis judican-
„ dum erit.

CASUS XCIX.

ADvertit Confeſſarius pœnitentem ex craſſa ignorantia tactus, amplexus, oſcula tantùm genera-

Digitized by Google

liter ſine expreſſione numeri confiteri, quòd ſimilia non niſi levia & venialia peccata reputet: quomodo talem inſtruet?

RESOLUTIO.

NOn tantùm inſtruendus & de errore monendus, verùm etiam de numero & ſpecie examinandus eſt talis confitens, quia hic error ordinariè craſſus & vincibilis (*A.*) proin à peccato mortali non excuſare cenſendus eſt: eò quòd ipſa ratio etiam hominem rudem moneat, & doceat, talia inhoneſta & pudenda eſſe: proin quilibet ſaltem dubitare debeat, an mortalia, vel venialia ſint: & ſi ſtante talî dubiô operetur, hoc ipſo peccabit mortaliter, ut ex alibi dictis conſtat.

Re ipſa tactus, oſcula, amplexus mortalia ſunt non tantùm, ſi animo libidinoſo ex antecedente, vel cum comitante delectatione venerea fiant, modô ſæpiùs explicatô: verùm etiam tunc, quando ſecundùm ſe ita turpia & ita qualificata ſunt, ut hîc & nunc à complice, vel aliis, non niſi latentis amoris venerei ſigna cenſeri poſſint, utut ponamus per accidens aliquo caſu joci tantùm causâ, & ſine libidinis ſenſu exerceri, tamen peccata mortalia ſunt, tum contra Caſtitatem, quia impudica & inhoneſta; tum contra Charitatem, quia ſcandaloſa, utpote complicem ad delectationem veneream moventes & inducentes. Interim de hoc ipſo quales, & quàm turpes tactus fuerint, Confeſſarius interrogare non debet, propter rationem Caſu 91. explicatam: ſed ſi pœnitens de tactibus ſe accuſans addat numerum, hoc ipſo Confeſſarius præſumet, quòd de libidinoſis & mortalibus ſe accuſet: ſin minùs, commodè interrogare poterit, quoties tactus inhoneſtos, aut cum carnali delectatione exercuerit: quo facto pœnitens intelliget, tactus honeſtos manuum &c. item qui inter choreas palam ſine rubore, adeóque communi hominum judicio honeſtè fiant, in quæſtione non eſſe: proin numerus per eundem expreſſus de tactibus obſcœnis & mortaliter pecca-

Digitized by Google

minoſis accipiendus, nec ultrà de qualitate vel turpitudine tactuum inquirendum erit.

Dixi autem tactus illos obſcœnos eſſe mortalia, qui hîc & nunc ſigna turpis amoris ſunt ſecundùm ſe &c. Nam ſi alio certo fine fiant v. g. à Chirurgo &c. item ſi alicubi more patrio amplexus inter choreas, ut apud ruſticos quoſdam: vel oſcula inter amicos, ut in Belgio uſitata ſint, & honeſta reputentur: denique generaliter, ſi oſculum vel amplexus v. g. in talibus circumſtantiis & modo contingat, ut hîc & nunc nec libidinoſum, nec ſcandaloſum cenſeatur, à mortali excuſari poteſt, ut cum Divo Thoma *2. 2. q. 154. a. 4.* tenet communiſſima. Ordinariè autem & practicè, quando pœnitens de oſculis, aut etiam amplexibus ſe accuſat, additô per ſe, vel ad interrogationem numerô: ſine alia inquiſitione judicandus erit mortaliter toties peccâſſe.

„ (*A.*) Q. An dari poſſit ignorantia invincibilis in ſpecie- „ bus luxuriæ? R. Inter Chriſtianos præſertim noſtrô hôc „ ævô, ac in his mundi partibus rariorem quidem eſſe igno- „ rantiam verè invincibilem ſpecierum luxuriæ ſaltem conſum- „ matarum, tum ob multimodam inſtructionem, tum ob no- „ tam paſſim hujus vitij turpitudinem: aliquando tamen „ poſſe, vel etiam actu dari quoad unam, vel alteram ſpeciem. „ Ratio eſt, quòd ex una parte, fornicationem ſimplicem e. „ g. non eſſe licitam ex primis principiis Syntereſeos ipſo lu- „ mine naturæ notis, immediatè non reluceat. Nam ut do- „ cent Clavis Reg. *l. 2. c. 9. n. 19.* Bonac. *de Peccat. d. 2. q. 8. „ p. 3. n. 11.* ex communi DD. dari poteſt ignorantia invin- „ cibilis non ſolùm Legum humanarum & Juris divini, ſed „ etiam quorumdam Præceptorum naturalium, quæ nimirum „ remotiùs & difficiliùs ex illis primis principiis deducuntur. „ Ex altera parte certum eſt, quòd dari poſſint homines inter „ ſylvas & pecora nati, vix non ipſi pecudes, ita rudes, ut,

„ cùm vident, vel audiunt, in quibusdam locis publicè me-
„ retrices permitti, exiſtiment, eſſe licitum, quidquid eſt per-
„ miſſum, qui proinde ignorent, accedere ad meretricem, eſſe
„ peccatum mortale. Nec obſtat, S. Thomam docere, for-
„ nicationem repugnare Legi naturali tum ob nimium abu-
„ ſum corporum, & incertitudinem naturalium Patrum, tum
„ ob defectum bonæ educationis prolis, & deſtitutionem ſuc-
„ ceſſionis in bonis paternis &c. Nam hæ rationes ita claræ
„ de ſe non ſunt, ut cuivis immediatè innoteſcant, cùm etiam
„ Durandus & alij quidam eas non apprehenderint, ac pro-
„ pterea docuerint, fornicationem non eſſe prohibitam Lege
„ naturali, ſed ſolùm poſitivâ. Videtur proinde aliquando
„ ſaltem dari poſſe ignorantiam invincibilem circa ſpeciem
„ fornicationis ſimplicis. Sed quidquid ſit de hac: dari ſal-
„ tem poſſe ignorantiam invincibilem circa mollitiem, ſeu
„ pollutionem inter homines valdè rudes docet Burghaber
„ *Centur. 1. caſu 97.* allegans Ariagam cum multis antiquis &
„ plerisque RR. Et Marchant. *in ſuis Reſol. paſt.* teſtatur, ſe
„ plures ruſticos reperiſſe, qui id nunquam confeſſi fuerant
„ in ſua juventute absque remorſu conſcientiæ. Imò inter
„ conjugatos, inquit, adhuc reperiri quosdam, qui abſente
„ conjuge exiſtimant, licere ſibi tactus pollutionem excitan-
„ tes &c. Benè tamen poſtmodùm ſubjungit: etſi ignoran-
„ tia verè invincibilis excuſet ab iteranda confeſſione, ſecuriùs
„ tamen eſſe, pœnitentes eò deducere, ut iterent, cùm diffi-
„ cile ſit judicare, an verè ignorantia invincibilis fuerit, nec ne?

CASUS C.

ALius inſtructionem deſiderat, an & quomodo pollutiones, quæ vel dormienti, vel etiam vigilanti accidunt, ſint peccata mortalia: maximè quando voluntariè, vel ſaltem advertenter cauſa datur?

RE-

Digitized by Google

RESOLUTIO.

IMprimìs extra dubium eſt, pollutionem datâ operâ procuratam non ſolùm peccatum mortale, ſed etiam contra naturam pudendum ſcelus, fornicatione & adulterio gravius eſſe: ut meritò proptereà ab Innocent. XI. damnata ſit ſequens propoſitio ord. 49. *Mollities jure naturæ prohibita non eſt, unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria.* Ideóque certum eſt, hoc ſcelus ſemper ſpecificè in confeſſione explicandum: ac ſpecialiter illud quoque, an fortè per alterum, aut occaſione alterius cauſata ſit, cùm hoc ſpeciem mutet, & ex mollitie imperfectam ſodomiam faciat, expreſsè Confeſſario detegendum: uti econtrà pollutionem, quæ vitio naturæ, aut ſine ſpeciali data, & prævíſa cauſa invito accidit, culpâ vacare (ſiquidem etiam ex poſtfacto delectatio voluntaria nulla accedat) velut notum & indubitatum ſupponendum eſt. At medium datur, ſcilicet pollutio ſecundùm ſe involuntaria quidem, attamen in ſua cauſa indirectè voluntaria. De hoc difficultas non levis eſt.

Dicendum 1. Si cauſa & occaſio, ex qua timetur, vel prævidetur ſecutura obſcœna carnis commotio, vel omninò pollutio nocturna, vel diurna ex ſe neceſſaria, utilis, vel ſaltem licita eſt: & non causâ alicujus delectationis carnalis, ſed alio honeſto fine fiat: ipſa quoque pollutio, ſiquidem ſecundùm ſe nec intenta, nec ex poſtfacto cum delectatione approbata ſit, peccatum non erit. 2. Eodem jure cenſeri poſſunt actiones ex ſe indifferentes & commoditatis causâ exercitæ, ut ſi equitando, balneis, certâ corporis compoſitione &c. cauſa præbeatur huic miſeriæ. Ratio utriuſque eſt, quia omnes dictæ actiones fiunt vel ex officio & charitate erga proximum: vel ſaltem ſunt utilia, commoda & licita ipſi operanti, & de reliquo honeſta nec per ſe ten-

Digitized by Google

dentia vel influentia in tam turpem effectum, ut adeò operans cenſeatur merè ſe habere paſſivè: modò ſemper abſit conſenſus vel periculum illius in turpem delectationem. Azor *p. 3. l. 3. c. 23. q. 4. & 5.* Sanchez *l. 9. de Matrim. d. 45. n. 7.* & alii communiter. 3. Quòd ſi dando operam rei illicitæ, ſed non libidinoſæ, aut in genere luxuriæ prohibitæ, verùm aliunde illicitæ v. g. per ebrietatem cauſa & occaſio præbeatur pollutioni, res dubio quidem carere non videtur: quia in foro externo quoque ei, qui dat operam rei illicitæ imputantur mala omnia, quæ inde ſequuntur, maximè ſi ſecutura probabiliter prævideantur, aut prævideri poſſint. Communis tamen eſt ſententia, hoc caſu pollutionem, utpote adhuc involuntariam ad malitiam peccati mortalis non pertingere, niſi virtualiter ſaltem intendatur, aut conſenſus in illam prævideatur, vel prudenter timeatur. Bonac. *de Matrim. q. 4. p. 10.* Navarrus *c. 16. n. 6.* cum aliis. 4. Quod ſi cauſa non quocunque modo, ſed in hoc ipſo genere luxuriæ illicita ſit, proin ex natura ſua connexionem habens cum pollutione ſecutura v. g. oſcula, palpatio, vel etiam moroſa contemplatio fœminarum, aut proprii corporis &c. communiter receptum eſt, quòd tunc pollutio ſequens, utpote voluntaria in cauſa ſua ſit peccatum mortale, atque ſpecialiter in Confeſſione explicanda. 5. Hanc tamen ipſam communem ſententiam non improbabiliter aliqui diſtinguunt, & docent, ſi cauſa illa, utut in genere luxuriæ, attamen tantùm venialiter peccaminoſa ſit, v. g. aſpectus, apprehenſio manus &c. quòd tunc etiam effectus pollutionis ſequens non majorem, quàm ſua cauſa, utpote ex qua totam malitiam derivat, proin venialem tantùm habeat: ut denuò docet Bonac. n. 9. allegans Vaſq. Leſſ. & alios apud Henriquez *l. 11. c. 16. a. 6.* In praxi tamen homo bonæ & tenerioris conſcientiæ diſtinguere debet inter

pollu-

Digitized by Google

pollutiones, quæ dormienti, & eas, quæ vigilanti accidunt: ſive generaliter, an expreſſè præcogitaverit, & quaſi certò ſaltem moraliter adverterit ſecuturam pollutionem: uti poteſt & ſolet advertere, ſi vigilans cauſam det pollutioni in continenti ſecuturæ &c. an verò tantùm à longè aliquem incertum metum & cogitationem dubiam habuerit, ne fortè in ſomno polluatur, aut ne, cùm de facto non prævideri, nec actu cogitaverit de pollutione, tamen cogitare debuiſſet, ideóque ſuam inadvertentiam, utpote vincibilem non excuſare coram Deo timeat &c. Hoc poſteriore caſu pollutionis nocturnæ, & non expreſsè, vel non ſatis certò prævifæ ſecundùm prædictas 5. Doctorum ſententias tutò ſe regulare poteſt etiam in praxi. At econtrà, ſi expreſsè, & quaſi certò prævidit pollutionem in continenti, & vigilanti ſibi eventuram, nec tamen præter delectationem (aliqualiter ſaltem libidinoſam & carnalem) aliam certam & honeſtam cauſam habuerit, immorandi actioni illi, ex qua tam turpem effectum ſecuturum prævidit, meritò dubitare, imò præſumere debet, quòd virtualiter ipſam delectationem pollutionis intenderit: & proteſtatio contraria (ſcilicet non conſentiendi in delectationem pollutionis, ſed tantùm utendi ſuâ commoditate, atque in illa imperfecta & veniali delectatione ex aſpectu, attactu, equitatione, alióve exercitio voluptario naſcente, acquieſcendi &c.) vel minùs ſeria, vel facto contraria ſit, eò quòd tales actiones hìc & nunc quaſi inſeparabiliter cum ipſa pollutione connexas advertit, nec tamen intermiſit, præterquam, quòd actus pollutionis ordinariè & inter homines minùs perfectos per ſe importet ſpeciale, & ſatìs propinquum periculum conſenſûs in delectationem: proin niſi aliunde juſta & proportionata cauſa excuſet, hoc ipſum, occaſiones & pericula non evitâſſe, peccatum mortale erit, juxta ea, quæ caſu 90. dicta ſunt.

„ Q. Ad-

Digitized by Google

„ Q. adhuc 1. An aliquando licitum ſit deſiderare, vel „ delectari de pollutione ſecutâ? R. Ex motivo, vel affectu „ venereo nec deſiderare, nec de ea ſecuta etiam abſque „ culpa gaudere, unquam licere: quoniam hoc ipſum fo- „ ret directè conſentire in illam, quod ſecundùm omnes „ ſemper eſt peccatum mortale. Nec 2. licitum eſt, illam „ deſiderare ex quocunque fine honeſto & licito, ſi vi illius „ deſiderii diſponatur, aut incitetur deſiderans ad eam ha- „ bendam: eò quòd tale deſiderium foret cauſa influens in „ illam. Licitum tamen eſt 3. Affectu ſimplici & inefficaci „ ob finem, vel effectum honeſtum & bonum, v. g. ſedandæ „ tentationis, vel ſanitatis cauſa eam deſiderare, ut naturali- „ ter e g. in ſomno eveniat; vel de ea, qua tali ſecuta gaude- „ re, abſque conſenſu in delectationem illius. Ita Cajet. *2. 2. „ q. 154. a. 4.* Leſſ. *l. 4. c. 3. dub. 14.* Navar. *c. 16. n. 7.* Filliuc. „ *tr. 30. c. 8. q. 5. n. 144.* Laym. *l. 3. ſect. 4. n. 17.* Sanch. in Sum. „ *l. 1. c. 2. n. 17.* citans viginti duos. Ratio eſt, quòd ejuſ- „ modi deſiderium vel gaudium nec procedat ex affectu ve- „ nereo, aut aliunde inhoneſto, nec ſit cauſa influens in „ pollutionem, nec tendat in finem illicitum, ſed bonum & „ honeſtum: quibus tamen non obſtantibus rectè monet „ Laym. poſt Gerſonem, ſimilibus affectionibus addictos „ virtutem caſtitatis nondum eſſe perfectè conſecutos, ut- „ pote, quæ horret omnem carnis impuritatem, ſub qua la- „ tere poteſt aliquod periculum conſentiendi in volupta- „ tem quamdam veneream, ſeu peccandi contra 6. præ- „ ceptum.

„ Q. 2. An omnes pollutiones ſint ejuſdem ſpeciei? R. „ Si præcisè ſecundùm ſe ſpectentur, eſſe ejuſdem ſpeciei. „ Ratio eſt, quòd omnes habeant eandem contrarietatem & „ deformitatem contra rectam rationem, & ordinem naturæ. „ Dixi *Si per ſe ſpectentur.* Nam per accidens & ratione cir-

„ cum-

Digitized by Google

„ cumſtantiarum frequenter novam ſpecie malitiam ſibi ha-
„ bent adjunctam : ut ſi polluens ſe ipſum ſit voto Caſtitatis
„ obſtrictus , præter peccatum mollitiei etiam committit ſa-
„ crilegium. Si ſit conjugatus , addit ſpecie diſtinctam ma-
„ litiam contra caſtitatem conjugalem ob fractionem fidei , &
„ bonum matrimonij , in confeſſione diſtinctè explicandam
„ juxta Sanchez *d. 18. n. 4. & 5.* Reginald. & alios. Si fiat
„ cum imaginatione & deſiderio erga aliam perſonam v. g.
„ conjugatam , conſanguineam &c. contrahitur malitia adul-
„ terij , inceſtûs &c. juxta qualitatem & conditionem perſo-
„ næ concupitæ. Si denique fiat cum complice , qualitas non
„ tantùm propriæ perſonæ , ſed etiam complicis in confeſſio-
„ ne neceſſariò erit exprimenda : eò quòd juxta communem
„ DD. inducens , vel cooperans ad peccatum alterius duplicis
„ peccati fiat reus , proprij ſcilicet & alieni , ſeu complicis,
„ utriuſque in confeſſione exprimendi.

CASUS CI.

JUvenis ruſticus ſecundùm ordinem Decalogi confeſſionem facit, & in 6. Præcepto ſexies v. g. ſe peccatum carnis cum ſoluta commiſiſſe ait : cæterùm nec de cogitatione , aut delectatione moroſâ , nec de turpiloquiis, oſculîs , aliisque veroſimiliter fornicationem præcedentibûs aut comitantibûs ſe accuſat : quid hoc caſu officium Confeſſarij requirit ?

RESOLUTIO.

Cùm actus ultimatus in quocunque genere peccati , cum antecedente cogitatione , delectatione , propoſitô , mediîs & præparatoriîs (ſpecialem & diſtinctam malitiam non involventibûs) unum actum completum , adeoque & unicum numerô ac ſpecie peccatum conſtituat , ſufficit ipſum

Digitized by Google

actuale peccatum ſub proprio nomine v. g. fornicationis, adulterij, homicidij &c. confiteri, reticendo propoſita & præparatoria antecedentia, ſiquidem (quod ſemper notandum) unâ ſerie & continuâ ſubordinatione effectus ultimus ceu finis ex prædictis mediis conſecutus ſit (*A.*) ſecùs, ſi intentio & actio ſemel aut ſæpiùs interrupta, atque ex poſtfacto iteratò reaſſumpta ſit v. g. qui primâ die propoſitum peccandi habuit, ſed ſponte ſua mutavit. Secundâ die reſumptô propoſitô etiam occaſiones quæſivit, ſed non invenit. Tertiâ die inſuper turpiloquia, aliaque indecentia animo inducendi fœminam adhibuit, ſed repulſam tulit. Quartâ demum die iterum tentavit, & perpetravit adulterium. Iſte de omnibus his actibus utpote ſeparatis & interruptis (*B.*) ſe accuſare tenetur: & quia frequenter contingit ita interrumpi intentiones, non erit abs re, ſi Confeſſarius eum, qui confitetur adulterium, vel fornicationem, interroget, an non aliîs vicibûs extra caſum, quo effectus ſecutus eſt, mala propoſita in animo habuerit, verba vel actiones impudicas exercuerit cum eadem, ſive cum alia &c.

„(*A.*) Sed jam occaſione hujus Caſûs oritur ſat celebris „Quæſtio: Undenam univerſim deſumenda diſtinctio nu-„merica peccatorum? Ad quam breviter R. Peccata inter „ſe diſtingui numerô 1. Ex objectis numerô totalibûs & „completîs, non materialiter & phyſicè duntaxat, ſed for-„maliter & moraliter ſpectatîs. 2. Ex interruptione actuum „morali. Ita Divus Thomas *in 2. diſt. 42. q. 1. a. 1.* Suarez. „*p. 3. tr. 4. d. 22. ſect. 5.* Nav. *c. 6. n. 16.* Azor. Tabiena & „alij quàm plurimi.

„Quantùm igitur ad 1. Notandum eſt, inter objecta, cir-„ca quæ peccata verſantur, alia in genere moris dici totalia „& completa, alia non totalia, ſed incompleta. Hæc po-„ſteriora ſunt, quæ ex natura ſua ſunt apta conjungi aliis,

„&

„ & cum iis unum totum morale conſtituere, nempe vel per „ modum medij cum fine, vel per modum partis cum aliis com- „ partibus : ut ex communi hominum uſu ita etiam plerum- „ que conjungantur, & conſentur. Talia ſunt e. g. Aſpe- „ ctus, verba, oſcula & tactus impudici ad obtinendam co- „ pulam : item multi crucigeri ad conſtituendum unum flo- „ renum &c. Priora econtrà ſunt, quæ ex natura ſua non „ habent talem ordinem ad conjunctionem cum aliis, ſive „ per modum medij, ſive per modum compartis, nec etiam „ ab hominibus communiter ſic conjunguntur, ut ſunt v. g. „ ipſa copula, homicidium &c. Hôc notatô jam facilè red- „ ditur ratio aſſertionis noſtræ quoad 1. partem. Nam obje- „ cta totalia illa ſunt, quæ neque ex natura ſua, neque ex „ communi hominum uſu ad ſe invicem ordinantur, ut unum „ totum morale conſtituant : ergò peccata, quæ circa talia „ objecta verſantur, in æſtimatione morali non pro uno, ſed „ pluribus numerô diſtinctis ſunt habenda : & conſequenter „ in confeſſione etiam ut talia exprimenda. Unde colligitur, „ eum, qui eâdem nocte ſive cum una, ſive cum tribus fœ- „ minis ter habet copulam, tria committere diſtincta nume- „ rô peccata in confeſſione exprimenda. Similiter, qui tres „ occidit homines in eadem platea ſucceſſivè ſibi occurrentes, „ tria diſtincta committere homicidia : eò quòd fornicationes „ & cædes iſtæ ſint de ſe actiones totales & completæ, nullam „ inter ſe in genere moris connexionem habentes.

„ Econtrà, qui plures tactus & oſcula illicita fornicationi „ præmittit ex intentione fornicandi, unicum committit pec- „ catum, & ſufficit, ſi dicat, ſe eſſe fornicatum. Item qui „ in unico convivio carnium die Veneris de omnibus fercu- „ lis comedendo plurimos bolos ſumit, unicô duntaxat pec- „ catô peccat, niſi comeſtionem ità interrumpat, ut morali- „ ter ſint duo diſtincta convivia, vel refectiones, de quibus

 „ infrà.

Digitized by Google

„ infrà. Similiter Sacerdos, qui in ſtatu peccati mortalis poſt „ ſuam ſumptionem in Sacrificio Miſſæ aliis pluribus com„ municantibus divinam Hoſtiam porrigit, unum tantùm „ committit peccatum mortale (ſuppoſitâ nempe illâ ſenten„ tiâ, quæ docet hanc Sacramènti adminiſtrationem in tali „ ſtatu eſſe mortaliter peccaminoſam) quod tamen multi val„ dè probabiliter negant, eò quòd non ſit actualis confectio „ Sacramenti, ſed tantùm ſe habeat circa illud &c. Ratio „ horum eſt, quia omnes actiones in hisce exemplis tum ex „ natura ſua, tum ex communi hominum uſu ad unum to„ tum ordinantur: nempe in 1.mo Ad unam fornicationem; „ in 2.do Ad unum convivium corporale; in 3.^{tio} Ad unum „ convivium ſpirituale.

„ Ob hanc ipſam rationem Card. de Lugo vult etiam, Sa„ cerdotem in peccato mortali exiſtentem, ac unâ ſeſſione „ plures confeſſiones ſucceſſivè audientem unicum duntaxat „ committere peccatum: quod tamen alij haud minùs pro„ babiliter negant, eò quòd perficiat plura Sacramenta de ſe „ totalia & adæquata.

„ Denique. An is, qui unico ictu, vel exploſione tor„ menti bellici injuſtè decem occidit homines: una detra„ ctione viginti hominibus detrahit: una voluntatis deter„ minatione proponit, per totum annum nunquam audire „ Sacrum, recitare Breviarium, jejunare &c. An, inquam, „ unicum committat peccatum: vel tot, quot homines occi„ dit, quibus detrahit: item quot dies, in quibus negligit „ Sacrum, non recitat Breviarium, non jejunat &c. contro„ verſum eſt inter AA. Priorem partem ſeu affirmativam te„ nent Navarrus, Filliuc. Bonac. Laym. Card. de Lugo & „ alij. Poſteriorem tuentur Azor. Vaſquez. Bacho & alij.

„ Priores defendunt ſuam ſententiam ex eo, quòd illa ob„ jecta ſolùm ſint plura materialiter, unum verò moraliter,

„ ac for-

„ ac formaliter , quatenus hîc & nunc in uno actu conjun-
„ guntur. Poſteriores econtrà docent , illa objecta eſſe om-
„ ninò inter ſe diverſa , eò quòd in occiſione , detractione u-
„ nico actu pluribus facta , plurium perſonarum lædantur ju-
„ ra : in propoſito verò omittendi ſæpiùs Breviarium , non
„ audiendi Sacrum , non jejunandi &c. attingantur plura ob-
„ jecta de ſe totalia , quæ non habent ſe per modum partis,
„ vel medij ad invicem , ut antecedenter dictum.

„ Sed quidquid tandem de hoc ſit , certum videtur , in pra-
„ xi & pro tribunali ſacro parùm referre , in quacunque ſen-
„ tentia ſiſtatur. Etſi enim priores doceant , unicum com-
„ mitti peccatum , admittere tamen debent , illud æquivalere
„ pluribus , & tot , quot poſteriores aſſignant , adeoque in
„ omnium ſententia gravitas objecti in confeſſione exprimen-
„ da erit , quia actum in ſuo eſſe individuali conſtituit. Hinc
„ etiam juxta priorum Authorum mentem aliquis non ſatiſ-
„ faceret , dicendo : Commiſi homicidium , incurri detractio-
„ nem , habui propoſitum non audiendi Sacrum , non reci-
„ tandi Breviarium &c. quia talis non confiteretur peccatum
„ ſuum , quod commiſit , ſed aliud , quod non commiſit :
„ nam ex modo illo loquendi juxta communem acceptionem
„ judicaret Confeſſarius , illum tantùm unum hominem oc-
„ cidiſſe : tantùm ſemel Sacrum , vel Breviarium neglexiſſe &c.
„ quod utique falſum eſt : adeoque falsò judicaretur , & ab-
„ ſolveretur : ac conſequenter ſaltem dicere tenetur , Uno ictu
„ occidi plures , ſemel detraxi pluribus , habui propoſitum
„ ſæpiùs omittendi Sacrum &c. quod ſufficere judicant Card.
„ de Lug. Tambur. & alij : & in tantum ſaltem verum eſſe
„ cenſeo , in quantum Confeſſarius in talibus conſtituitur
„ circumſtantiis , ut facillimè interrogare ac deprehendere poſ-
„ ſit , quotnam fuerint illorum , qui occiſi ſunt , quibus de-

Digitized by Google

„ tractum &c. ſuppoſitô, quod horum Authorum ſenten-
„ tiam non teneat: ſi autem teneat, res per ſe ſalva erit.

„ Jam quantùm ad ſecundam Aſſertionis partem, ſeu „ diſtinctionem peccatorum numericam, quæ ab interru- „ ptione actuum deſumitur, denuò notandum eſt: Actum „ peccaminoſum interrumpi poſſe tripliciter. 1.^mò^ Per „ voluntatem contrariam ſeu retractationem: ut ſi quis „ poſt commiſſum peccatum vel propoſitum peccandi de „ illo pœniteat, & paulò pòſt illud reiteret. 2.^dò^ Per ceſ- „ ſationem ab actu voluntariam & liberam, absque tamen „ retractatione: ut ſi quis, poſtquam jam aliquamdiu po- „ tavit, ceſſat à potu, animo non ampliùs bibendi, brevì „ tamen iterum pergit. 3.^tiò^ Per ceſſationem ab actu in- „ voluntariam, ſeu neceſſariam, ut per ſomnum, diſtra- „ ctionem, aut diverſionem ad alia objecta. Hôc notatô „ eſt quæſtio, qualis interruptio cauſet diſtinctionem nu- „ mericam peccatorum? R. igitur 1. generaliter. Pec- „ cata toties multiplicari numero, quoties actus volunta- „ tis moraliter interrumpuntur, ita ſcilicet, ut nec forma- „ liter, nec virtualiter, ſeu in aliquo effectu ampliùs per- „ ſeverent. Ita omnes. Ratio eſt, quòd voluntas ſit prin- „ cipium actuum humanorum in ratione voluntarij & li- „ beri: ergò tot ſunt numero peccata, quot ſunt actus „ voluntatis peccaminoſi moraliter interrupti, ſeu nec for- „ maliter, nec virtualiter inter ſe cohærentes. R. 2. A- „ ctus merè interni (ut ſunt delectatio moroſa venerea, „ odium Dei, vel proximi) multiplicantur numerô per „ omnem interruptionem: id eſt non ſolùm per eam, quæ „ fit per retractationem, ſed etiam per eam, quæ fit liberè, „ vel neceſſariò. Eſt iterum communis apud Suarez. *p. 3.* „ *t. 4. d. 22. ſ. 4.* Navar. *c. 6. n. 16.* Azor. *t. 1. l. 4. c. 4. q. 4.* „ Ratio eſt, quòd actus merè interni in ſe ſint perfecti &

„ con-

„ conſummari, nihilque poſt ſe relinquant, in quo poſſint
„ virtualiter perſeverare, & cum actu ſubſequenti conne-
„ cti. Hinc fit, ut quis unico die centum, vel mille pec-
„ cata e.g. odij, internæ infidelitatis, vel moroſæ delecta-
„ tionis poſſit committere: quorum numerum ſi pœnitens
„ ante confeſſionem non benè poſſit inire, ſufficiet, ſi ex-
„ plicaverit moram temporis: dicendo v. g. Per integrum
„ menſem, vel annum fui obſtrictus obſcœno amore erga
„ ſolutam, vel conjugatam, & quoties memoria ejus oc-
„ currit mihi, moroſè fui delectatus, vel eandem concu-
„ pivi: per tres annos geſſi inimicitiam in corde, & fermè
„ per ſingulos dies in actus odij ac vindictæ conſenſi; quo
„ facto Confeſſarius jam ſciet judicium probabile formare,
„ ac de ſtatu pœnitentis, quantum fieri poteſt, judicare.
„ R. 3. Peccata econtrà, quæ opere externo perficiuntur,
„ ut ſunt homicidia, fornicationes, furta &c. tamdiu non
„ multiplicantur numerô (etſi propoſitum peccandi ſæpiùs
„ repetatur, media applicentur &c.) quamdiu efficacia pri-
„ mi propoſiti in libero aliquo effectu perdurat: ſed tunc
„ ſolùm, quando actus principaliter intentus conſumma-
„ tur, & multiplicatur. Ita Cajetanus, Suarezius, Navar-
„ rus, Azor. relati à Laym. *l. 1. tr. 3. c. 3. n. 4.* In exemplo.
„ Proponit quis inimicum occidere: parat arma: egredi-
„ tur domo: ſtruit inſidias &c. & ad ſingulas iſtas actio-
„ nes renovat propoſitum occidendi, ac tandem actu oc-
„ cidit. Talis non plura, ſed unicum duntaxat commit-
„ tit peccatum homicidij, ut ſuprà de objectis totalibus &
„ completis dictum fuit. Ratio eſt, quòd omnes iſti actûs
„ & propoſita ſint vel initia, vel partes, vel complementa
„ ejuſdem actûs humani, & objecti principaliter intenti &
„ completi ſcilicet actualis homicidij. R. 4. Peccata, quæ
„ interrumpuntur per retractationem prioris actûs ſemper
„ diſtin-

„ diſtinguuntur moraliter numerô, ſive interruptio illa diu „ duret, ſive non. Eſt rurſus communis. Ratio eſt: quòd „ prior voluntas poſitâ retractatione, nec formaliter, nec „ virtualiter ampliùs perſeveret, aut influat in actum ſe- „ quentem: adeoque novâ opus ſit voluntate, ut conſide- „ ranti facilè patebit. Denique 5. An & quando inter- „ ruptio, quæ ſive per voluntariam & liberam (absque „ retractatione tamen) ſive involuntariam & neceſſariam „ ceſſationem ab actu fit: cauſet diſtinctionem moralem „ & numericam peccatorum, controverſum eſt inter AA. „ Multi confugiunt hîc ad judicium Prudentum. Non- „ nulli exiſtimant, affectum voluntatis tamdiu virtualiter „ perſeverare, donec revocetur. Quidam & omnium „ optimè meô judiciô ſequentem ponunt regulam: Tunc „ ſcilicet moralem intercedere interruptionem actuum (ſi- „ ve quis merè liberè ceſſet, ſive per diſtractionem aut „ ſomnum &c.) quando quævis actio habet ſuum termi- „ num ſine ulteriori ſubordinatione: quod ipſum partim „ ex mora ſeu intervallô temporis: partim ex modo agen- „ di: partim ex actionibus interpoſitis, partim ex ipſo ope- „ re, & conſuetudine eſt judicandum. Caſus quisque ſi- „ bi abundanter formare poterit.

CASUS CII.

EOdem caſu fornicationis poſito, quid de reſtitutione, aut prole alenda, injungendum pœnitenti?

RESOLUTIO.

TUm propter reſtitutionem, tum propter ſcandalum datum, is, qui fornicationem confitetur, interrogandus eſt: an ipſe complicem fortè promiſſione matrimonij,

rij, aliisve perſuaſionibus aut dolis induxerit, & ſeduxerit?

Hôc ſuppoſitô monendus eſt imprimis, ſi matrimonium promiſit, obligatum eſſe ſtare promiſſis, vel in tantum ſatisfacere ſponſæ, ut ultrò ſponſalia & obligationem inde natam remittat. Ratio eſt, quòd fides alteri data ex obligatione juſtitiæ ſit ſervanda: nam promiſſum cadit in debitum.

Quòd ſi non promiſit (*A.*) ſed tantùm ſpem fecit de matrimonio, vel aliâ dolosâ perſuaſione ſeduxit, teneri ſeductam & defloratam vel ducere in uxorem, vel ſi hoc non velit, eandem dotare, id eſt, dotem ſecundùm conditionem ſtatui & perſonæ congruentem ei dare, ut hac ratione macula, quæ aliàs matrimonium cum alio impediret, per dotem compenſetur. (*B.*) Ut cum communi docet Leſſius *l. 2. c. 10. dub. 1. & 2.* atque etiam conſtat ex *c. 1. de Adult.* deſumpto ex *c. 22. Exodi.* ubi ſic ſtatuitur: *Si ſeduxerit quis virginem nondum deſponſatam, dormierítque cum illa, dotabit eam, & habebit uxorem. Si verò Pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere conſueverunt.* Quòd ſi ejuſmodi virgo nullum damnum paſſa ſit præter ruinam integritatis & pudicitiæ virginalis, ad nihil teneri ſtupratorem nonnulli docent: eô quòd virginitas ſemel deperdita ſit irrecuperabilis, nec pretiô æſtimabilis. Alij tamen cum Navarro *c. 16. n. 19.* Bonac. *de Matri. q. 4. punct. 17. n. 8.* non minùs probabiliter defloratorem ad aliquam ſatisfactionem obligant ob illatam injuriam corporalem, ſcilicet violationem clauſtri virginalis, pecuniâ æſtimabilem, & inter homines compenſabilem. Quantum autem violenter, vel fraudulenter corruptæ prævie dandum, non præſumet Confeſſarius determinare: ſed cum complice tranſigendum, vel à judice determinandum relinquat.

De alimentatione prolis ordinariè opus non eſt, monere

 pœni-

Digitized by Google

pœnitentem, partim quia ipſa natura monet, & movet: partim quia debet ſupponi, prolem natam, & ſuperſtitem eſſe, quo ſuppoſito tum mater ceu complex, tum judex loci non intermittet de hoc interpellare. Dixi ordinariè: nam ſi circumſtantia perſonæ aliud ſuaderet, v. g. ſi miles aut vagabundus aliquis fornicationem confiteretur. Item ſi aliàs ſuſpicaretur Confeſſarius, talem confitentem in foro externo denegare delictum, nec ſe patrem talis prolis fateri: denique per indirectum non rarò utilis eſſe poteſt hæc interrogatio, vel admonitio de alenda prole, quatenùs exinde patefiat, aut pœnitenti in memoriam revocetur, quod directè interrogare non expedit, v. g. an non fortè conceptio prolis impedita, aliæve circumſtantiæ intercesſerint, quæ ſpecialem malitiam inducunt &c.?

„(*A.*) Q. 1. Ad quid teneatur ſtuprator, qui precibûs & „ ſuaſionibûs importunîs, vel aſſiduîs blanditiîs & muneribûs „ aliquam ad lapſum induxit? Reſpondet Cajetanus *2a. 2æ.* „ *q. 154. a. 6.* cum aliis quibusdam teneri ad reſtitutionem „ damnorum emergentium, eò quòd preces importunæ &c. „ comparentur, & æquivaleant coactioni. Communior ta„ men eſt ſententia Clavis Reg. *l. 11. c. 2. n. 28.* Leſſ. *loc. cit.* „ *n. 14.* Sanchez *l. 4. d. 10.* & aliorum, negantium ad aliquid „ teneri: modò non intercesſerint minæ, vel metus, uti con„ tingere poſſet, ſi importunè ſolicitans foret Princeps, vel „ ſolicitata aliàs multùm dependeret à ſolicitante, ſicque cen„ ſeretur quaſi coacta. Ratio eſt, tum quòd preces, impor„ tunæ etiam, non tollant voluntarium: tum quòd nemini „ imponatur obligatio reſtitutionis, etiamſi quis alia obſe„ quia vel officia precibûs aut muneribûs impetraverit.

„(*B.*) Q. 2. An ſtuprator teneatur aliquid reſtituere pa„ rentibus vel puellæ, conſentienti in deflorationem. Re„ ſpondent denuò quidam cum Cajetano & Medina affirma-

„ tivè:

Digitized by Google

„ tivè : eò quòd virgo non ſit domina integritatis & virgini-
„ tatis ſuæ. Verùm quia hoc ipſum principium à plerisque
„ aliis negari ſolet, idcircò ſententia negativa eſt communior
„ ac certior. Cujus ratio eſt, quòd obligatio reſtitutionis
„ ſolùm oriatur ex injuria propriè dicta, ſeu oppoſita juſti-
„ tiæ commutativæ : atqui imprimis nulla talis ſit injuria ipſi
„ puellæ, utpote ſcienti & conſentienti juxta *Reg. Juris in 6. Scienti &c.* Sed nec parentibus illius ſit injuria ſtrictè di-
„ cta, cùm non parentes, ſed ipſa puella ſit domina ſui cor-
„ poris quoad uſum alteri concedendum, ut patet, quòd li-
„ berè poſſit eligere matrimonium, vel id reſpuere, nec à pa-
„ rentibus ad hoc ſine injuſtitia compelli poſſit.

„ Neque refert, tum puellam ex ejuſmodi ſtupro gravia
„ pati damna & incommoda : tum etiam ipſius parentes, qua-
„ tenùs eandem non ampliùs collocare poſſunt in honeſto
„ matrimonio, niſi dotem notabiliter augeant &c. Nam
„ hæc omnia non ſtupratori, quaſi injuſto aggreſſori, ſed
„ puellæ conſentienti in pœnam libidinis ſuæ ſunt imputanda,
„ utpote quæ ſpontè ſua ſe indignam reddidit, & meliorum
„ nuptiarum jacturam cauſavit : unde nec parentes, niſi ul-
„ trò velint, dotem augere tenebuntur. Nihilominùs benè
„ obſervat Clavis Reg. *loc. cit. n. 26.* omninò decens eſſe, ſtu-
„ pratorem ex benignitate & quadam æquitate aliquid paren-
„ tibus puellæ elargiri, utpote quos tam gravi mœrore & re-
„ ſpectivè injuriâ affecit, filiam ſub ſua cura & cuſtodia con-
„ ſtitutam violando, præſertim ſi alia inſuper damna, uti or-
„ dinariè ſolet, accedant.

CASUS CIII.

IGnotus confitens adulteria certô numerô expreſsô confitetur : neſcit Confeſſarius, an ipſe conju-

gatus

gatus ſit , & cum ſoluta peccaverit , vel econtrà &c. Nunquid interrogare debet ? Item quid de reſtitutione dicendum adultero , vel adulteræ in caſu ſimplicis , aut duplicis adulterij ?

RESOLUTIO.

INquirendum eſt, an ex utrinque, vel ex alterutra parte adulterium commiſſum ſit: quia adulterium duplex duas diverſas injuſtitias & diſtinctas injurias tum conjugi confitentis, tum conjugi complicis illatas continet: ut jam alibi dictum. Si adulterium ſimplex commiſſum ſit, tamen ſcire neceſsè eſt, an confitens ſit ſolutus, & cum conjugata peccaverit, vel econtra: nam ſi priùs, ſpecialis obligatio reſtituendi naſci potuit, ſi nimirùm proles ex adulterio concepta ſumptibus mariti ignorantis educetur, & in præjudicium legitimorum filiorum ſuccedat in hæreditate &c.

Quantùm verò vel conjugi complicis, vel legitimis liberis dare & reſtituere oportet, majoris & longioris indaginis eſt, quàm ut ordinariè in confeſſionali determinari poſſit: ſufficiet itaque monere, quòd adulter teneatur tam maritum adulteræ, quàm liberos ejuſdem legitimos ſervare indemnes: proin, ſiquidem poſſit, tantundem refundere, quantum à prædicto marito adulteræ in alimentationem & educationem talis prolis adulteræ (quam ſuam ille credit) impenditur: item portionem illam, quam talis ſpurius ex hæreditate patris non ſui uſurpat, quæ conſequenter veris liberis decedit, ut paſſim docent DD.

„ Sed jam reſtat quæſtio non levis momenti: quomodo
„ hæc ipſa reſtitutio, & damnorum illatorum compenſatio
„ fieri poſſit, & debeat tam ab ipſa adultera, quàm adultero?
„ R. Et imprimìs quidem quoad adulteram certum eſt, eam
„ non facilè teneri ſe ipſam prodere de commiſſo adulterio
„ ad avertendum damnum marito ſuo, filiiſque legitimis in

„ bo-

Digitized by Google

„ bonis temporalibus illatum, vel inferendum: eò quòd fa-
„ ma ſit præſtantior, altiorisque ordinis, quàm bona fortu-
„ næ. Similiter à DD. communiter adultera excuſari ſolet
„ à proprii adulterii revelatione, ſi alia graviora mala, quàm
„ ſit damnum illatum, ſibimet imminere, vel inter alios ex-
„ oritura prudenter timeat, qualia ſunt, gravis mœror, diſ-
„ cordiæ, rixæ, odia &c. tum inter maritum & ſeipſam,
„ tum inter ipſos liberos, quæ facilè emergere poſſunt, præ-
„ cipuè, quòd filius ſpurius non teneatur matri revelanti
„ credere, ſe eſſe illegitimum, ſed maneat in poſſeſſione &
„ præſumptione legitimorum natalium, donec de contra-
„ rio convincatur. Nihilominùs juxta omnes tenetur ejuſ-
„ modi mater cavere omni meliori modo, quo poteſt, ne ex
„ ſpuriæ prolis ſuppoſitione legitimi hæredes damnum pa-
„ tiantur, vel ſi paſſi jam ſint, ut id reſarciatur: quod fieri
„ poteſt 1. Attribuendo, vel poſt mortem relinquendo plus
„ filiis legitimis, quàm ſpurio ex bonis propriis ſeu para-
„ phernalibus, ſi talia habeat. 2. Adminiſtrando diligen-
„ tiùs rem familiarem. 3. Imminuendo proprii corporis
„ cultum, aliósque ſumptus, quantùm fieri congruè poteſt,
„ ſpectatâ ſtatûs conditione, valetudine, aliiſque circum-
„ ſtantiis; ut augeantur bona communia in tantum, ne am-
„ pliùs legitimi hæredes in competenti ſibi portione defrau-
„ dentur. 4. Procurando, ut adoptetur ab extraneo. 5.
„ Denique ſuadendo proli illegitimæ religionis cujuſdam
„ non ſuccedentis in hæreditates ingreſſum &c. ſi tamen
„ capax, & non potiùs obeſſe, quàm prodeſſe cenſeatur.
„ Vide ulteriùs Dianam *p. 11. tr. 1. reſol. 33.* Item *tr. 6. reſol.*
„ *56.* Hurdat. *de Juſt. diſp. 11. d. 20.*

„ Jam quoad adulterum pariter certum eſt. Eundem ex-
„ cuſari poſſe à reſtitutione ſive ex toto, ſive ex parte, ſi ſciat,
„ aut rationabiliter credat, damnum ab adultera jã compen-

 „ ſatum,

„ ſatum, vel certò compenſandum eſſe: item, ſi prudenter
„ dubitet, nec moraliter certus ſit, ſe eſſe patrem, quia in fa-
„ vorem matrimonii, ut vult Haunold: tr. 2. n. 700. in utro-
„ que foro præſumitur proles legitima, quamdiu oppoſi-
„ tum non manifeſtè probatur: ac tandem ſi timeat diſpen-
„ dium altioris boni, vel prævideat cauſam majoris mali,
„ quàm ſit damnum illatum. Quòd ſi ex nullo horum ti-
„ tulo deobligetur, tenetur imprimis compenſare damna à
„ tertio nativitatis anno in ſuſtentationem filii illegitimi ab
„ adulteræ marito impenſa: tribus quippe primis annis ma-
„ ter, poſtmodum verò Pater prolem alere obligatur juxta
„ *L. Nec filium. Cod. de Patr. Poteſt.* Dein ſi utraque pars æ-
„ qualiter conſentit in adulterium, & ſuppoſitionem prolis
„ illegitimæ, tenetur utraque ex æquo, vel in defectum u-
„ nius altera in ſolidum compenſare omnia damna legitimis
„ filiis ex ejuſmodi injuſta ſuppoſitione oborta. Quòd ſi
„ ſola mater prolem ſuppoſuit abs conſilio aut ſuaſione ad-
„ ulteri, nonnulli relati apud Tambur. *l. 7. c. 3. §. 4. n. 6.* ex-
„ cuſant adulterum à dictâ reſtitutione, eò quòd ſolùm ſit
„ cauſa indirecta & remota, quòd filius ſpurius in hæredi-
„ tate ſuccedat cum filiis legitimis: alii tamen probabiliùs
„ eundem obligant ad reſtitutionem dictæ quoque hæredi-
„ tatis, eò quòd vi ſui adulterii ſit cauſa proxima ac directa
„ illius damni filiorum legitimorum, præſertim quia iniquo
„ ſuo facto matrem quaſi coegit ad illam ſuppoſitionem.
„ Denique tenetur adulter ad deprecationem, veniæque
„ petitionem, ſi marito adulteræ innoteſcat adulterium ob
„ ignominiam & injuriam illatam: ad nullam verò ſatisfa-
„ ctionem pecuniariam præcisè ratione adulterii eſt obliga-
„ tus, quoniam hoc prohibitum eſt *L. Tranſigere ff. de Trans-
„ act.* in odium lenocinii. Quòd ſi tamen adulter occultè
„ & ultrò velit ſatisfacere marito per pecunias pro injuria,

„ pote-

Digitized by Google

„ poterit is hujusmodi pecunias acceptare, & ſecluſo omni „ affectu ad lenocinium tutò retinere, eò quòd leges ſatis-„ factionem pecuniariam præcisè pro adulterio, ſolùm ve-„ târint, ne daretur anſa lenociniis, quæ hìc omninò abeſſe „ ſupponitur.

CASUS CIV.

HOmo Religioſus inſtrui rogat, quomodo carnalibus tentationibus & delectationibus legitimè reſiſtere debeat, & quando demùm reſtitiſſe ſe judicare poſſit in tantum, ut in confeſſione nec ſub dubio ſe accuſare teneatur: eo maximè caſu, quando, elicitâ licèt diſplicentiâ & contradictione, adhibitóque conatu animum aliò divertendi, nihilominùs cogitationes obſcœnæ perdurant?

RESOLUTIO.

SIcut tota vis & periculum tentationis in eo ſita eſt, quòd conſenſum voluntatis in rem illicitam ſollicitet, & aliquando multùm importunè urgeat: ita econtra ratio, modúsque reſiſtendi in eo conſiſtit, ut quoquo modo idem conſenſus impediatur, atque tunc tentatio feliciter ſuperata cenſeatur, ſi ſine obtento conſenſu pertranſeat. Sunt autem diverſi modi impediendi conſenſum, alius alio perfectior & tutior.

Primus. Si tentatus merè negativè ſe habeat, & dum tentationes advertit, hoc ſolùm cavet, ut poſitivè non aſſentiatur, licèt nec actum contrarium diſſenſûs, vel diſplicentiæ eliciat, ſed omnem actum voluntatis ſuſpendat.

Secundus modus. Si quis in principio quidem aliquem actum diſplicentiæ vel diſſensûs eliciat, ſed de cætero incurius permittat cogitationes & tentationes, nec aliò animum divertere, nec redeunte aut diu perdurante tenta-

tione

Digitized by Google

tione dictum diſplicentiæ actum repetere laboret: ratus ſemel diſplicuiſſe, & deinceps poſitivè non approbare aut conſentire, ſufficere.

Tertius. Si per contemptum tentationes negligantur, ita ſcilicet, ut tentatus non operæ pretium, ſed quaſi indignum judicet, in tali turpi materia laborare, vel animum intendere, ubi quidem, ſi ipſa rei indignitas, vel contemptus eatenus animum occuparet, ut turpem cogitationem ſeu tentationem excluderet, cum ſequenti quarto modo reſiſtendi coincideret: eatenus autem pro tertio adhuc imperfecto & periculoſo modo reſiſtendi ponitur, quando quis in mente retinet pravas cogitationes, & advertenter permittit tentationes, nec aliò animum avertere laborat, ſed quaſi præſumptuoſè confidens, ſe poſitivè non conſenſurum ſpernit, & dedignatur aliquo perfectiori modo ſeu poſitivè eiſdem repugnare.

Quartus communis modus eſt, ſi tentatus tunc, cùm tentationem adeóque periculum advertit, actum diſſensûs, vel diſplicentiæ, aut proteſtationem non conſentiendi eliciat, ita ſeriò & efficaciter, ut ſimul animum à turpibus avertat, aliiſque honeſtis (quibuscunque tandem) cogitationibus occupet.

Quintus & perfectiſſimus reſiſtendi modus eſt, ſi animus non tantùm à turpibus avertatur, & quibuscunque aliis honeſtis cogitationibus occupetur, verùm directè convertatur ad Deum, atque ex humili conſideratione propriæ miſeriæ, ac præſentis periculi, amittendi divinam gratiam, æternámque ſalutem &c. cum triſtitia & timore piáque confidentia divinum auxilium invocetur.

Atque hic poſtremus modus ideò cæterîs perfectior, & homini religioſo, de quo caſus ponitur, modîs omnibûs conſulendus eſt: quia potenter tentationes frangit, nec tantùm

ſine

Digitized by Google

ſine damno, ſed cum magno merito eaſdem terminat, divinæque intentioni correſpondet, ac ſatisfacit; nam Deus ad hoc ipſum tentationes plerumque immittit, aut permittit, ut exinde humiliati noſtram infirmitatem agnoſcentes ad divinum Adjutorium confugiamus, quod hôc ultimô reſiſtendi modò facimus, non æquè prioribûs.

Præcedens 4.[tus] modus ex ſe ſufficiens & in conſcientia tutus eſt, quia ſaltem declinat periculum, & fugit hoſtem, quod in hac pugna ſatìs eſt. Uti communis tenet Theologorum. Ubi tamen ſollicitè vigilandum, ut redeunte aut importunè inſtante tentatione toties, quoties iterum illa diſplicentia & diſſenſus cum conatu ſaltem animum ad alia honeſta divertendi reaſſumatur. Quòd ſi nimis pertinaciter tentatio urgere videatur, denique juxta prædictum quintum modum in ſpiritu humilitatis & animo contrito confugiendum erit ad divinum adjutorium, quòd piè invocanti ac humiliter confidenti non deerit.

Primos tres modos negativè reſiſtendi & permittendi tentationes, ſine poſitivo aſſenſu inter homines minùs perfectos, valdè periculoſos, atque ad ſummum tunc ſolùm practicabiles, & in conſcientia tutos cenſeo, quando tentationes carnis ex cogitatione, vel actione honeſta v. g. Studiô Caſuum naſcuntur: item quando nulla cogitatio libidinoſa in mente præceſſit, vel eidem actu inhæret: v. g. cùm quis evigilans ex ſomno, vel aliàs ſine cauſa aut cogitatione obſcœna carnis motus ſentit: tunc enim, quia ex parte cauſæ nulla culpa, nec periculum peccati, vel conſensûs timendum eſt, tutò contemni, aut etiam negligi poterunt carnales & corporales affectus omninò præter intentionem ſeſe inſinuantes, ſufficiétque non conſentire. At econtrà ubi cauſa & cogitatio animum occupans ex ſe aliquo modo libidinoſa & vitioſa, adeoque periculoſa eſt: apud homines imperfectiores eti-

 am

Digitized by Google

am immorari advertenter (etſi non poſitiva voluntate) itàque velle ſaltem hujuſmodi periculoſas cogitationes, & obſcœnas delectationes permittere, nec animum ab iis avertere, cùm poſſent, res dubia & omninò periculoſa eſt; ſempérque timendum, an non virtualiter & coram Deo, qui corda ſcrutatur, ipſam carnalem delectationem voluerint, & propterea fortè obſcœnas cogitationes permiſerint, animúmque ad alia divertere intermiſerint, quia delectabile & jucundum erat, talia ſentire, quod ipſum eſſet conſentire: præterquam quòd per talem negligentiam & non reſiſtentiam ſpeciali periculo conſensûs homines minùs perfecti ſe exponant &c. Sed pro uberiori horum intelligentia

„ Quæritur adhuc 1. Qualis requiratur, & ſufficiat advertentia rationis ad incurrendum peccatum moroſæ delectationis in occurrentibus carnis tentationibus?

„ Antequam R. Advertendum. Præter ſubitam & omninò indeliberatam intellectûs apprehenſionem, ex qua, vel potiùs cum qua procedunt motus primò primi, ob defectum liberi & voluntarij à peccato immunes, duplicem à Theologis diſtingui intellectûs cognitionem ſeu advertentiam, nempè plenam, perfectam, deliberatam &c. & ſemiplenam, imperfectam, ſeu ſemideliberatam. Prior eſt firmum & perfectum judicium diſcernens & cognoſcens gravitatem peccati, vel periculum illius. Poſterior eſt apprehenſio ſeu cognitio imperfecta malitiæ peccati, uti contingit in ſemiebriis, ſemidormientibus, vel gravi quadam paſſione occupatis. Porrò advertentia ulteriùs ſubdividitur in actualem, virtualem, & interpretativam. Actualis eſt expreſſa cognitio malitiæ peccati. Virtualis eſt eadem cognitio præcedens, perſeverans in aliquo ſuo effectu. Interpretativa denique eſſe cenſetur, dum quis potuit ac debuit

„ adver-

Digitized by Google

„ advertere ad malitiam peccati, id tamen per voluntariam &
„ culpabilem negligentiam omiſit. Hoc notato

„ R. Motus vel actus qualiscunque concupiſcentiæ & ap-
„ petitûs ſenſitivi nunquam attingit gravitatem peccati mort:
„ niſi in intellectu adſit plena ac perfecta advertentia ad ma-
„ litiam mortalem. Quòd ſi advertentia ſolùm fuerit ſemi-
„ plena ac imperfecta ad dictam malitiam, non niſi peccatum
„ veniale cauſabit. Ita cum Divo Thoma communiſſima DD.
„ Ratio eſt. Quòd ad omne peccatum mort: utpote ſimpliciter
„ avertens à Deo ultimo fine, hominémque reum faciens æter-
„ ni ſupplicii, requiratur plena ac perfecta libertas: atqui hæc
„ non datur, niſi etiam detur plena ac perfecta advertentia,
„ cùm nihil ſit volitum, niſi quatenus eſt præcognitum, &
„ gradus libertatis ſequantur gradus cognitionis ſeu adverten-
„ tiæ: ergò nec datur peccatum mort: niſi detur quoque plena
„ ac perfecta advertentia: ſubintellige: vel actualis, vel ſal-
„ tem virtualis & interpretativa, quoniam in moralibus inter-
„ pretativum æquivalet formali, ut conſtat ex 1.ª 2.æ & paſſim
„ ex aliis materiis. Velut autem peccatum veniale non dici-
„ tur peccatum ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundùm quid, eò quòd
„ non ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundùm quid avertat ab ultimo
„ fine: ita ſi advertentia non adſit plena ac perfecta, ſed ſolùm
„ talis ſecundùm quid ſeu imperfecta, etiam non aderit pecca-
„ tum ſimpliciter ſeu mortale, ſed ſolùm ſecundùm quid, ſeu
„ veniale: gravius vel levius ſecundùm proportionem majoris
„ vel minoris advertentiæ. Hinc qui diu forſan cogitationi-
„ bus carnalibus & obſcœnis agitatur, ſi ſe prudenter reſolvere
„ poſſit, vel non cum plena advertentia & deliberatione iiſdem
„ adhæſiſſe: vel probabile conſenſûs periculum non advertiſſe:
„ nec gravem obligationem magis reſiſtendi ſibi incidiſſe, tu-
„ tò ſe immunem à peccato ſaltem mort: ob defectum plenæ
„ advertentiæ cenſebit: etſi forſan aliqua negligentia in reſi-

„ ſtendo conſtituens peccatum veniale, in confeſſione conſul-
„ tò deponendum, irrepſerit. Quòd ſi quis anxius & dubius
„ hæreat, an plenam advertentiam habuerit, nec ne, ſequen-
„ tes regulas diſcernendi plenam, à ſemiplena advertentia ad-
„ hibere poterit. 1. Si obortâ cogitatione, quòd motus con-
„ cupiſcentiæ carnalis legi Dei adverſentur: rectæ rationi &
„ honeſtati repugnent: hominem facilè ad gravem lapſum
„ inclinent: gratiâ Dei privent &c. mox eas averſetur, ani-
„ múmque ad Deum, vel ſaltem aliò convertere ſtudeat: me-
„ ritò præſumere poterit, ſe tempore antecedenti plenè de-
„ liberatum conſenſum non dediſſe. 2. Si quis pravam ſug-
„ geſtionem facilè potens ducere in actum, timens tamen De-
„ um eidem reſiſtat, plenum ac deliberatum conſenſum non-
„ dum dediſſe præſumitur. 3. Qui prudenter dubitat, an
„ plenè ſibi compos, vel potiùs ſemidormiens fuerit, cæteris
„ paribus prudenter præſumere poterit, ſe non niſi cum im-
„ perfecta advertentia operatum eſſe: tum quòd facillimè co-
„ gnoſcantur illa, quæ cum plena advertentia & conſenſu fiunt:
„ tum quòd nemo præſumatur malus, donec probetur. 4. Stat
„ etiam præſumptio in dubio pro iis, qui aliàs timoratæ & ſe-
„ curæ conſcientiæ ſunt: ſecùs pro aliis, qui valde proclives &
„ proni in ejuſmodi delectamenta ruunt, *& bibunt velut a-*
„ *quam iniquitatem*: nam præſumptio formari ſolet ex com-
„ muniter contingentibus.

„ Quæritur 2. Qualis requiratur & ſufficiat reſiſtentia ad e-
„ vitandum peccatum moroſæ delectationis in tentationibus
„ carnis?

„ Circa hoc quæſitum, ut certa ab incertis ſeparemus. In-
„ dubitatum eſt 1. Si exurgentibus carnis tentationibus im-
„ mineat periculum conſensûs, ſemper ſub mortali tene-
„ ri voluntatem iiſdem efficaciter reſiſtere: quoniam aliàs
„ hoc ipſo quis convinceretur illud periculum, adeóque &
„ ipſum peccatum amare. „ Cer-

Digitized by Google

„ Certum eſt 2. Peccari mortaliter toties, quoties permit-„ tuntur tentationes & motus venerei ex quadam complacen-„ tia, eò quòd tunc jam adſit poſitivus, vel ſaltem interpreta-„ tivus conſenſus.

„ Econtra ſi abſit periculum conſensûs certum eſt 3. Non „ dari obligationem aſſumendi media extraordinaria & valde „ difficilia, ejuſmodi motus & tentationes ſupprimentia, uti „ ſunt flagella, extraordinaria jejunia & his ſimilia, quia ad „ extraordinaria cæteris paribus nemo tenetur. Quòd ſi ta-„ men quis adverteret, ſe probabiliter conſenſurum, niſi talia „ media etiam extraórdinaria adhiberet, omninò ea applica-„ re teneretur: & potiùs in ſpinis aut nivibus exemplo Divo-„ rum Benedicti & Franciſci volutari, vel omninò mori opor-„ teret, quàm conſentire.

„ Certum denique eſt 4. Tentationes & motus concupi-„ ſcentiæ in partibus ſenſitivis permitti poſſe ex cauſis hone-„ ſtis, utilibus, vel neceſſariis, quales ſunt ſtudium littera-„ rum, exceptio confeſſionum &c. modò ſemper abſit pro-„ babile periculum conſensûs &c. ut ampliùs *Caſu 90.* „ dictum.

„ Reſtat proinde ſolùm quæſtio, qualis requiratur & ſuffi-„ ciat reſiſtentia, dum ſubitò & ex naturali proclivitate ejuſ-„ modi motus & tentationes exoriuntur, nec adſit periculum „ conſensûs, niſi remotum. An ſcilicet ſufficiat, eas merè ne-„ gligere & contemnere, adeóque ſe circa eas indifferenter & „ merè negativè habere: vel an ſemper ſit neceſſe, aliquam „ diſplicentiam: eamque tantùm ſimplicem & internam, aut „ etiam efficacem, applicando media ordinaria, animum ſci-„ licet ad alia divertendo &c. adhibere? Circa quæ

„ R. 1. Qui exurgentibus ſubitò motibus ac tentationi-„ bus carnis poſt plenam eorum advertentiam ne qui-„ dem ſimplicem elicit diſplicentiam interni diſſensûs,

„ ſed merè ſe habet negativè, peccat mortaliter. Ita Sayrus
„ noſter in ſua Clav.Reg. *l. 8. c. 7. n. 3.* Laym. *l. 1. tr. 3. c. 6. n. 8.*
„ & alii communiter. Ratio eſt: Quòd ſi quis poſt plenam
„ rationis advertentiam ne ſimplicem quidem eliciat diſpli-
„ centiam circa ejuſmodi motus venereos, cenſeatur habe-
„ re interpretativam eorum complacentiam: velut is, cui
„ objectum proponitur ut reſpuibile, ſi id non reſpuat, ſed
„ retineat, dicitur virtualiter & interpretativè amplecti: at-
„ qui qui habet interpretativam complacentiam venereo-
„ rum, ſuppoſitâ perfectâ rationis advertentiâ, peccat mor-
„ taliter, ut conſtat ex materia de Act. hum. quòd volunta-
„ rium interpretativum ſufficiat ad peccatum mort.: ergò
„ ne quidem eliciens diſplicentiam ſimplicem interni diſ-
„ ſensûs circa motus venereos ſuppoſitâ perfectâ apprehen-
„ ſione peccat mortaliter. Accedit, quòd amans pericu-
„ lum pereat in illo. Nam *mus in pera, ignis in ſinu, ſerpens*
„ *in gremio malè ſuos remunerantur hoſpites. c. Etſi Judæos. de*
„ *Judæis.*

„ R. 2. Si quis in dato caſu per meram ſimplicem diſplicen-
„ tiam non poſſit motus carnis reprimere, probabiliùs re-
„ quiritur ad evitandum grave peccatum major aliqua re-
„ ſiſtentia, ſcilicet ut animus ad alia objecta honeſta vel pia
„ divertatur. Ita ſatìs clarè ſentire videtur S. Thomas *1. 2.*
„ *q. 74. a. 6. in c.* cit. Sayrus allegans alios permultos. S. Do-
„ ctor ſic loquitur. *Quando deficit ratio in directione interio-*
„ *rum paſſionum, dicitur peccatum eſſe in ratione.* Et paulò
„ pòſt. *Deficit autem in directione, quando non reprimit illi-*
„ *citum paſſionis motum: ſicut cùm aliquis, poſtquam delibera-*
„ *vit, quòd motus paſſionis inſurgens eſt inordinatus, nihilo-*
„ *minùs circa ipſum immoratur, & ipſum non expellit: & ſe-*
„ *cundùm hoc dicitur peccatum delectationis moroſæ eſſe in ra-*
„ *tione.* Unde ulteriùs ſic diſcurrere licet. Is, qui poſt ple-
„ nam

„ nam advertentiam non reprimit inordinatum aliquem „ motum mortaliter peccaminoſum, quem poteſt & tenetur reprimere, cenſetur interpretativè conſentire in illum, veluti Superior non corrigens inferiorem, cùm poſſet & deberet, tacitè & interpretativè cenſetur conſentire: atqui qui merè ſimplicem diſplicentiam elicit, non reprimit inordinatum motum mortaliter peccaminoſum, quem tamen poteſt, & tenetur reprimere: ergò interpretativè conſentit in illum. Min. quoad omnia membra facilè oſtenditur. Imprimìs enim talis per meram ſimplicem diſplicentiam non reprimit ejuſmodi motum, ut ſuppono: quòd ſi reprimat, ultrò concedo, nihil ampliùs requiri. Dein dicti motus utpote venerei ſemper ſunt mortaliter peccaminoſi, ſuppoſitâ plenâ advertentiâ, cùm in materia venerea non detur parvitas. Ejuſmodi etiam motus poſſunt reprimi, animum ſcilicet ad alia divertendo: neque enim hoc eſt medium adeò arduum aut extraordinarium, ſed potiùs omnibus piis, timoratis, ac caſtitati addictis mentibus conſuetum. Denique dictos motus tenetur quis reprimere, cùm ſint graviter difformes rectæ rationi &c., ut patet ex textu Divi Thomæ. ergò &c. Hìs tamen non obſtantibûs, ut practicè probabile defendit Layman. loc. cit. & alij poſt ipſum, ad excludendum ſaltem peccatum mortale etiam meram diſplicentiam ſimplicem interni conſenſûs (ſuppoſito, quòd periculum conſenſûs non immineat) ſufficere: eò quòd hæc cum pleno conſenſu voluntatis combinari non poſſit, ſed eidem directè & formaliter opponatur, qualis tamen conſenſus ad peccatum mort. ſemper requiritur: cujus proinde ſententiæ probabilitati, ne cujuſdam conſcientiam gravem, minimè derogare volo.

CIR-

CIRCA SEPTIMUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

Non furtum facies.

RECto ordine DEUS ter Opt. Max. præmiſſis præceptis de non occidendo & non mœchando ſubjunxit præceptum de non furando: quatenus ſcilicet omnem injuriam à proximo per ſecundæ tabulæ præcepta arcere volens primitùs vitam ipſius quôdam quaſi præſidiô munivit, dicendo: *Non occides. Exod. 20.* Ac cùm bonum vitæ proximè ſubſequatur bonum corporis, meritò immediatè ſubdidit: *Non mœchaberis.* Taliter corpus perſonæ proximè conjunctæ immune faciens à graviſſima injuria, ſcilicet adulteriô, aliíſque ſceleribûs ſub eo comprehenſis. Porrò quoniam bono corporis ſuccedunt bona exteriora ſeu fortunæ, hæc quoque ut defenderet, & illæſa ſervaret, addidit præceptum. *Non furtum facies.* Ex quibus ſanè non modò ſumma DEI in genus humanum Providentia, ſed etiam immenſus Ejuſdem circa nos Amor & Cura commonſtratur. Velut autem in ſexto Præcepto non tantùm adulterium ſeu mœchia, ſed & reliquæ ſpecies luxuriæ vetantur: ita in hoc ſeptimo Præcepto non modò furtum, ſed omnis injuſta rei alienæ contrectatio, detentio, aut qualiſcunq; damnificatio & non reſtitutio prohibetur, ut docet Divus Thomas *2. 2. q. 69. a. 3. ad 2.* Et mox ex ſequenti Caſu apparebit.

CASUS CV.

COnfitens à Confeſſario interrogatus, an nihil contra ſeptimum Decalogi Præceptum peccaverit? reſen-

reſentit graviter, ſibíque contumeliam fieri cenſet, quòd pro fure habeatur. Examinatus tamen ulteriùs, fatetur, ſe quidem ſæpiùs circumveniſſe alios in contractibus, ludo &c. debita non ſolviſſe: in neceſſitate non ſuccurriſſe &c. miratur, & quærit, an hæc talia furtis æquiparari poſſint?

RESOLUTIO.

AD cavendam offenſam & confuſionem confitentis, non oportet interrogare, an furtum fecerit? ſed ſubtiliùs non nihil: an proximum in bonis ſuis nunquam damnificaverit, in contractibus circumvenerit, nihil, quod ad alium ſpectare ſciebat, ſecum detinuerit &c.?

Cæterùm hoc 7. Præcepto non tantùm prohibetur furtum in ſpecie & propriè dictum, quod juxta Divum Thomam *2. 2. q. 66. a. 3.* eſt fraudulenta & occulta contrectatio rei alienæ Domino rationabiliter invito. (*A.*) Verùm omnis injuſtitia, quâ proximus in bonis ſuis læditur. Unde contra ſeptimum Præceptum peccant imprimìs & vel maximè, qui rem alienam vî rapiunt: item qui ſcienter rem alienam detinent, nec reſtituunt, etſi bona fide emerint, vel invenerint &c. Item qui nihil commodi ex re aliena percipiunt, attamen proximo rem ſuam tollunt, vel deſtruunt, populando agros, incendendo ædes, occidendo animalia &c. Demum quicunque dolô & fraudibûs alterum circumveniunt ſive in ludo, ſive in contractibus &c. contra hoc præceptum peccant: ſuntque omnes tum de peccato mortali arguendi ſuppoſitâ gravitate materiæ, tum ad reſtitutionem obligandi, quod pro omnibus Caſibus ſequentibus, ubi compendij causâ tantùm de furto mentio fit, ſemel pro ſemper notandum eſt.

Secùs dicendum & ſentiendum de iis, qui tantùm contra charitatem agunt: v. g. qui in neceſſitate non ſuccurrunt, qui furtum, incendium &c. non impediunt, cùm facilè poſſent (dummodò phyſicè aut moraliter non cooperentur, pec-

Digitized by Google

cata ſuadendo, adjuvando, prodendo bona occulta &c. nec aliunde ex officio vel contractu ad ejuſmodi damna avertenda ſint obligati) tales enim, licet graviter & mortaliter peccent, tamen ad reſtitutionem non tenentur, hoc ipſo, quia tantùm contra Charitatem, non contra Juſtitiam peccaverunt, ut communis tenet DD.

„ (*A.*) Dixi furtum eſſe *Fraudulentam & occultam contre-*
„ *ctationem rei alienæ, Domino rationabiliter invito.* Porrò
„ ut definitio iſta nonnihil clariùs innoteſcat, explicare eam
„ oportet. Dicitur itaque 1. *Fraudulenta.* Tum ut exclu-
„ dantur contrectationes rerum merè jocoſæ, vel officioſæ
„ ad reddendum Dominum ſecuriorem, quæ licèt fiant oc-
„ cultè & invito Domino, tamen furti rationem non partici-
„ pant, eò quòd nullam involvant fraudem ſeu injuſtitiam.
„ Tum ut excuſentur à furtis Iſraelitæ in egreſſu ſuo Ægy-
„ ptios ſpoliantes, Deo rerum omnium Supremo Domino,
„ facultatem aliena occupandi ipſis tribuente : ut conſtat ex
„ illo *Sap. 10. Juſti tulerunt ſpolia impiorum, & decantave-*
„ *runt, Domine, Nomen ſanctum tuum.* 2. *Occulta.* Ad dif-
„ ferentiam rapinæ, quæ eſt acceptio rei alienæ per vim : &
„ ſuperaddit furto novam ſpeciem peccati, ſcilicet violentiam
„ in perſonam Domini. 3. *Contrectatio* : in latiori ſenſu
„ hoc nomen accipiendo, ac ſubintelligendo non tantùm
„ primam rei acceptionem, ſed etiam injuſtam detentionem,
„ vel uſurpationem. Unde *L. 40. ff. de Furtis.* dicitur : *Qui*
„ *jumenta ſibi commodata longiùs duxerit, alienáve re invito*
„ *Domino uſus ſit, furtum facit.* Præterea furtum eſt propriè
„ rerum mobilium & corporearum, non verò immobilium &
„ incorporearum, quæ contrectari non poſſunt, quarum læ-
„ ſio potiùs damnificatio, quàm furtum dicitur : æquè tamen
„ ac furtum poſt ſe trahens obligationem reſtituendi, ſi fieri
„ queat. 4. *Rei alienæ.* Id eſt, jure ad alium ſpectantis.

„ Unde

Digitized by Google

„ Unde qui ab alio rem ſuam, vel ſaltem, quam credit eſſe „ ſuam, auffert, furtum non committit, niſi ea alteri fuerit „ oppignorata, commodata, depoſita &c. tunc enim, ſi con„ tra conventionem invito commodatario, depoſitorio &c. „ eam auferat, quaſi furtum committit. *L. Qui furtum. ff.* „ *de Condict. furtiva.* 5. Denique dicitur: *Domino rationa*„ *biliter invito.* Per quod imprimis excuſantur pauperes in „ extrema neceſſitate conſtituti, ad ſuſtentationem neceſſaria „ præcisè ſurripientes, eò quòd in dicta neceſſitate omnia ju„ re naturæ ſint communia, adeóque nullus rationabiliter in„ vitus eſſe poſſit, niſi in eadem neceſſitate conſtitutus. Ubi „ tamen benè obſervanda eſt ſequens propoſitio *Ord. 36.* ab „ Innoc. XI. damnata: *Permiſſum eſt furari non ſolùm in ex*„ *trema neceſſitate, ſed etiam in gravi.* ne ſcilicet furtis via „ pandatur. Excuſantur ulteriùs per has ultimas particulas „ frequenter à furtis Amici, filij, conjuges invicem non „ adeò gravia ſpectatis circumſtantiis & conditione auferen„ tes, ut ſuo loco ampliùs dicetur.

„ Portò furtum ratione materiæ ſeu objecti varias habet „ diviſiones. Si enim quis privatum quid privato, ipſo in„ vito auferat, dicitur propriè furtum. Sin autem bona „ communitatis, vel ad fiſcum Principis ſpectantia ſubducat, „ vocatur Peculatus: de quo *Cap. Quid ergò. 23. q. 4* Quo „ etiam reducitur delictum cudentium monetam abſque li„ centia Principis. Quòd ſi quis ex grege alieno animalia „ abducat, erit Abjegatus. Si verò hominem liberum in ſer„ vitutem redigat, aut alienum ſervum ad vendendum, vel „ retinendum abducat, dicitur Plagium: de quibus Juriſtæ. „ Denique ſi quis committat furtum rei ſacræ, erit ſacrile„ gium &c.

„ De reliquo furtum ex genere ſuo eſt peccatum mort. ut „ patet ex illo Divi Pauli *1. Cor. 6. Neque fures, neque rapaces*

„ *regnum Dei poſſidebunt* : quamvis quandoque excuſet par-
„ vitas materiæ , vel quod Dominus rei non ſit, graviter ſal-
„ tem , invitus , ut ampliùs declarabitur in ſequentibus.

CASUS CVI.

FUrtum quinque , vel ſex florenorum fatetur quiſpiam : ſed id ſubtraxiſſe diviti cuidam Monaſterio , aut cuidam alteri homini prædiviti , qui tantillum non advertant , neque ſentiant , ſibi ex hoc aliquid deeſſe, vel deceſſiſſe.

RESOLUTIO.

FUrtum etiam latè & genericè , modo antè dicto , acceptum malitiam ſuam ex eo habet , quòd fiat invito Domino. Unde ſi conſentiente expreſsè , vel tacitè , vel prudenter præſumptivè Domino quidpiam auferatur , vel deſtruatur , nullum peccatum eſt : ſi Domino quidem aliqualiter , ſed non graviter invito idem fiat , grave ſaltem peccatum non erit.

Quòd ſi verò Dominus rationabiliter & graviter , idque non tantùm propter modum furtivè auferendi , verùm propter ipſam rem ablatam , & damnum ſibi illatum invitus eſſe ſciatur , vel ſciri & cogitari debeat , tunc demum peccatum furti , damnificationis , deceptionis &c. grave & mortale erit.

Ex qua ratione cenſeo cum Bonac. de Reſtit. in partic. *q. 8. p. 1. n. 7.* Laym. *l. 3. tr. 3. c. 1. n. 3.* Tambur. & communiori DD. abſolutè & propriè loquendo non dari , nec aſſignari poſſe quantitatem abſolutam , quæ peccatum mortale & univerſaliter reſpectu cujuscunque conſtituat : ſed ſi accuratè rem examinare velimus , quantitatem reſpectivè magnam requirendam , & hoc unicè conſiderandum eſſe, an hîc & nunc omnibus circumſtantiis conſideratis talis quantitas ablata ſit, ut dominus iſte , cujus res erat , rationabiliter & graviter invitus

vitus judicari & præſumi debuerit: quod tum prudenti judicio Confeſſarij dijudicandum, tum maximè ab ipſo pœnitente inquirendum, quæ conſcientia, cogitatio, vel præſumptio tempore furti fuerit, aut modò ſit: an dominum omnibûs conſideratis graviter invitum fore putaverit, aut putet? &c. Ubi tamen non præcisè ad divitias attendendum, neque etiam, an dominus advertat, & ſentiat, ſibi aliquid deceſſiſſe &c.: quia etiam ditiſſimi rationabiliter & graviter inviti ſunt, ſi alius, qui nullam relationem, meritum, reſpectum, aut cauſam præſumendi habeat, bona ipſorum invadat, v. g. equum, aut vaccam ex ſtabulo, vel etiam aliquot aureos ex ciſta auferat: ſed conſiderandæ ſunt omnes circumſtantiæ ex parte utriusque: ex parte domini quidem, an magno labore divitias comparârit, atque etiamnum pro uno v. g. aureo forte totum diem laboraret &c. item an in expendendo parcus aut prodigus eſſe ſoleat: an filios & hæredes, quibus rationabiliter bona ſua ſervari velit, habeat &c. Ex parte auferentis, an aliquam neceſſitatem, & quam prodere erubeſcit, paupertatem patiatur: an ad certum finem domino aliqualiter gratum pecunias illas impendere cogitaverit: item an reſpectu domini aliquam familiaritatem & gratiam, meritum, vel ſimilem reſpectum habeat; unde præſumere poſſit, dominum non graviter fore invitum, ſed ſi rogaretur, vel tantundem, vel non notabiliter minùs ultrò daturum, aut permiſſurum, niſi fortè conſequentiam & aliorum ſimiles petitiones timeret &c.

Interim quia circumſtantiæ iſtæ ordinariè non poſſunt ſatìs agnoſci, & plerumque nec à pœnitente ſufficiens reſponſio aut reſolutio obtineri, utut examinetur & interrogetur de conſcientia & opinione ſua, an ſcilicet putet, vel tempore furti putaverit, & judicaverit, dominum graviter invitum eſſe &c.

Ideò pro praxi & ne Confeſſarius inutili labore dictas circumſtantias diu indagare debeat, maximè ubi pœnitens rudis, nec ad dijudicanda prædicta idoneus eſt: quilibet Confeſſarius ex ſententia aliqua verè probabili & tuta DD. ſibi determinare debet aliquam certam quantitatem, quam licèt non abſolutè & univerſaliter juxta dicta, tamen communiter & practicè (niſi ſcilicet aliud judicandi ſpecialis ratio occurrat) pro mortali in genere furti habeat, & ſecundùm eam ſine longo examine pœnitentem mortaliter aut venialiter ob quantitatem, vel parvitatem materiæ peccâſſe judicet. Hanc verò quantitatem rationabiliter ſtatui & communiter pro mortali haberi poſſe, Aureum ſive 3. florenos, in noſtris partibus cenſeo, maximè ſi privatis hominibus, utut ij divites videantur, furtum fiat: (*A.*) quia experientia docet, etiam divites aureum æſtimare, pro aureo eſſe ſolicitos, nec donare tantundem ſine ſpeciali cauſa &c.

„ (*A.*) Utut certum, vel ſatìs probabile ſit, aureum, ſeu „ ſeſqui ſcutum Italicum in materia furti, domino rationabi- „ liter & graviter invito ſemper ad peccatum mortale ſuffice- „ re: non minùs tamen etiam certum eſt, reſpectu minùs di- „ vitum, vel omninò pauperum longè minorem quantitatem „ ad mortale requiri. Ut proin Confeſſarius eò citiùs & faci- „ liùs circa quemcunque pœnitentem in hac materia ſeſe expe- „ dire poſſit: reſpectu diverſorum hominum conditionem & „ ſtatum aliquid certi ad peccatum mort. ſufficiens juxta pro- „ batos AA. ſibi præfigere, ac ſtatuere juvabit.

„ Quatuor porrò genera perſonarum diſtinguere oportet. „ Primi generis ſunt prædivites, ſeu bonìs temporalibûs abun- „ dantes: & reſpectu horum tutò, ut jam dictum, cenſeri po- „ teſt cum *Leſſio. l. 2. c. 12. n. 29.* & aliis, furtum unius aurei, „ ſeu trium, vel quatuor florenorum noſtratis monetæ conſti- „ tuere peccatum mortale. Ratio eſt, tum quòd Dugatus, ſeu

„ ſeſqui

„ ſeſqui vel duo ſcuta Italica de ſe ſint materia graviter alliciens
„ ad ſui contrectationem, adeóque exigant ſub culpa gravi pro-
„ hiberi, ut etiam prædivites in ſuis bonis eò magis indemnes
„ ſerventur: tum quòd communi hominum perſuaſione va-
„ lor aurei non cenſeatur modicum, ſed notabile quid: tum
„ demum quòd nullus, utut dives ſit, conſideratîs omnibûs
„ expenſarum & ſuſtentationis oneribûs facilè & prudenter ve-
„ lit aureô carere, præſertim ſi periculum ſit ejuſmodi furta ſæ-
„ piùs, licèt à diverſis repeti, quale periculum foret, niſi tanta
„ quantitas de ſe multùm alliciens graviter prohiberetur.
„ Secundi generis ſunt mediocriter divites, qui nimirum vi-
„ vunt ex propriis redditibus, abſque eo, quòd ſe quodam ar-
„ tificio aut laboribûs corporalibûs ſuſtinere cogantur. Et re-
„ ſpectu horum proportionaliter medius aureus, ſeu talerus,
„ non mathematicè, ſed moraliter loquendo, grave & mortale
„ furtum conſtituet: velut reſpectu tertij generis, ſeu Mecha-
„ nicorum 4. regales, quos Leſſius *loc. cit. n. 30.* unum flore-
„ num, plus minus circiter, vocat: & demum reſpectu quar-
„ ti generis, ſive pauperum, duo, unus, vel omninò dimidius
„ regalis, conſideratîs circumſtantiis & neceſſitate eorundem
„ ad peccatum mort. conſtituendum ſufficere poterunt, ut am-
„ pliùs Caſu 108. declarabitur. Ratio horum eſt, quòd aſſi-
„ gnata quantitas furtô ablata reſpectu omnium hactenus rela-
„ torum proportionaliter notabile inferat damnum, notabilive
„ privet utilitate, & hoc ipſo etiam ſufficiat, ut dominus rei ac-
„ ceptæ rationabiliter graviter cenſeatur invitus. De reliquo,
„ quia in materia furti nihil mathematicè, ſed ſolùm moraliter
„ & reſpectivè aliquid pro mortali deſignari poteſt, ut propte-
„ rea teſte Diana *p. 2. tr. 3. reſol. 57.* tot fermè ſint ſententiæ,
„ quot Doctores, idcircò eò ſemper ſpectabit Confeſſarius, ut
„ ex enarratione circumſtantiarum fideliter relatarum depre-
„ hendat tum gravitatem damni dati, tum involuntarij ipſius
„ domi-

Digitized by Google

„ domini rei ablatæ, ut jam antecedenter dictum : quibûs rite
„ conſideratîs juxta præſuppoſitas ſententias facilè ſe reſolve-
„ re, judicium ferre, pœnitentem inſtruere, ad reſtitutionem
„ ſub gravi vel levi culpa obligare, & ab ulteriori injuſta con-
„ trectatione dehortari poterit.

„ Quæritur ulteriùs. An in ablatione minimæ quoque
„ quantitatis, vel rei nullius fermè valoris quandoque peccari
„ poſſit graviter & mortaliter ? R. Quadrupliciter in hoc
„ paſſu graviter delinqui poſſe. 1. Dum minimum quidem
„ contrectatum fuit, animô tamen ſurripiendi plura, ſi fieri
„ potuiſſet : tunc enim extra dubium eſt, ejuſmodi pravam
„ voluntatem gravi culpæ obnoxiam eſſe : quoniam voluntas
„ faciendi & ipſum factum ſunt ejuſdem malitiæ juxta Divum
„ Thomam *1. 2. q. 20. a. 3.* Accedit tritum illud, finis & in-
„ tentio judicant omnes, teſte ipſomet Chriſto *Matth. 5. Qui
„ viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mæchatus eſt
„ in corde ſuo.* Unde ſi Confeſſarius prudenter ſuſpicetur pœ-
„ nitentem furtum minutum confitentem forſan tam prava vo-
„ luntate affectum fuiſſe &c. eundem interrogare & examina-
„ re oportebit. 2. Graviter poteſt peccari, non quidem pro-
„ priè in ratione furti ob defectum & parvitatem materiæ, ſed
„ in ratione injuſtæ damnificationis ob lucrum ceſſans, & dam-
„ num emergens, ſi e. g. ſartori acus, vel ſutori ſubula auffe-
„ ratur, quibûs deſtituti, nec alias facilè habere valentes, opi-
„ ficium ſuum proſequi nequeunt, ſicque grave damnum pa-
„ tiuntur, à lædente ſub gravi peccato haud dubiè compenſan-
„ dum. 3. Graviter peccatur quoque, licèt denuò non in
„ ratione furti, ſed potiùs contra charitatem, ſi ex ablatione rei
„ levis & modicæ proximus graviter contriſtetur, vel ad gra-
„ vem iram, vel omninò blaſphemandum concitetur, modò
„ ejuſmodi effectus ab auferente probabiliter prævìſus ſit, vel
„ ſaltem prudenter prævideri debuiſſet, ſecùs enim eidem non

„ erit

„ erit voluntarius. Videatur Navar. in man. *c. 17. n. 2.* & „ alij. 4. Demum conſtituunt etiam grave peccatum, & „ quidem in ratione furti & injuſtitiæ plura furta minuta „ in unam gravem materiam coaleſcentia: de quibus ta- „ men ſpecialiter *Caſu 109.*

CASUS CVII.

SImile furtum filius Patri, Officialis Principi, Tutor vel Curator pupillo, famulus mercatoris domino ſuo facit: quando mortaliter peccâſſe cenſendus eſt?

RESOLUTIO.

IN ſimilibus caſibus majorem quantitatem ad peccatum mortale requiri communiter admittunt DD. ſervatâ tamen proportione, ut ſemper adhuc plus requirant in filio (cæteris paribus) quàm famulo &c. conſequenter agnoſcunt, quantitatem furti abſolutè, & ſine reſpectu ad circumſtantias tam ex parte domini, quàm ex parte aufferentis determinari non poſſe propriè ſaltem & phyſicè loquendo. Igitur Confeſſarius vel ex pœnitente requiret, qua opinione & conſcientiâ egerit, an ſcilicet putaverit, aut modò putet, conſideratîs omnibûs circumſtantiîs Patrem, Dominum &c. graviter, rationabilitérque, & quidem non tantùm quoad modum aufferendi clam & furtivè, ſed quoad ipſam rei ſubſtantiam invitum eſſe, nec ne? Vel ſi pœnitens incapax & inſufficiens ad circumſtantias prædictas ritè dijudicandas videbitur, ſecundùm verè probabilem aliquam ſententiam, & quantitatem, quæ communiter in ſimilibus caſibus cenſetur mortalis, procedere, & judicium ſuum formare debebit.

Cenſerem ego in his caſibus, ubi ſingulares reſpectus & præſumptiones, dominum hîc & nunc minùs invitum

 eſſe,

Digitized by Google

eſſe, intercedunt, duplum ferè requirendum ad mortale; id eſt, reſpectu aurei quinque circiter florenos, reſpectu unius floreni duos &c. juxta dicta caſu priori: quia communiter præſumi poſſe videtur, Patrem filio, Dominum miniſtro ſuo ſervatâ proportione tres, aut duos florenos &c. donaturum, vel remiſſurum, ſi rogaretur, adeoque tantùm quoad exceſſum reliquum invitum eſſe, conſequenter non peccari mortaliter, niſi ille exceſſus, qui invito domino ablatus eſt, quantitatem mortalem attingat. His accenſerem, & quantitatem ferè duplam, vel ſaltem majorem ad peccatum mortale requirerem; ſi furti materia ſolùm ſint eſculenta & poculenta, vel horum reliquiæ: item ſi fiant valdè interpolatim & minutatim: demum etiam, ſi furtum, licèt in pecunia fiat, non uni & privato homini, ſed pluribus aut communitati, v. g. Monaſterio, Capitulo, Ærario, diviti hoſpitali &c. quia, quæ non propria, ſed communia pluribus ſunt, communiter minùs æſtimantur, nec ſinguli, utpote quibus parùm decedit, neque etiam adminiſtratores communitatum in tantum inviti ſunt, ut propter 2. florenos v. g. aufferentem vel damnificantem peccato mortali adſtrictum, & niſi reſtituat, æternùm damnatum eſſe velint.

„ Quæritur adhuc. In quibus bonis filiusfamilias ita ſit „ ſui juris, ut non peccet ea ſurripiendo, expendendo, „ vel etiam diſſipando invito Patre?

„ Antequam reſpondeatur, advertendum eſt. Quadru„ plex diſtingui peculium filiifamilias. *Caſtrenſe: quaſi Ca„ ſtrenſe: Adventitium, & Profectitium. Caſtrenſe* eſt, quod „ in militia vel occaſione & intuitu hujus acquiritur. *L. Ca„ ſtrenſe. ff. Caſtrenſ. pecul.* Item quæ filius acquirit in Pa„ latio Regis propter aulica obſequia &c. *L. unic. C. De Ca„ ſtrenſ. Palat. pecul. Quaſi caſtrenſe* dicitur, imprimis quod

„ ex Cle

„ ex Clericali Officio, quaſi militiâ ſpirituali provenit. „ Item quidquid ex Officio publico non mechanico, ut „ Judicis, Advocati, vel Profeſſione artis liberalis aut libe- „ ralitate Principis vel Reginæ acquiritur. *L. Cùm multa.* „ *C. De bonis, quæ lib.* *Adventitia* ſunt, quæ aliundè pro- „ veniunt filiis, quàm à Patre, vel ejus intuitu, neque ta- „ men etiam caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia ſunt: talia „ cenſentur e. g. inventa fortuitò, donata absque reſpectu „ ad Patrem, acquiſita per hæreditatem ex linea materna „ &c. *Profectitia* dicuntur, quæ proveniunt vel ab ipſo „ Parente vivo, vel principaliter & proximè ejuſdem cau- „ ſâ dantur, ut ſunt donata filiis ob amicitiam & obſequi- „ um parentum: item quæ ab ipſis parentibus concedun- „ tur filiis, ut ea adminiſtrent. *§. Igitur inſtit. per quas* „ *perſ. cuique acquir.*

„ Jam ad quæſit. R. Filiusfamilias ſurripiendo, vel ſi „ jam antecedenter habeat, quocunque modo applicando „ bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, etiam invito Patre „ non peccat contra juſtitiam, nec tenetur ad reſtitutio- „ nem: ſecùs ſi notabile quid auferat de bonis adventi- „ tiis, vel profectitiis graviter invito Patre. Eſt communis „ DD. Ratio prioris eſt. Quòd filius quoad bona ca- „ ſtrenſia & quaſi caſtrenſia ſit ſui juris, ac reputetur ut Pa- „ terfamilias (exceptô, quòd teſtari de iis non poſſit, niſi „ pubes ſit. *L. ult. C. De Teſtament. milit.*) habeàtque ple- „ num dominium tam quoad proprietatem, quàm uſum- „ fructus eorum cum pleniſſima adminiſtratione & diſpo- „ ſitione: ut habetur *L. Miles præcipua. §. Actionem. & L.* „ *Ex nota &c.* Idem cum proportione dicendum de bo- „ nis paraphernis ipſius uxoris, quoniam & hæc, cæterîs „ paribûs, pleno jure ſunt ejuſdem. *L. 8. & 9. ff. de Jure* „ *dotium.* Quamvìs inſuper eidem communiter conce-

 „ dant

Digitized by Google

„ dant AA. ut ex bonis communibus quoque poſſit elar-
„ giri in eleemoſynas, honeſtas recreationes, aliáſque lar-
„ gitiones tantum, quantum aliæ mulieres ſui ſtatûs &
„ conditionis juxta conſuetum morem elargiri ſolent, eò
„ quòd mariti quoad hæc non cenſeantur rationabiliter
„ inviti: imò ſi hi nimium auſteri ſint in coarctandis ma-
„ nibus ſuarum uxorum, poſſe eas absque peccato contra
„ juſtitiam ſaltem nihilominùs tantum expendere, quan-
„ tum juxta conſuetudinem ratione dotis & familiæ con-
„ decet, docent Mol. *d. 274. n. 7.* Leſſ. *l. 2. c. 12. dub. 14.* &
„ alij. Cujus ratio alia eſſe non poteſt, niſi quòd rationa-
„ biliter non poſſint eſſe inviti ipſi mariti.

„ Ratio poſterioris eſt. Quia imprimìs quoad peculium
„ profectitium dominium plenum eſt penes Patrem: quo-
„ ad adventitium verò licèt filius habeat dominium dire-
„ ctum ſeu proprietatis, quia tamen Pater habet uſum-
„ fructum & adminiſtrationem ejus, regulariter ſaltem,
„ juxta cit. §. *Igitur inſtit. per quas perſ. cuique acquir.* idcir-
„ cò filius nondum emancipatus auferendo notabilem
„ quantitatem invito Patre ex utriſque prædictis bonis pec-
„ cat graviter peccatô furti, & tenetur ad reſtitutionem,
„ faciendam ex bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus,
„ ſi talia habeat: quòd ſi non habeat, tenetur in portione
„ hæreditatis ablata in ſuam partem computare, ut reſar-
„ ciat damnum aliis datum, niſi forſan etiam reliquos fra-
„ tres tantundem, æquè invito Patre, accepiſſe ſciat. Vi-
„ deantur cit. Molina *tom. 1. tr. 2. d. 242.* Reginaldus *l. 20. c. 2.*
„ *n. 27.* Sayrus *l. 9. c. 16. n. 13. & ſeq.* Leſſius. Turrianus & alij.

CASUS CVIII.

E Contrà aliquis ex plebe tantùm 15. cruci-
geros furto, vel fraude &c. ſubtraxit: ſed hoc vici-

no ſuo pauperi, qui cum tota familia ſua uno die non ultra 10. crucigeros in victum & ſuſtentationem impendit.

RESOLUTIO.

SEcundùm ſe & ſpeculativè loquendo tunc etiam unius obuli furtum erit peccatum mort., ſi propter præſentes circumſtantias v. g. extremam neceſſitatem cognoſcatur, & prævideatur, dominum rei graviter & rationabiliter invitum eſſe. Practicè autem hoc cognoſcere, atque certam regulam dare, quæ communiter etiam locum habeat, difficile eſt. Illam, quam plures DD. tradunt, tunc quantitatem eſſe reſpectivè gravem & mortalem, ſi tantundem alicui auferatur, quantum uno die abſumit &c. acceptare non poſſum, quia reſpectus faciens quantitatem reſpectivè magnam in eo fundari debet, quòd dominus etiam propter leve furtum patiatur notabile incommodum, ideóque graviter invitus ſit. Quantum verò uno die quiſque abſumat, principaliter ex rerum pretio provenit, conſequenter ad propoſitum non facit: quid enim, ſi in loco, ubi omnia abundant, civis aut peregrinus aliquis totâ die pro octo crucigeris edere & bibere poſſit ad ſatietatem: econtrà alio loco, vel tempore famis pro ſolo pane 15. crucigeri neceſſarij ſint, an hoc caſu poſteriori plus licebit furari citra peccatum mortale, quàm priori? an tempore abundantiæ 8. crucigeri erunt materia reſpectivè magna & mortalis, & non potiùs tempore neceſſitatis? Ita ſi ex duobus opificibus æqualibus unus, quia multos habet liberos, quotidie medium florenum etiam tenui victu abſumere; alter, quia ſolus eſt, 15. tantùm crucigeros conſumat, reliquum velut abundans in ciſtam reponat, vel inutiliter expendat: an huic poſteriori abſtuliſſe 15. crucigeros erit peccatum mort. & non potiùs priori?

Rectiùs igitur eò reſpiciendum, & tunc quantitatem reſpectivè magnam cenſendam puto, ſi dominus, cui res modica

Digitized by Google

auffertur, propterea aut uno die egere, vel notabiliter ſibi in cibo, potu, aliisve neceſſariis ſubtrahere, aut certè: ne egere debeat, ſingulari & notabili labore deceſſum illum compenſare debeat: tunc enim notabiliter & graviter propter tale furtum invitum eſſe præſumendum, & furi prævidendum fuit: hócque caſu etiam ſub mortali reſtitutio injungenda eſt, quatenùs damnum iſtud, quod reſpectivè magnum eſt, iterum compenſetur: atque hoc frequenter & facilè contingere poteſt, ſi operario, qui ex quotidiano lucro vivit, merces unius diei vel denegetur, vel furtô, fraude &c. ſubtrahatur. Cæterùm ſi ruſtico pinguioris fortunæ tantum ſubtrahatur, quantum uno vel altero die in victum cum ſua familia non caro tempore abſumit, quod circiter medium florenum attinget, non propterea ſtatim ac ſemper peccatum mortale, aut ille graviter invitus cenſendus, quia tantundem aliàs v. g. in caupona, conviviis nuptialibus &c. facilè expendere ſolet, neque tamen tunc gravem etiam reſpectivè jacturam rerum ſuarum feciſſe ſe credit, quò tamen in quantitate furti determinanda communiter reſpiciendum, ut conſtat ex dictis.

„ Q. hîc incidenter, quid ſentiendum de furtis Religioſo-
„ rum? Ante reſponſionem notanda ſunt quædam: nam

„ Certum eſt 1. Omnes Religioſos Ordines, eorúmque
„ Communitates & Monaſteria, exceptis Capucinorum & Mi-
„ norum de Obſervantia, eſſe capacia dominij, & jurium
„ bonorum temporalium, uti expreſsè habetur in Trid. *ſeſſ.*
„ *25. de Reform. c. 3.*

„ Certum eſt 2. Religioſos in particulari quoque eſſe ca-
„ paces jurium quorumdam, & bonorum ſpiritualium: ut
„ ſunt bona animi, vitæ, famæ, membrorum, honoris &c.
„ item juris eligendi, manendi in certo cœnobio; juris ali-
„ mentorum, veſtimentorum &c. Ita San-Gallenſes noſtri.
„ Navar. Leſſius, Laym. & communiter Theologi. Ratio
„ eſt,

Digitized by Google

„ eſt, quòd per votum Paupertatis non renuntiaverint bo-
„ nis ſpiritualibus & juribus prædictis, aut honoribus pro
„ iis debitis, uti docet Divus Thomas *2. 2. q. 186 a. 7. ad 4.*
„ ſed ſolùm bonis fortunæ pertinentibus ad commodita-
„ tem corporalem. Unde etiam eoſdem ad prænominata
„ jura tuenda proprio nomine agere poſſe teſtantur citati
„ San - Gallenſ. Leſſius, Haunold. & alij. Hîs tamen
„ non obſtantibûs.

„ Certum eſt 3. Omnes Religioſos ſolemniter profeſſos
„ in particulari eſſe incapaces dominij & juris cujuscun-
„ que in res temporales ſeu ad bona fortunæ ſpectantes;
„ uti denuò certa tam Theologorum, quàm Canoniſtarum
„ eſt ſententia. Et habetur clarè *in cap. Cùm ad Monaſt. de*
„ *Statu Monach.* Ubi Innoc. III. diſtrictè in virtute S. O-
„ bedientiæ ſub obteſtatione divini Judicij prohibet, ne
„ quis Monachorum proprium aliquo modo poſſideat: in-
„ frà ſubjungens. *Nec æſtimet Abbas, quòd ſuper habenda pro-*
„ *prietate poſſit cum aliquo Monacho diſpenſare, quia abdicatio*
„ *proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeò eſt annexa Regu-*
„ *læ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit li-*
„ *centiam indulgere.* Unde idem Pontifex jubet Mona-
„ chum (quo nomine, utpote in materia voti ſubſtantialis
„ Paupertatis veniunt omnes Religioſi) cum proprio de-
„ cedentem absque pœnitentia in ſterquilinio ſepeliri.
„ Similiter Trident. *ſeſſ. 25. c. 2.* proprietarium activâ &
„ paſſivâ voce per biennium privat, atque etiam juxta ſuæ
„ Regulæ & Ordinis conſtitutiones puniri jubet.

„ Certum inſuper eſt 4. Religioſos ſolemniter profeſſos
„ non tantùm eſſe incapaces juris & dominij bonorum for-
„ tunæ, ſed etiam iisdem non conceſſum eſſe uſum bono-
„ rum temporalium pro arbitratu ſuo independenter à vo-
„ luptate & conſenſu ſuorum Superiorum. Cujus ratio
„ eſt,

Digitized by Google

„ eſt, quòd Religioſus per ſolemne votum Paupertatis non
„ tantùm à ſe abdicet nudum dominium rerum, ſed etiam
„ uſum omninò liberum & independentem earum, utpo-
„ te quibus nec corpora ſua, nec voluntates licet habere in
„ propria poteſtate, velut monet S.^mus Legislator noſter S.
„ Reg. *c. 33.* Cui ritè conſonant Statuta noſtra à S. Sede
„ in forma ſpecifica confirmata, per Breve ſub annum
„ 1686. die 6. Febr. emanatum ab Innocentio XI. Cujus
„ memoria, ceu Fundatoris hujus Congregat. noſtræ in Be-
„ nedictione ſit &c. *c. 5. §. 2.* ad excludendam etiam om-
„ nem umbram proprietatis hæc in fine ſubjungentia: *Ut*
„ *verò proprietatis vitium non ſolùm in pecuniis, ſed in omni-*
„ *bus etiam aliis rebus extirpetur, & præcaveatur, ſingulis*
„ *annis cum ſcheda quadrageſimali bonorum operum, ex præ-*
„ *ſcripto regulæ ad initium quadrageſimæ afferenda, dent ſin-*
„ *guli aliam ſchedam, ſeu deſignationem omnium rerum, quas*
„ *ad uſum quisque ſuum in cella, vel aliàs retinet, quatenus*
„ *unusquisque in conſcientia ſecurus eſſe poſſit, nihil ſe, inſciis*
„ *Superioribus, detinere.* His notatis

„ R. 1. Religioſi poſt emiſſum votum Paupertatis in ap-
„ probata quadam Religione ſurripientes ſibi, vel donan-
„ tes extraneis de bonis Monaſterij ſeu communitatis no-
„ tabile quid, graviter & rationabiliter invitis Superiori-
„ bus peccant mortaliter peccatô furti, fiúntque rei cri-
„ minis proprietatis, & tenentur ad reſtitutionem, quan-
„ tùm poſſunt. Ità communis DD. Ratio eſt. Quòd is
„ faciat furtum, qui ſurripit rem non ſuam graviter invi-
„ to altero, qui vel jus, vel diſpoſitionem illius rei habet:
„ atqui in propoſito faciunt hoc Religioſi: ergò &c. Di-
„ xi tamen 1. Rem notabilem: quia circa res leves uſu
„ ipſo mox conſumptibiles & tranſitorias, ut ſunt eſculen-
„ ta & poculenta in exigua quantitate &c. Superiores non

„ faci-

„ facilè cenſentur graviter inviti, euuſque ſaltem, ut ve-
„ lint Religioſos ſuos in conſcientia ſub peccato furti &
„ onere reſtitutionis obligare: ſed ſufficit, ut obſervat
„ Card. de Lugo & alij, ad conſervationem diſciplinæ &
„ exactiorem obſervantiam paupertatis talia ſub pœnis re-
„ gularibus cohiberi. Quòd ſi tamen conſtaret de con-
„ traria voluntate Superioris graviter inviti non ſolùm
„ quoad modum, ſed etiam ipſam ſubſtantiam rei, etiam
„ graviter ſucceſſivè ſaltem contra juſtitiam & peccatô furti
„ peccari haud dubiè poſſet.

„ Dixi 2. Rationabiliter invito Superiore. Nam ſi Su-
„ perior, cognitâ Religioſi neceſſitate, eidem neceſſaria
„ nollet ſubminiſtrare, ut ſunt veſtimenta, medicinæ, ci-
„ bus, potúſque congruus &c. Religioſus ſurripiendo
„ tantum, quantum neceſſe haberet ad ſuſtentandam ne-
„ ceſſitatem, non peccaret, nec ad reſtitutionem tenere-
„ tur, ut docent Sayrus *l. 9. c. 16. n. 20.* Bonac. de Reſtit.
„ in partic. *d. 2. q. 10. p. 3. n. 3.* & plures ab his relati. Ra-
„ tio eſt. Quòd Religioſus habeat jus ad exigendum ſimi-
„ lia, Superior verò non rationabiliter deneget, ac conſe-
„ quenter nec rationabiliter ſit invitus.

„ R. 2. Religioſus cum Superioris licentia accipiens ab
„ extraneis pecunias vel alia pretioſa, ut iiſdem liberè uti,
„ aliis donare, ac diſponere pro libitu poſſit, ordinariè
„ novâ indiget licentiâ: ſecùs peccabit contra juſtitiam &
„ paupertatem, utpote diſſipans bona Monaſterij, acſi ſua
„ eſſent. Ita Suarez & alij. Ratio eſt, quòd licentia ac-
„ cipiendi non involvat, ordinariè ſaltem, etiam licentiam
„ retinendi, vel pro libitu diſponendi. Docet id hodierna
„ experientia. Nam in Monaſteriis Congregationis noſtræ,
„ aliiſque locis benè diſciplinatis, etſi quis habeat licentiam

Digitized by Google

„ accipiendi pecunias à ſæculari donante eas, non tamen hoc „ ipſo habet licentiam eas penès ſe retinendi, vel pro libitu „ expendendi, ſed indiget nova facultate Superioris, ut ex- „ preſsè præcipiunt Statuta noſtra loco priùs cit. Item ſi „ quis habeat licentiam ab extraneo accipiendi eſculenta vel „ poculenta, non hoc ipſo habet licentiam ea privatim abſu- „ mendi, ſed debet ea conferre ad menſam, vel penum com- „ munem &c. Dixi tamen *ordinariè* ſaltem. Non enim ne- „ go, licentiam accipiendi quandoque etiam involvere licen- „ tiam retinendi, vel diſponendi quoque, aut ſaltem ex ea „ prudenter præſumi poſſe: ſic enim ex recepta fermè ubivis „ conſuetudine, qui habet licentiam acceptandi pia munuſcu- „ la e. g. Roſarium, imaginem, vel etiam Breviarium, habet „ quoque licentiam ea retinendi: imò pia munuſcula extra- „ neis donandi, quia ſimilia non dantur, ut ſerventur. Plu- „ ra de Obſervatione Voti Paupertatis, ſi placet, videri poſ- „ ſunt in Theſibus meis Theolog. de Dominio Religioſ. & „ Clericorum *q. 1. a. 3.*

„ R. 3. Abbates, Præpoſitos, Religioſos Adminiſtratores „ & his ſimiles, etſi habeant jus adminiſtrandi, & diſpen- „ ſandi fructus ſuorum Monaſteriorum &c., tum ad ſui ſtatûs „ congruam ſuſtentationem, tum ad alias pias & neceſſarias „ cauſas & fines: ſi tamen iiſdem abutantur, vel inordinatè „ ſuis conſanguineis donent, vel aliàs inutiliter applicent, „ non ſolùm peccant contra paupertatem, ſed etiam juſtiti- „ am, & tam dans, quàm accipiens ſine ſufficienti titulo, ad „ reſtitutionem erunt obligati. Ita Clariſs. P. Paulus Mezger, „ Celeberrimus Univerſitatis Benedictinæ Salisburgenſis Pro- „ feſſor &c. de Domin. Relig. *c. 7. §. 3. n. 7.* Sanchez *l. 6. d. 4.* „ *n. 15.* Navarrus, Leſſius cum communi DD. Ratio eſt, „ quòd omnes prædicti Superiores non ſint domini, ſed ſo- „ lùm adminiſtratores redditutum & facultatum Monaſterij

„ &c.

Digitized by Google

„ &c. in bonum Conventûs ſeu communitatis : poſiti haud „ dubiè non in ruinam & deſtructionem, ſed in ædificatio- „ nem &c: quoniam per aſſumptionem ad Prælaturam non libe- „ rantur à voto Paupertatis, utpote quod eſt eſſentiale con- „ ſtitutivum ſacræ & religioſæ Profeſſionis. Neque Prælati „ bona Monaſterij diſſipantes, ſe tutos in conſcientia exiſti- „ ment, eò quòd Conventus ſciat, & taceat, imò quidam „ nonnullìs favoribûs excœcati abblandiantur: quoniam taci- „ turnitas priorum non eſt ſatìs voluntaria, ſed ordinariè metu „ reverentiali extorta: poſteriorũ verò blandimenta per ſe ſunt „ vitioſa. Interim tamen donationes remuneratoriæ, & ſuô „ modô etiam liberales, quas prudens adminiſtratio, lauda- „ bilis conſuetudo, conditio & ſtatus perſonæ requirit, vel „ permittit, Prælatis non ſunt inhibitæ, modò exinde Mona- „ ſterium vel Conventus non notabile detrimentum vel in- „ commodum ſive de præſenti, ſive in futurum ſentire de- „ beat &c. Sed jam

„ Duo adhuc reſtant diſcutienda. Quænam quantitas re- „ quiratur, & ſufficiat ad conſtituendum peccatum mortale „ furti reſpectu Religioſorum? Et 2. Quid ſentiendum de „ reſtitutione, cùm iis deſit proprium, ex quo reſtituant?

„ Circa primum tres adverto ſententias celebriores. 1.ma „ exiſtimat, id abſolutè determinari facilè non poſſe, ſed „ prudentis, ac timentis Deum Confeſſarij judicio relinquen- „ dum eſſe, ſpectatìs circumſtantiìs, conditione & ſtatu per- „ ſonarum, monaſteriorum, & beneficiorum &c. 2.da Tan- „ tum exigit, quantum ſufficit in Filiofamilias, ut is peccet „ mort. per acceptionem injuſtam in bonis paternis, eò quòd „ Religioſi verè habeantur, & alantur ut filij. Ita Rebellus, „ Ledeſma, Cenedi. Fagundez, noſter Caramuel & alij. Huic „ tamen ſententiæ ſpecialiter ſe opponit Jacobus Gordonus „ *l. 5. q. 3. d. 4.* inquiens: Religioſi inſtituti rationem, vo-

„ cem ipſam Superioris, omniáque alia prohibere ejuſmodi
„ furta. Hinc 3.tia inter communiores eſt ſententia Bonaci-
„ næ de Reſtit. *d. 2. q. 10. p. 3. n. 5.* Molinæ *tom. 3. tr. 2. d. 687.*
„ *n. 2.* & hoc teſte omnium DD. Societatis JESU. Scilicet
„ eam quantitatem ſufficere reſpectu Religioſi, quæ aliàs
„ ſufficit ad furtum mortale contra 7.um Præceptum.

„ Ex his ſententiis puto cuivis aliquid tribuendum. Et
„ prima quidem locum habebit, ubi certæ quædam ac ſpecia-
„ les occurrunt circumſtantiæ, reſpectu quarum nulla regu-
„ la univerſalis poteſt ſtatui, adeoque arbitrio prudentis Viri
„ ſeu Confeſſarij res ſit dijudicanda. Secundæ ſententiæ tri-
„ buendum cenſeo. Plus ad mortale requiri in Religioſo,
„ quàm merè extraneo, nullum titulum erga monaſterium
„ &c. habente, ſi ea, quæ auferuntur, ſint mera eſculenta,
„ poculenta, vel etiam veſtimenta uſui communitatis aliàs
„ jam deſtinata, eáque ſucceſſivè ſolùm, nec in magna quan-
„ titate ſimul ſint ſubducta: eò quòd Superiores ordinariè in
„ ſimilibus non ſint tam graviter inviti, velut in numerata
„ pecunia, aliiſve pretioſis, ut jam ſuprà dictum. Hinc ter-
„ tiam ſententiam judico eſſe veram ac tenendam quoad furta
„ in ære, aliiſque rebus pretioſis: eò quòd ablatio, detentio,
„ diſpoſitio pecuniarũ in Religioſis absq; licentia Superiorum
„ omnium maximè contineant malitiam proprietatis, ſintque
„ religioſæ diſciplinæ & voluntati Superiorum maximè con-
„ trariæ. Accedit, quòd in multis benè diſciplinatis Mona-
„ ſteriis pro furto mortali, ſimúlque caſu reſervato, ſit deter-
„ minata illa quantitas (ſcilicet Dugatus ſeu tres floreni noſtra-
„ tis monetæ) quæ aliàs in transgreſſione ſeptimi Præcepti
„ communiter pro mortali ſolet aſſignari: ut adeò ſignum ſit,
„ multos etiam Superiores in hanc ſententiam collimare.

„ Porrò ad reſtitutionem à Religioſis faciendam quod atti-
„ net. R. breviter 1. Si Religioſus ſuâ culpâ extraneum quem-

„ dam

Digitized by Google

„ dam in bonis fortunæ damnificavit, tenetur damnum com-
„ penſare, quantum poteſt, id eſt, ſi res forſan ablata adhuc
„ extet, eam reſtituere debet. Si nihil ampliùs extet, tene-
„ tur compenſationem facere ex peculio, aliiſve commodita-
„ tibus ultra neceſſitatem à Religione ſibi conceſſis. Tametſi
„ enim horum proprietatem non habeat, uſum tamen à Reli-
„ gione conceſſum abdicare poteſt, & debet: eò quòd veram
„ injuſtitiam commiſerit, & conſequenter ad æqualitatem fa-
„ ciendam, quantum fieri poteſt, obligatus ſit. Ubi tamen
„ benè obſervat Sanchez *l. 7. in Decal. c. 19. n. 113.* Ejuſmodi
„ reſtitutionem extraneo faciendam impediri poſſe à Prælato,
„ ſi nimirum is nomine Religionis ſeu communitatis nolit à
„ ſe abdicare dominium illarum rerum, quas Religioſus de
„ ſuis commoditatibus ſibi ſubtrahere, extraneóque dare poſſet.

„ R. 2. Si Religio ſive communitas ex injuſta vel damni-
„ fica actione Religioſi ſui emolumentum accepit, ſeu ditior
„ facta eſt, tenetur etiam ipſa ad reſtitutionem, quia ex bono
„ alieno injuſtè ablato nunquam licet diteſcere, aut emolu-
„ mentum capere, ut communiter docent Theologi. De re-
„ liquo verò damnum à Religioſo ſuá privatâ culpâ extraneis
„ illatum, nunquam tenetur reſarcire Monaſterium ſeu com-
„ munitas, niſi, ut dixi, forſan exinde ditior facta ſit: quia
„ Religioſus in favorabilibus habetur non ut ſervus, ſed ut
„ filiusfamilias, ex cujus delicto nunquam tenetur Pater, niſi
„ ejuſdem nomine agat. Ut docet Tambur. *l. 6. c. 4 §. 2. n. 6.*

„ R. 3. Si Religioſus proprio ſuo Monaſterio damnum no-
„ tabile in bonis fortunæ intulit v. g. ea ſurripiendo, vel ſine
„ licentia aut neceſſitate conſumendo, deſtruendo &c. tene-
„ tur ſatisfacere modo priùs dicto reſponſ. 1.ª Quòd ſi ve-
„ rò alienavit, extraneis donavit &c. tenetur accipientes om-
„ ni meliori modo inducere ad reſtituendum: neque hi ab-
„ ſolvi poterunt, donec injuſtè ablata, & iniquè accepta re-

„ ſtituant, damnúmque compenſent, ut clarè patet ex Con„ ſtitutione Clementis VIII. edita An. *Salutis 1594. 13. Calend.* „ *July*: quæ incipit: *Religioſæ Congregationes.* Bona fides in „ tantum accipientes à Religioſo notabile quid de bonis Mo„ naſterij ſine licentia Superiorum poteſt excuſare, ut non „ plus teneantur reſtituere, quàm extet, vel in quantum poſt „ conſumptionem illius (durante bona fide) ditiores ſunt fa„ cti, ut docet Clav. Reg. *l. 9. c. 16. n. 21.* allegans Cordubam, „ Navarrum & alios.

CASUS CIX.

SÆcularis quidam modica, ſed ſucceſſivè multa furta fecit: v. g. ſingulìs diebûs è culina parum aliquid carnis, ſalis &c. aufferendo: vel in pecunia exiguum quidem ſemper, ita tamen frequenter ſubtrahendo, ut de facto ſumma ablatorum conſtituat 20. florenos.

RESOLUTIO.

VElut indubitatum eſt, eum, qui furatur uno tempore plures res, quæ ſingulæ quidem modici valoris ſunt, ſimul ſumptæ autem ad magnam quantitatem aſcendunt, peccare mortaliter, quia nihil intereſt, an in uno genere, vel diverſis, domino notabile damnum fiat: ita pariter ſentiendum, quòd ſi quis diverſìs quidem temporibûs res modici valoris aufferat, attamen uno tempore hæc furta modica intendat, & proponat (v. g. ſi famulus ſecum ſtatuat, quotidie parum ſalis, carnis &c. domum ferre, & ita 6. circiter florenos, quos aliàs pro emendis ejuſmodi rebus impendere deberet, lucrari) omninò peccet mortaliter: quia, cùm intentio iſta intra annum aufferendi ſex florenos de ſe ſit mortaliter peccaminoſa, ut ſuppono, omnia quoque furta minuta tanquam actus imperati, & executio illius primæ intentionis participant gravem malitiam:

etſi

etſi ſucceſſivè ſolùm tota quantitas, de ſe conſtituens peccatum mortale compleatur, ut communis tenet DD.

Rurſus, qui ſucceſſivè modica abſtulit, tandem verò videt, & advertit, notabilem ſummam alienæ pecuniæ, frumenti &c. ſimul ſe habere, peccat mortaliter id retinendo: nec enim refert, quòd aufferendo ob inadvertentiam forſan ad gravitatem rei tantùm venialiter peccaverit: quia, etſi omninò non peccâſſet, ſed v. g. ignoranter à fure accepiſſet, tamen ſine peccato mortali retinere non poſſet, ut infrà dicetur, & denuò docet communis Theologorum. Unde etiam ab Innocentio XI. meritò damnata eſt ſequens propoſitio Ord. 38. *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per parva furta, quantumcunque ſit magna ſumma totalis.*

His accenſeo, ſi quis ex una maſſa ſæpiùs parùm furatus eſt e. g. ex uno prato fœnum, ex quadam arbore poma, ex uno promptuario frumentum &c. atque ita aliquando tandem advertit, cùm ſexta v. g. vice redit, quòd ſi etiam hac vice aliquid tollat, ex nunc dominum in hac re penuriam, vel defectum notabilem paſſurum, adeoque rationabiliter, gravitérque ex nunc invitum fore: quamvìs enim hoc caſu ſextum furtum per ſe non ſit majus cæterìs prioribûs, tamen reſpectivè & propter quantitatem reſpectivam hoc grave & mortale eſt, utpote contrectatio rei alienæ, etſi per ſe modicæ, tamen in his circumſtantiis domino graviter invito facta: ſecùs quàm furta priora. Ut docent Leſſius *l. 2. c. 12. dub. 7.* Bonac. *d. 2. q. 8. p. 2. n. 2.* Navarrus & alij.

Quòd ſi verò econtrà furta modica omninò ſeparata ſint, nec per intentionem unum notabile lucrum faciendi, nec per coexiſtentiam rei ablatæ, nec etiam per unum denique grave nocumentum, domino factum, coadunata ſint, tunc nun-

nunquam ex pluribus minutis fiet unum magnum, aut mortale furtum: quia ex meris peccatis venialibus nunquam poteſt fieri unum mortale, uti communiſſima habet aſſertio DD. Illud inſuper in hoc caſu admittendum cenſeo, quòd major & propè dupla quantitas ad peccatum mortale requiratur in furtis modicis & ſucceſſivis, utut intentione auferentis, vel coexiſtentia rerum ablatarum unitis, quia communiter homines æſtimant minùs, ac proinde etiam minùs inviti cenſentur, ſi ſucceſſivè (*A.*) quàm ſi ſimul aliquot floreni decedant: ita videmus, eos, qui nullo modo induci poſſent, ut ſimul aureum amico donent, aut citra neceſſitatem expendant, ſucceſſivè tamen & interruptîs vicibûs ad idem faciendum quandoque difficiles non eſſe: qua etiam de cauſa filius, uxor, Officialis &c., ſi ſingulîs annîs in certa occaſione aliquid tollant, etſi ad majorem quodammodo ſummam perveniant, à reſtitutione excuſari poſſunt ex rationabili præſumptione, dominum invitum non eſſe, quamvìs invitus eſſet, ſi tota ſumma ſimul tolleretur.

„ (*A.*) Q. 1. Quanta requiratur, & ſufficiat propinqui-
„ tas temporis, ut furta minuta ſucceſſiva moraliter unian-
„ tur, & coaleſcant?

„ R. DD. in hoc non convenire. Navarrus vult ſuffice-
„ re tres menſes: Filliucius unum menſem: Alij 15. dies:
„ Sanchez unum annum; exiſtimans, furta levia ſpatiô
„ unius anni interrupta omninò ampliùs non coaleſcere.
„ Meliùs forſan ſentiunt, qui nullam univerſalem regulam
„ ſtatui poſſe affirmant, ſed determinationem in particula-
„ ri ex diverſitate circumſtantiarum deſumunt, & faciunt.
„ In hoc ſaltem omnes cenſentur convenire, quanto ma-
„ jori & majori temporis ſpatio furta ſucceſſiva ſunt inter-
„ polata, eò majorem & majorem quantitatem ad pecca-
„ tum

Digitized by Google

„ tum mortale requiri: tum quòd modus furandi ſucceſſi-
„ vus, quò magìs eſt interpolatus, eò minùs ſit damnoſus:
„ tum quòd objectum hujuſmodi furtorum in minutas quan-
„ titates diviſum non ita periculosè alliciat, velut conjun-
„ ctum: tum quòd plerumque committantur dicta furta
„ animo non grave, ſed leve ſolùm damnum inferendi.

„ Q. 2. Quomodo peccent plures per furta minuta eidem
„ grave damnum inferendo? Exemplum ſit. In communi
„ luſu, uno chartîs vel taxillîs reliquos ſuperante, alius ſu-
„ bitò evertit menſam pecuniâ ſatìs numerosâ hinc inde diſ-
„ persâ: quam reliqui tollunt, & auferunt. Idem eſto, ſi
„ plures accedant vineam alienam, & ſinguli decerpant ali-
„ quot uvas. R. Vel hoc faciunt ex condicto, & inita quaſi
„ ſocietate, aut ſe invicem adhortando, conſulendo, vel pra-
„ vitate exempli trahendo &c.? Vel id fit caſu & inadverten-
„ ter, ita ut nullus nec phyſicè, nec moraliter influat in fur-
„ tum alterius? Si prius: omnes peccant mortaliter, & te-
„ nentur ad reſtitutionem in ſolidum, eò quòd ſinguli ſint
„ cauſa totius damni, prout hoc eſt notabile, alterique gravi-
„ ter damnoſum. Si poſterius: quivis ſolùm peccat veniali-
„ ter, & tenetur ad reſtitutionem pro ſua parte, eò quòd ad
„ damnum grave moraliter non cooperentur, nec conſtituant
„ unum agens totale. Leſſius. Azor. Molina & alij.

CASUS CX.

IN quibusdam nundinis uſus eſt quis ulnâ ju-
ſtò breviore, itaque ſingulis ementibus pannum, modi-
cum duntaxat deceſſit: ipſi autem mercatori univerſim acceſ-
ſit quantitas 20. ulnarum &c. non putat ſe mortaliter peccâſ-
ſe, quia non tantùm furta modica, ſed etiam ita diverſa &
diverſis facta ſunt, ut nullus graviter invitus eſſe poſſit: ſi-
cut nullus de notabili damno conqueri poteſt.

Digitized by Google

RESOLUTIO.

ID ſpeciale habet hic caſus, quòd mortaliter peccetur ſine reſpectu ad ullam quantitatem rei ablatæ, aut damni dati, ſed quamprimùm aliquis incipit, vel intendit uti menſurâ, aut pondere injuſto, jam peccat mort. propter ipſam fraudulentam intentionem. Unde non relevat, quòd ſingulis modicum decedat, nam hoc ipſum merè per accidens eſt; quia qui ulnam breviorem ad nundinas adfert, ex parte ſua indifferens eſt, nec curat, aut prævidet, an unus multum panni ſimul, an verò plures ſinguli modicum ſint empturi: ſicut etiam ex parte ſua ſemper intendit multum vendere, & magnum lucrum ex ſua fraudulentia facere, ideò quamvìs per accidens parum, aut nihil venderet, tamen parando falſam menſuram peccavit mortaliter.

Neque poteſt talis mercator rationabiliter præſumere, emptores non eſſe graviter invitos: nam etſi ſingulis hîc & nunc parùm decedat, tamen propter cauſam communem, & aliqualem ſocietatem graviter & rationabiliter inviti ſunt ſinguli, quòd omnibus ſimul multum talî fraudulentiâ decedat: quia omnes emptores ſimul quaſi pro uno ſtant, & cauſam communem faciunt (*A.*) eo modo, quo ſinguli Capitulares, & ſinguli cives rationabiliter inviti ſunt, ſi de re communi in ſingulos diſtribuendâ v. g. ex piſcinis, paſcuis &c. furtum fiat, etſi ſingulis parùm tantùm decedat.

„ (*A.*) Accedit, quod ipſa natura dictet, iniquum eſſe, ditari per injurias ex alieno, quoniam aliàs nec tranquillitas „ naturæ humanæ, nec ejuſdem commerciorum ſecuritas ſal„ væ conſiſtere poſſent: ut proin abſolutè neceſſe non ſit in „ ſimilibus furtis attendere damnum, quod patiuntur læſi, „ ſed potiùs reſpicienda erit quantitas lucri, quod quis ini„ què, vel per injuriam acquirit, & ſi hoc fuerit grave ac no„ tabile, haud dubiè peccatum mortale conſtituet: eſto, ſin-

„ guli,

Digitized by Google

„ guli, quibus ablatum quid fuit, leve ſolùm damnum pa-
„ tiantur. Unde ex communi DD. ſententia, caupones mi-
„ ſcentes aquam vinô, ſicque hoſpites ſuos decipientes: Te-
„ lonarij à ſingulis viatoribus unum nummum ultra debitum
„ vectigal exigentes: falſificantes monetas, id eſt, vel ſingu-
„ lis nummis aliquid adulterini metalli admiſcentes, vel de
„ juſtis monetis tenue ramentum præcidentes, aliique his ſi-
„ miles: ſi ad notabile lucrum pervenerint furti gravis, &
„ peccati mortalis damnantur, eò quòd de bonis fortunæ no-
„ tabile quid ſibi applicent iniquè, invitâ ſcilicet etiam ipsâ
„ naturâ, ejúſque Authore. Unde ad reſtitutionem quoque
„ obligati ſunt, faciendam vel læſis, ſi fieri poſſit; vel ſaltem pau-
„ peribus, piiſve cauſis: conformiter menti Innocentij XI.
„ damnantis propoſitionem 38. priori caſu relatam.

„ Quæritur adhuc. An peccet mortaliter, qui, poſtquam
„ furando jam pervenit ad quantitatem mortalem, nihilo-
„ minùs pergit levia committere furta?

„ R. Si damnum prius compenſavit, vel ſaltem firmum
„ propoſitum id compenſandi habeat, ſolúmque impotentia
„ hîc & nunc executionem reſtitutionis impediat, non pec-
„ care graviter: ſecùs verò per quodcunque leve furtum,
„ materiæ gravi ſuperadditum, peccare mortaliter. Bonac. *de*
„ *Reſtitut. d. 2. q. 8. p. 2. n. 4.* Leſſius. Filliuc. aliive. Ratio
„ prioris eſt, quòd dictum furtum leve, ſeu poſterius, non
„ amplius moraliter coaleſcat, aut uniatur cum præcedenti,
„ ſeu materia gravi, & conſequenter nec per ſe, nec reſpectu
„ prioris graviter damnoſum ſit. Ratio poſterioris deſumi-
„ tur à pari. Velut enim furtum de ſe leve, complens tamen
„ damnum grave, mortale eſt: ita quoque mortale erit fur-
„ tum de ſe leve, damnum tamen grave faciens gravius, ut-
„ pote cum hoc coaleſcens & unitum. Confir. 1. Nolle
„ compenſare damnum grave, eſt peccatum grave: ergò

„ etiam velle augere damnum grave à ſe jam datum, non le-
„ ve, ſed grave peccatum erit. Confir. 2. Velle poſitivè con-
„ tinuare peccatum grave, ſemper eſt peccatum grave: er-
„ gò multò magis poſitivè velle peccatum grave augere, erit
„ peccatum grave.

CASUS CXI.

ABſtulit quiſpiam alterius equum, veſtem, inſtrumentum ad operandum &c. non animo retinendi, ſed ſolùm intentione utendi aliquamdiu, poſtmodum iterum in locum ſuum reponendi, aut reſtituendi.

RESOLUTIO.

NOn tantùm proprietatis, ſed etiam furtum *Usûs*, fieri poteſt: & quamvis rei ſubſtantia ſalva maneat, tamen privare dominum uſu & commoditate rei ſuæ, aut alienæ rei uſum, vel detentionem ſibi arrogare invito domino, ſpecies furti eſt, ut habetur *L. 40. ff. de Furtis.* ubi dicitur: *Qui jumenta ſibi commodata longiùs duxerit, alienáve re invito domino uſus ſit, furtum facit:* proin juxta priora principia peccatum mortale, ſi dominus hìc & nunc graviter invitus cenſeri poſſit, & prævideri debeat: quod tunc maximè præſumendum, ſi dominus ipſe tali tempore re ſuâ indigeret, vel ſi alteri ad uſum concedere vellet, utilitatem unius aurei, duorum florenorum, vel taleri &c. inde recipere poſſet, uti communis & certa eſt ſententia Theologorum.

Quantùm ad reſtitutionem tam hoc caſu, quàm univerſim notandum & tenendum eſt: quotiescunque ratione injuſtæ acceptionis (*A.*) reſtitutio facienda eſt, id reſtituendum omne, quod domino occaſione talis furti, fraudis, damni, fictionis &c. deceſſit, ſive directè, ſive indirectè, ſive tanquam damnum emergens, ſive lucrum ceſſans &c. Univerſim ut com-

completa & ſufficiens cenſeri poſſit reſtitutio, dominus debet eſſe & ſervari indemnis eatenùs, ut poſt ac per reſtitutionem id recipiat, quod habiturus eſſet, ſi furtum vel fraus &c. facta nunquam fuiſſent. Quod principium ſemper procedit, quoties in accipiendo rem alienam fraus & injuſtitia interceſſit, adeoque ratione injuſtæ acceptionis ſeu damnificationis reſtitutio facienda eſt: quod verò ratione rei acceptæ reſtituendum, Caſu ſequenti declarabitur.

„ (*A.*) Q. Quot ſint radices, ſive cauſæ & tituli, ex qui-
„ bus oritur obligatio reſtitutionis?

„ R. cum D. Thoma hîc *q. 62. a. 6.* & aliis communiter duas
„ aſſignari. Scilicet *Res accepta*: & *Injuſta acceptio*. Ex re ac-
„ cepta tenetur, qui detinet rem alienam invito domino, ſi-
„ ve res aliena extet adhuc in ſe, ſive ſolùm in æquivalenti,
„ ſi ſcilicet aufferens ex ea factus ſit ditior. Ratio eſt, quia,
„ quamdiu res aliena exiſtit vel in ſe, vel in æquivalenti, ha-
„ bet dominus rei jus vindicandi rem ſuam: ergò etiam poſ-
„ ſeſſor habet debitum reddendi eam, quia omni juri activo
„ correſpondet jus paſſivum, ſeu debitum reddendi.

„ Ex injuſta acceptione tenetur, quisquis alterum culpa-
„ biliter in bonis ſuis læſit, etſi nihil alieni vel in re, vel æquiva-
„ lenter penes ſe detineat. Ratio eſt, quia quivis habet jus abſo-
„ lutũ obligandi alios, ne ſe in bonis ſuis lædant: & conſequẽter
„ etiam habet jus conditionatum, ut, ſi læſerint, damnum
„ reparent, quia aliàs jus abſolutum fruſtraretur ſuo fine,
„ parùmque conduceret ad abſterrendos homines à læſioni-
„ bus, & damnis inferendis.

„ His duabus radicibus addunt aliqui adhuc duas, ſcilicet
„ *Ex contractu*, & *ex Legis diſpoſitione*. Rationem dant. Quia
„ imprimis poteſt quis obligare ſe ipſum ad compenſandum
„ alteri damnum merè caſu & fortuitò ſecutum: e. g. ad ſol-
„ vendum pretium equi commodati furtô, fulmine, aut quo-

„ cunque alio caſu ſublati. Talis etenim non tenetur ex re „ accepta, cùm hæc non ampliùs extet, ſed interierit &c. ſed „ nec tenetur ex injuſta acceptione, quia, cùm equus ſibi „ commodabatur, nullam culpam, fraudem, vel dolum com„ miſit, ut ſupponitur, nec caſum, ne interiret, avertere potuit: „ ergò, inquiunt, neceſſe eſt, admittere etiam tertiam radi„ cem *ex Contractu.*

„ Item vi *Legis Aquiliæ*, & aliarum *Noxalium:* de quibus „ agitur *L. 4. Inſtit. tit. 3. 5. 8. & 9.* tenetur quis ad compen„ ſationem damni, quòd innocenter & ſine ulla culpa theo„ logica, ſed ex mera incuria dedit, ut multi docent, & infrà „ Caſu 115. examinabitur. Talis rurſùs non tenetur ex re „ accepta, nec ex injuſta acceptione, ſed unicè ex Legis „ diſpoſitione: ergò etiam quarta radix eſt aſſignanda, ſci„ licet *Legis Diſpoſitio.*

„ Sed utut hæc ſint. Meliùs alij has duas poſteriores radi„ ces reducunt ad duas priores: nam in Caſibus allatis uter„ que videtur teneri ex injuſta acceptione. In primo quidem, „ quia, cùm quis ſe ipſum obligat ultrò ad præſtandum dam„ num etiam fortuitò & caſu datum, perinde eſt, acſi dam„ num illud culpâ ſuâ dediſſet fictione juris. In poſteriori„ bus verò caſibus ſaltem intervenire debet aliqua culpa, „ nempe vel theologica, vel juridica: ſive vera, vel quaſi „ talis, uti omnes concedere debent.

„ Cæterùm diſcrimen inter duas radices ex *Re accepta*, & „ *injuſta acceptione* hoc intervenit, quòd res accepta ſine cul„ pa (e.g. bona fide, & innocenter à fure empta) non obliget „ ad ſui reſtitutionem, niſi extet vel in ſe, vel æquivalenter. „ Econtrà injuſta acceptio obliget ad reſtitutionem, etiamſi „ accipiens nec rem detineat ampliùs, nec inde ſit locupletior „ factus, ut paſſim docent DD. & magis per ſequentes Ca„ ſus declarabitur.

CA-

Digitized by Google

CASUS CXII.

EQuum bonâ fide quis emit, poſtmodum reſciens illum eſſe furtivum, retinuit nihilominùs: nunc demum, poſtquam equus interîit, Confeſſarium conſulit, an graviter peccaverit? item an & quid reſtituere debeat?

RESOLUTIO.

ETiam qui ſine omni injuſtitia vel peccato rem accepit: v. g. emit in publico foro, juſto pretio, optima fide &c. tamen quamprimùm reſcit, rem ad tertium ſpectare, neque à venditore (ſive is ipſe fur fuerit, ſive etiam bona fide à fure, vel aliàs per ignorantiam acquisîerit) rem talem cum effectu transferendi dominij vendi potuiſſe, tenetur eandem rem vero domino reſtituere: ſive deinde ipſe pretium expenſum à venditore ſuo repetere poſſit, ſive non poſſit, ut communis & certa tenet Doctorum Sententia.

Quòd ſi moram in reſtituendo faciat, & poſtquam ſcit, rem taliter emptam ad alium certum dominum pertinere, eam tamen detinet, utitur, vel aliis utendam locat, aut permittit: ratione hujus detentionis & usûs, ſaltem furtum usûs committet, & judicandus erit tam quoad gravitatem peccati, quàm quoad obligationem reſtituendi, ſicut Caſu præcedenti dictum: ſcilicet ſi dominus ſit graviter invitus, ſive (loquendo ſecundùm id, quod communiter accidit) ſi ex tali mora & detentione patiatur damnum vel incommodum, quod aureô unô, vel aliqualiter minorî, notabilî tamen pretiô rationabiliter æſtimari poſſit, tunc peccatum erit mortale: & ſub mortali id omne, quod domino ex tali detentione & mora (non verò quod antecedenter ex primo furto per venditorem facto) deceſſit, atque hîc & nunc deeſt, reſtituendum.

Denique reſpectu hujus moræ ſine damno eſſe, & id dominus rei habere debet, quod haberet, ſi primâ ſtatim die, qua

emptor talis reſcivit, rem eſſe alienam, ſimulque occaſionem commodam reſtituendi habuit, res talis reſtituta fuiſſet. Unde caſu, quo res ejuſmodi omninò perit, vel ſaltem deterioratur, eò reſpiciendum unicè, quid factum fuiſſet, ſi domino ſuo relicta fuiſſet. Quòd ſi æquè periiſſet, nihil ex hoc, ſed tantùm æſtimatio usûs domino ſubtracti compenſanda: ſi autem penes dominum res non periiſſet, pretium ſolvendum erit: utut modò ſine omni culpa perierit, quia dominus non debet pati damnum occaſione injuſtæ vel acceptionis, vel detentionis.

Abſtrahendo autem à tali moroſa detentione, quæ in effectu injuſtæ acceptioni accenſetur, ſi poſſeſſor bonæ fidei, tunc cùm ſcit rem eſſe alienam, ſtatim, id eſt primâ occaſione opportunâ ſe offerente, reſtituere paratus eſt, tunc quoad quantitatem reſtitutionis faciendæ hâc regulâ utendum. Ut ſcilicet ita id reſtituat, quod alienum eſt: puta equum, agrum, vitulum, pannum, triticum &c. in eo ſtatu, quo nunc eſt, & quod eidem naturaliter acceſſit, atque defactò extat, v. g. pullum cum equa, ſegetes cum agro, vaccam ex vitulo factam &c. quia hi fructus naturales (aliud de induſtrialibus) ſunt, & pars rei cenſentur: res verò quælibet ſuo domino fructificat, creſcit, & decreſcit. Viciſſim autem impenſas in culturam, aut pro rei melioratione utiliter factas, quas ſcilicet etiam ipſe dominus facere debuiſſet, in vicem fructuum compenſandæ erunt bonæ fidei poſſeſſori à domino rei.

Dixi autem de fructibus, quæ defactò extant, reſtituendis, nam ſi non ampliùs extent, etſi per incuriam, aut culpam ſeu negligentiam poſſeſſoris, antequam ſciret rem eſſe alienam, perierint, vel conſumpti ſint (absque alio lucro) nihil reſtituendum: neque dominus prætendere poteſt id, quod haberet, ſi res ſua nunquam ablata eſſet, ſed tantùm, quod de re ſua apud iſtum bonæ fidei poſſeſſorem extat. Unde ſi emptor equi furtivi

tivi illum rurſus eodem aut minorî pretiô vendidit, antequam ſciret eſſe furtivum, pretium inde receptum non tenebitur domino (benè autem ſuo emptori id repetenti) reſtituere. Quòd ſi rem talem, aut fructus illius v. g. vaccam furtivam, aut vitulum ex ea natum ipſe conſumpſerit, vel majorî pretiô, quàm acceperat, vendiderit, communis Summiſtarum opinio eſt, tantum reſtituendum domino, in quantum bonæ Fidei Poſſeſſor factus eſt locupletior, quia non decet eum ex re aliena lucrum capere cum damno veri domini &c. quod ſicut re benè examinatâ dubiô non caret, eò quòd tale lucrum non immeritò fructibus induſtrialibus accenſeri poſſit: & juris noti ſit, bonæ Fidei Poſſeſſorem lucrari fructus &c. ita in praxi raró obligatio reſtituendi erit; quia ex dicta Summiſtarum ratione tantùm lucrum, ſive exceſſus, qui ultra pretium pro tali re antecedenter expenſum ſupereſt, reſtituere neceſſe eſt: proinde ſi ponatur res furtiva juſtô pretiô empta, vix unquam aliquid reſtituendum erit, etſi poſt emptionem fructum fecerit, & tam res empta, quàm fructus ſequens, v. g. vacca & vitulus mactata & abſumpta ſint, quia tempore contractûs fructus ſecuturus jam prævíſus, adeóque æſtimatus, conſequenter non lucrum, ſed res empta, & pecuniâ emptoris ſoluta eſt.

Demum illo in Caſu, quo res ipſa reſtituitur, plerumque & ſatìs rationabiliter præſumi poterit, dominum benè contentum, & ratione fructuum conſumptorum non graviter invitum fore, etſi Poſſeſſor (quia v. g. rem non pro magno pretio, ſed ex dono accepit) ex uſu rei vel abſumptione fructuum aliqualiter factus ſit locupletior &c.

„ Circa radicem *ex re accepta* pro praxi & majoris cla-
„ ritatis gratiâ placet quædam adhuc ſubnectere. Atque
„ imprimìs certum eſt apud omnes, ut jam dictum. Poſſeſſo-
„ rem rei alienæ etiam cum optima fide, ſive eam gratìs, ſive

Digitized by Google

„ pro pretio acceperit, quamprimùm reſcit, rem eſſe alie-
„ nam, teneri in conſcientia ante omnem ſententiam judi-
„ cis eam reddere domino ſuo, etiàm cum jactura pretij,
„ quod pro illa expendit. Ratio eſt, quòd talis res ma-
„ neat verè devincta domino ſuo, titulo proprietatis, &
„ cum hoc onere transeat ad quemcunque poſſeſſorem, qui
„ proindè eam tenetur reſtituere, quamprimùm reſcit, eſſe
„ alienam, quoniam ſecùs hoc ipſo inciperet eſſe poſſeſſor
„ malæ fidei. Unde ſi ex dilatione & mora reſtituendi
„ dominus patitur damnum aliquod emergens, aut lucrum
„ ceſſans, tenebitur ad omnem eorum compenſationem.
„ Nec refert, quòd rem alienam pretiö emerit bonâ fide:
„ ſibi enim imputet, quòd non tutiùs ſit mercatus. Re-
„ greſſum tamen habebit adverſùs venditorem, à quo po-
„ terit pretium repetere: & ſi is fuit malæ fidei, tenebitur
„ in conſcientia mox illud reddere ob commiſſam fraudem.
„ Si autem etiam fuit bonæ fidei, nec factus ditior, tene-
„ bitur primùm poſt latam evictionis ſententiam, juxta *L.*
„ *Si plus.* & *L. Habere. ff. de evict.* ac communem DD.

„ Ex his porrò deducuntur quædam corollaria. 1. Eum,
„ qui rem alienam legitimo tempore præſcripſit ſtante ſem-
„ per bonâ fide, ad nihil ampliùs teneri, eò quòd non am-
„ pliùs detineat alienum, ſed ſuum.

„ 2. Qui pecuniam furtivam bonâ fide accipit tanquam
„ pretium pro merce, eámque indiſcernibiliter miſcet cum
„ ſua, pariter ad nullam reſtitutionem teneri, quia titulô
„ permixtionis ſit dominus pecuniæ *L. 78. ff. de Solut.* adeò-
„ que non ampliùs eſt poſſeſſor rei alienæ, neque etiam fa-
„ ctus eſt ditior ex alieno. Econtrà qui rem alienam do-
„ nô vel gratìs accepit, & bonâ fide vendidit, tenetur do-
„ mino rei totum pretium reddere, ſi is aliter rem ſuam
„ obtinere nequeat, quia res furtiva in illo pretio æ-

„ qui-

„ quivalenter extat, & vendens ex alieno factus eſt „ ditior.

„ 3. Qui rem furtivam juſtô pretiô emptam durante bo- „ nâ fide vendidit æqualî, vel minorî pretiô, ad nullă reſti- „ tutionem teneri: quia talis res nec in ſe, nec æquivalenter „ penes poſſeſſorem bonæ fidei extat: ſecùs probabiliter, „ ſi rem majorî pretiô vendiderit, quàm ſibi conſtiterit, „ quia exinde factus eſt ditior.

„ 4. Qui rem furtivam juſtô pretiô comparavit, animô, „ eam reddendi domino ſuo, non poſſe integrum pretium „ à domino repetere, eò quòd taliter dominium adigeret „ ad emendum rem ſuam, quod eſt iniquum: poterit ta- „ men modicum quid repetere propter induſtriam, & qua- „ tenùs cenſetur utiliter geſſiſſe negotium domini, ut do- „ cet Molina *d. 721. n. 2.* & alij.

„ 5. Demum, qui rem alienam bonâ fide conſumpſit, „ ad nihil teneri, niſi in quantum exinde factus eſt ditior. „ Ratio prioris eſt, quia imprimìs non tenetur *ex re accepta*, „ utpote quæ nec formaliter, nec æquivalenter ampliùs „ exiſtit: ſed nec *ex injuſta acceptione*, quia bona fides ſup- „ ponitur perdurâſſe uſque ad rei conſumptionem. Debet „ igitur in tali caſu dominus rei jacturam patienter ferre, „ ac ſi aliàs caſu, aut fulmine res periiſſet. Ratio poſte- „ rioris eſt, quia nemini ex alieno licet diteſcere. Et hæc „ quidem apud omnes fermè ſunt certa. Verùm,

„ Major eſt quæſtio inter Theologos: An emptor rei „ furtivæ poſſit eam denuò reddere furi ad pretium ſuum „ recipiendum, ſéque indemnem ſervandum? Et qui- „ dem hoc licitum eſſe, ſi fur moraliter certò rem domino „ ſit reſtituturus, aut ſi ipſe dominus facilè negotiô eam „ recuperare poſſit à fure: aut ſi emptori aliàs immineat „ grave damnum in fama, vitâ, vel membrîs &c. commu-

„ niter tenent DD. eò quòd reſtituens ſic tum conſulat ſuæ
„ famæ, tum utatur jure ſuo in avertendo gravi damno
„ proprio. Solùm igitur quæſtio procedit, ſi nullum aliud
„ damnum immineat emptori, quàm jactura pretij: ex al-
„ tera verò parte dominus periclitetur de re ſua, ſi ea reſti-
„ tüatur furi? Igitur

„ ℞. 1. Emptor rei furtivæ cum bona fide probabiliùs
„ poteſt eam reddere furi ad ſe indemnem ſervandum ra-
„ tione pretij expenſi, citra injuriam cujuscunque. Ita
„ Navarrus, Leſſius, Lugo, Sylveſter, P. Paulus Mezger, Hau-
„ nold. Dicaſtaillo & plures ab his relati cõtra Cajetanũ, Mo-
„ linam & alios quosdam. Ratio eſt 1. Quòd contractus
„ ille emptionis poſſit ab emptore reſcindi, utpote dolo
„ furis initus: & conſequenter etiam ab eodem juſtè poteſt
„ pretium repeti. De reliquo autem ſecluſo contractu,
„ vel obligatione ex officio nemo tenetur rem alterius cu-
„ ſtodire cum ſuo incommodo: ergò poteſt eam colloca-
„ re in priſtino ſtatu, & conſequenter furi reſtituere: di-
„ cendo, numquid cuſtos rei alienæ ſum ego? 2. Rem
„ inventam poteſt quis reponere in antiquum locum non
„ ſolùm, ne ſe de furto ſuſpectum faciat, ſed etiam, ne
„ moleſtum laborem inquirendi dominum in ſe ſuſcipere
„ debeat: ergò etiam rem emptam à fure poteſt quis ei-
„ dem reddere non ſolùm, ne ſe de furto ſuſpectum faciat,
„ vel ob alia graviora incommoda: ſed etiam, ne jacturam
„ ſui pretij ſuſtinere cogatur. conſequentia videtur vix
„ negari poſſe: antecedens verò probatur. Nemo tenetur
„ rem amiſſam tollere, etſi eam videat, & dominum rei
„ ſciat; ergò nec tenetur ſublatam ſervare, ſed poteſt eam
„ reponere in locum, ubi invenit. 3. Si Emptor, vel poſ-
„ ſeſſor bonæ fidei æquè teneretur reſtituere rem domino,
„ quàm fur, etiam cum jactura ſui pretij, adeoque gravî
„ ſuô

", ſuô damnô, eandem haberet obligationem, quàm habet ipſe
" fur: atqui hoc videtur pugnare contra æquitatem natura-
" lem; quia emptor bonæ fidei longè melioris eſſe debet con-
" ditionis, quàm fur, eò quòd nullam injuriam fecerit do-
" mino: ergò non habet tantam obligationem, quàm fur:
" & conſequenter iterum poteſt rem reddere furi, ſuúmque
" pretium recipere, ut ſe ipſum ſervet indemnem.

" ℟. 2. Emptori malæ fidei probabiliùs non licet rem red-
" dere furi ad recipiendum pretium. Ita Leſſius *l. 2. c. 14. d. 3.*
" Navar. Covarru. Cajet. Sotus & alij. Ratio patet à contra-
" rio. Ideò enim emptor bonæ fidei poteſt rem reddere furi,
" quia poteſt contractum vitioſum reſcindere: nec tenetur
" tanquam innocens jacturam ſui pretij ferre: atqui neutrum
" hoc poteſt emptor malæ fidei. Nam imprimìs non poteſt
" pro libitu contractum reſcindere, quia in eum ut vitioſum
" ſcienter & voluntariè conſenſit, adeóque Juri ſuo ceſſit,
" quod aliàs ad eum diſſolvendum habuiſſet. Dein tenetur
" quoque jacturam pretij ſui ferre, quia ob injuſtam acce-
" ptionem, & injuriam rei domino illatam ultrò hoc dam-
" num, & onus reſtituendi in ſe ſuſcepit: ergò rem à fure
" emptam non poteſt eidem reddere, ſed tenetur domino ſuo
" reſtituere etiam cum jactura ſui pretij.

CASUS CXIII.

MIles nihil quidem ſe furatum ait, ſed tamen inſolenter aliquando fornaces, feneſtras &c. confregiſſe; aliquando etiam caſam ruſticam incendiſſe, non ſe obligatum cenſens ad reſtitutionem, eò quòd nihil de bonis alienis habeat, quod reſtitui poſſet &c.

RESOLUTIO.

TRipliciter tam furti reatus, quàm reſtitutionis obligatio contrahi poteſt. 1. Per injuſtam acceptionem. 2. Per

Digitized by Google

injuſtam detentionem, ſive ut minùs propriè alij loquuntur, ratione rei acceptæ. 3. Ratione utriuſque ſimul.

Primo caſu id reſtituendnm in æquivalenti, ſeu pretio, quod domino abeſt. Secundo id, quod poſſeſſori adeſt de re aliena juxta dicta priori caſu. Tertio, tam id, quod furi adeſt, quàm quod domino abeſt: ita ſcilicet & eò uſque, ut nec res aliena maneat apud furem, nec dominus patiatur damnum ex furto præterito.

Cùm igitur in propoſito caſu injuſtitia intercedat ex parte acceptionis, licèt nihil penes talem nebulonem maneat rei alienæ, quod in ſpecie reddi, itaque propriè loquendo reſtitui poſſet, tamen conſtituere dominum debet indemnem, & in pretio id compenſare, quod malitiosè deſtruxit, quia pretium locò rei ſuccedit, cùm res ampliùs non extat. Sed quid ſi pretia rerum interea notabiliter mutata ſint: an id pretium, quo res conſtat modo: an verò id, quo tempore furti conſtabat, reſtituendum erit?

Pro reſolutione manet regula noſtra antè poſita: ſcilicet id reſtituendum, quod abeſt domino: ſive quod haberet, ſi res ſua ablata, vel deperdita non eſſet: proin, ſi dominus rem ſuam hucuſque veroſimiliter ſervâſſet, tantundem reſtituendum in pretio, ut hodie tempore reſtitutionis iterum ſimilem comparare poſſit: compenſato inſuper uſu, ſive quanti intereſt, re ſuâ hactenùs caruiſſe, & uti non potuiſſe: ſi autem vendidiſſet, id compenſandum, quanti venditurus fuiſſet. Videatur Diana *p. 2. tr. 3. R. 51.* & relatus ab eo Bonac. ac alij.

In dubio, & quando neutrum conſtat: pro domino contra furem judicandum, & majus pretium, quo res unquam valuit, ſolvendum eſt juxta Lugonem *d. 18. n. 120.* Navar. Gabriel. Sylveſt. Angel. & alios: quia cæteris paribus veroſimile eſt, dominum rem talem creſcente ad ſummum pretio venditurum fuiſſe, ſi in uſus proprios (quibûs defactò carere debuit) neceſ-

neceſſaria non fuit. Denique dominus ſaltem vendere potuiſſet rem eo tempore, quo plurimi valuit, hanc verò poteſtatem fur ademit: ergò compenſare debet.

„ Circa præſentem Caſum ſupponi videtur, præfatum mi-
„ litem recenſita damna intuliſſe non durante actuali bello, vel
„ congreſſu cum hoſtibus: ſed in hybernis v.g. & abſque legi-
„ timo Ducis vel Principis imperio &c. ideò ulteriùs reſtat.

„ Quærendum. Quid licitè fiat à militibus tempore actua-
„ lis belli? Ante reſp. obſervandum, Bellum dici plurium
„ congreſſionem vî & armîs contra extraneos factam. Eſt
„ duplex: Aliud juſtum: aliud injuſtum. Juſtum dicitur,
„ quod aſſumitur ex ſufficienti cauſa ad pacem inducendam,
„ tranquillitatémque ſtabiliendam: quia finis belli eſt pax te-
„ ſte D. Auguſt. *epiſt. 207. ad Bonif.* dicente. *Non pax quæri-*
„ *tur, ut bellum excitetur: ſed bellum geritur, ut pax acquira-*
„ *tur.* Injuſtum eſt, quod aſſumitur abſque ſufficienti cauſa,
„ ſeu quod caret debitîs conditionibûs ad bellum juſtum requi-
„ ſitîs, poſtea ſubjungendîs. Et hoc eſt graviſſimè peccami-
„ noſum tam contra Charitatem, quàm etiam Juſtitiam: un-
„ de univerſim poſt ſe trahere onus reſtitutionis, & compen-
„ ſationis damnorum illatorum dubium non eſt. Porrò bel-
„ lum juſtum ſubdividitur in offenſivum & defenſivum.
„ Hoc eſt, quo vis per injuriam illata repellitur: & ſi debitum
„ moderamen non excedatur, cuivis omni jure permiſſum eſt,
„ ut habetur *L. 3 ff. de Juſt. & Jure.* Illud verò, quo vis in-
„ fertur injuriæ vindicandæ causâ, ſi illator injuriæ aliter ſa-
„ tisfacere nolit. Et hoc ad ſui honeſtatem, ſeu ut ſit actus
„ juſtitiæ vindicativæ, tres requirit conditiones. Prima eſt
„ legitima Authoritas bellum indicentis, qualis regulariter
„ reperitur in Principibus ſupremis, & quavis Republicâ non
„ agnoſcente Superiorem. Secunda eſt juſta Cauſa: v.g. ut
„ ſubditi rebelles ad obedientiam redigantur: ut bona gravis

„ mo-

„ momenti injuſtè ablata, & aliâ viâ non recuperabili : denuò
„ acquirantur : ut obtineatur, quod jure gentium, vel alio
„ gravi & legitimo titulo debetur &c. Tertia eſt recta Inten-
„ tio, ne ſcilicet fiat ex odio, aut privatâ vindictâ, ſed ex amo-
„ re Juſtitiæ, vel Charitatis. Quibus aliqui addunt quartam,
„ Ne nimirum excedatur modus in bellando : ſcilicet, ne par-
„ ti contrariæ majora inferantur damna, quàm neceſſe ſit, ad
„ injuriam depellendam : vel accepta damna compenſanda.
„ Hîs notatîs ad quæſtionem.

„ R. Generatim licitè fieri omne id in bello, quod eſt
„ proportionatum & neceſſarium ad finem belli juſtè ſuſ-
„ cepti conſequendum ; qui finis conſiſtet tum in compen-
„ ſatione injuriarum illatarum ; tum in recuperatione re-
„ rum ablatarum ; tum in pace componenda & ſtabilienda.
„ Ita DD. communiter. Ratio eſt. Quòd in quavis actione
„ juſta licitum ſit adhibere media de ſe proportionata & ne-
„ ceſſaria ad finem conſequendum : atqui finis belli juſti
„ conſiſtit potiſſimùm in tribus enumeratis : ergò licitum
„ eſt adhibere ea omnia, quæ ad dictum finem conſequen-
„ dum ſunt proportionata, vel neceſſaria. Unde

„ Deducitur 1. Licitum eſſe ad obtinendam victoriam
„ uti inſidiis & ſtratagematibus : ſecluſo tamen mendacio,
„ utpotè quo tanquam intrinſecè malo uti nunquam licet.
„ Excipe inſuper, niſi fides hoſtibus data ſit, nullas ponendi
„ inſidias : nam hoſtibus quoque fidem ſervandam eſſe, do-
„ cet D. Thomas *2. 2. q. 40. a. 3.* Quòd ſi tamen ipſi hoſtes
„ non ſtent promiſſis, licitè quoque iiſdem fides non ſerva-
„ tur : juxta receptam regulam : *Frangenti fidem, fides franga-
„ tur eidem.* Nec obſtat, juramentum aliquod eſſe inter-
„ poſitum. Cùm enim ejuſmodi promiſſiones fiant condi-
„ tionatè : ſi ſcilicet etiam altera pars fidem datam ſervave-

„ rit:

„ rit: promiſſis ſteterit &c. non obligant, etſi juratæ, deficiente conditione, ſub qua fuerunt factæ.

„ Deducitur 2. Licere in bello juſto hoſtibus damna „ temporalia inferre, eorum bona ſurripiendo, comburen„ do, agros devaſtando, civitates hoſtiles expoliando &c. „ quatenùs hæc neceſſaria ſunt ad finem belli conſequen„ dum. Ubi tamen benè obſervandum cum Molina, A„ zor. Navarro & aliis. Hæc & ſimilia à militibus privatis „ citra injuſtitiam fieri non poſſe, abſque juſto Ducis man„ dato, ejuſdémque explicita, vel implicitâ voluntate: quo„ niam aliàs non publicâ Principis Authoritate, ſed privatâ „ duntaxat fierent: quod injuſtum foret, obligationémque „ reſtitutionis poſt ſe traheret.

„ Deducitur 3. Non licitum quidem eſſe in bello etiam „ juſto, per ſe & directè innocentes occidere: benè ta„ men eos bonis ſuis ſpoliare, quatenùs ad finem belli con„ ſequendum hoc neceſſè eſt. Ratio diſcriminis inter vi„ tam & bona innocentum conſiſtit in eo, quòd Respubli„ ca habeat quidem dominium altum & univerſale in bona „ temporalia ſuorum ſubditorum: non æquè tamen domi„ nium vitæ illorum: unde Exodi 23. dicitur: *Inſontem & „ juſtum non occides.* Hinc bellum gerens contra Rempu„ blicam poteſt quidem ſubditos illius etiam innocentes, „ prout ſunt pars dictæ Reipublicæ, bonis ſpoliare, quate„ nùs juſti belli ratio id exigit: non tamen occidere: niſi „ quandoque per accidens: dum nimirùm aliàs nocentes „ occidi nequeunt, nec Arx, vel victoria obtineri niſi in„ diſcriminatim occidantur innocentes cum nocentibus. „ Cæterùm innocentes in hoc paſſu cenſentur Eccleſiaſticæ „ Perſonæ, nec arma, nec conſilia bellica tractantes. Legati. „ Oratores. Item pueri ac mulieres: ſimplices ruſtici: caſu „ inter hoſtes verſantes, nec armis eos adjuvantes.

Digitized by Google

„ Quartò deducitur. Etiam non licitum eſſe per ſe & directè „ ſpoliare Eccleſias, Clericos vel Religioſos &c. ob immunitatem, qua gaudent: quamvìs etiam horum bonis non neceſſariò parcatur, ſi ratio & neceſſitas belli juſti id exigat, ut „ docent Valentia. Sylveſter & alij. Quoad Eccleſias quidam „ non malè diſtinguunt. Eas ſcilicet ſpoliari, imò & devaſtari poſſe, ſi ſint munitæ ad inſtar caſtri vel arcis, & quidem „ non præcisè ad ſui, vel innocentum defenſionem, ſed etiam „ ad vim inferendam, vel ſaltem vim hoſtìs retardandam. „ Non item, ſi vel omninò non ſint munitæ, vel præcisè ad „ ſecuritatem propriam, & defenſionem Perſonarum Eccleſiaſticarum, aliorùmque innocentum.

„ Quintò demum deducitur. Milites bonâ fide pugnantes „ &c. ac poſtmodùm de injuſtitia belli edoctos, non teneri ad „ ullam reſtitutionem damnorum, niſi quatenùs facti ſunt ditiores. Conſtat quippe ex Caſu præcedenti & communi „ DD. Poſſeſſorem bonæ fidei non teneri ad reſtitutionem, „ niſi eorum, quæ vel formaliter extant, vel ex quibus factus „ eſt ditior. Secùs dicendum de iis, qui procedunt ad bellum, tanquam conſcij de injuſtitia illius. Quòd ſi dubium „ ſit, an bellum ſit juſtum, nec ne? præſumptio ſtat pro „ Principe, cui proinde ſubditi, eos vocanti parere tenentur, „ velut etiam milites jam conſcripti & conducti. Extraneos „ tamen & voluntarios milites ad juſtitiam cauſæ magis examinandam obligat Laym. *l. 2. tr. 3. c. 12. n. 8.* Bonac. & alij: „ quoniam aliàs ſe exponunt periculo damna injuſta inferendi. Qui plura in ordine ad forum conſcientiæ deſiderat de „ bello, inſpiciat Authores hactenùs citatos: hìc præcisè ponere placuit, quæ ad præſentem Caſum ſpectare videntur.

CA-

CASUS CXIV.

NOnnemo cum Confeſſario ſuo contendit, non obligatum ſe eſſe, reſtituere res ablatas, abſumptas vel deſtructas tempore belli, incendij &c. eò quòd res tales aliàs perituræ fuiſſent, adeóque dominus ex ſua ablatione damnum paſſus non ſit.

RESOLUTIO.

EX principiis poſitis res hæc, in qua alij multùm laborant, clara eſt. Nimirum ſi res aliàs peritura abſumitur in eo diſcrimine, dum (*A.*) peritura eſt, nihil reſtituendum eſſe: quia, ſi aliqua reſtitutio peti poſſet, deberet peti id, quod domino abeſt, ſive id, & tantum, quantum dominus haberet, ſi ablata, ſive deſtructa non eſſet: atqui dominus nihil exinde haberet, quia ſupponitur peritura: ergò nihil debet reſtitui; quod etiam procedit, quamvis res taliter peritura ex mera invidia & malitia deſtruatur, v. g. vinum effundatur, ne milites etiam noſtræ partis aut ruſtici eo frui poſſint, quia reſpectu horum non peccatur contra juſtitiam, domino autem nihil decedit ex hoc: nec poteſt quoad rem (etſi fortè quoad modum) rationabiliter eſſe invitus, ſiquidem ſupponitur res aliàs certò peritura. Videatur Lugo *d. 18. ſ. 6. n. 143.* Tambur. *l. 8. tr. 3. c. 2. §. 8. n. 2. 3. & 4.* ac alij ab his relati.

Quòd ſi autem res peritura ſubtrahatur periculo, & ſervetur, utut cum periculo propriæ vitæ id fiat, & accipiens tale periculum non ſubiret amore domini, niſi crederet rem v. g. ex incendio, vel ovem ex faucibus leonis ereptam ſibi remanſuram &c. nihilominùs hoc caſu reſtitutio facienda eſt ex capite rei acceptæ, ſive rei alienæ, quam retinere invitô dominô non licet, quocunque demum modo acquiratur. Neque hìc relevat, rem aliàs perituram fuiſſe: nam non petitur reſtitutio ejus, quod abeſt, aut quod haberet dominus, re tali

non ablata : verùm petitur id, quod alteri adeſt de re aliena. Cùm igitur non obſtante periculo qualicunque aut futuro interitu res in priori dominio maneat (niſi ſpecialiter pro derelicta habeatur, & ex intentione domini cuivis occupanti relinquatur) nemo invitô dominô eandem contrectare, vel etiam detinere poteſt, utpote rem alienam, certum dominum habentem.

Similiter ſi res abſumpta quidem eſt, non tamen in illo diſcrimine, & dum aliàs peritura certò ſupponitur, ſed poſtea: v. g. ex heſterno incendio ablatum eſt dolium vini, hodie ebibitur, equus ex heſterno periculo ereptus hodie venditur, donatur, vel ſuppoſitâ morâ in reſtituendo dein caſu perit, non tamen periturus, ſi in tempore, cùm congruè poterat, reſtitueretur &c. æſtimatio rei præſtanda eſt ex capite injuſtæ detentionis, quæ injuſtæ acceptioni æquiparatur, & furtum uſûs eſt: proin tantum erit reſtituendum, quantum domino abeſt propter iſtam detentionem, ſive quantum haberet, ſi in tempore ceſſante incendiô res reddita fuiſſet, juxta ſuprà dicta de furto uſûs Caſu 111.

„ (*A.*) Dictum eſt in caſu 1. *Rem perituram & ab alio an-* „ *tecedenter abſumptam non eſſe obnoxiam reſtitutioni.* Porrò ut hæc ſententia tutò in praxin deduci poſſit, duo adhuc „ annotanda videntur. Et primò quidem intelligendum id „ eſt de re peritura ex incendio caſuali, ſeu naufragiô, aut „ per juſtam hoſtium incurſionem, nullâ ſcilicet intervenien- „ te injuſtitiâ. Nam ſi e. g. fur, aut miles in bello injuſto „ ejuſmodi rem abſumeret, vel deſtrueret præveniendo alios „ ſibi ſimiles, eò quòd certò aliàs ab iis eſſet abſumenda, vel „ deſtruenda: abſque omni controverſia contra juſtitiam pec- „ caret, & ad reſtitutionem teneretur. Velut enim poſterio- „ res rem alienam invito domino abſumentes vel deſtruentes „ peccarent, & reſtituere obligarentur: ita primus quoque „ reliquos præveniendo peccavit, obligationémque reſtituen-

„ di,

„ di, quam alij ſubiiſſent, in ſe ſuſcepit. Ita Leſſius, Mo-
„ lina, Vasquez & alij.

„ Dictum 2. *De re ſubintellige certò peritura.* Nam ſi fur,
„ vel alius qualiscunque iniquus invaſor aut poſſeſſor rem de-
„ ſtruxiſſet ante prævifum ejuſdem interitum certò futurum,
„ dum ſcilicet adhuc publicè ignorabatur, rem illam incur-
„ ſione hoſtium, incendiô, alióve caſu apud dominum certò
„ perituram, omninò obligaretur ad reſtituendum rei valo-
„ rem: eò quòd tunc res adhuc penes ſuum dominum exi-
„ ſtens integrô pretiô valebat, talitérque vendi potuiſſet. Nec
„ refert, rem etiam apud dominum perituram fuiſſe: id enim
„ caſui adſcribi, & non in emolumentum furis, vel iniqui
„ poſſeſſoris, ſed domini cedere debet: ut benè obſervat Laym.
„ *l. 3. tr. 2. c. 4. n. 2.* Similiter tenetur quis ad reſtituendum
„ rei valorem, ſi eam abſumat, vel deſtruat ſtante dubiô, an
„ apud dominum ſit peritura? tum quia in dubio melior eſt
„ conditio innocentis: tum quia poſſeſſio ſtat pro domino,
„ rei autem interitus ſolùm ſit dubius. Ut denuò docent Leſ-
„ ſius *l. 2. c. 12. dub. 15. n. 92.* Bonac. Laym. & alij.

„ Sed quid, ſi fur, vel malæ fidei poſſeſſor rem alienam pe-
„ nes ſe exiſtentem, incendiô vel incurſu hoſtium deſtruen-
„ dam, non ſalvet, dum eam ſalvare poteſt: numquid pecca-
„ bit contra Juſtitiam, vel ſolùm contra Charitatem?

„ Non peccare contra juſtitiam ſentire videntur Leſſius &
„ Vaſq. relati apud Lugonem *tom. 1. de Juſt. d. 18. ſect. 6. n. 145.*
„ eò quòd fur non ſit ſicut depoſitarius, cui cuſtodia rei com-
„ miſſa eſt.

„ Contrarium tamen tanquam probabilius tenent Mol. Pet.
„ Navar. Laym. Tambur. & cit. Lug. *n. 147.* Ratio eſt: quòd,
„ licèt abſolutè & ex contractu non ſit cuſtos rei ablatæ, te-
„ neatur tamen eandem rem conſervare æquali diligentiâ,
„ velùt ſuam: & majorì diligentiâ, ſi res aliena ſit pretioſior,

„ quàm ſua eſt, eò quòd ſemper habeat obligationem, illam „ ſuo domino reſtituendi: adeoque etiam nunquam ponendi „ voluntarium impedimentum, ne reſtituere poſſit: quale po„ neret, ſi rem à ſe ablatam, quam ſalvare poſſet, & deberet, „ negligenter perire ſineret.

CASUS CXV.

ALius non malitiosè, ſed per culpam & injuriam damnum dedit, v. g. bibendo tabacum incendit ædes: jaculando volucrem occidit vaccam &c. num ex levi culpa gravis obligatio reſtituendi naſci poteſt?

RESOLUTIO.

REgula illa, quam non pauci Theologi approbant, neminem obligari ad reſtitutionem ſaltem ſub mortali, niſi damnificando, vel negligendo peccaverit mortaliter &c. inſigne compendium & modus facillimus eſſet, multas quæſtiones & inquiſitiones de dolo, latâ, levî, & leviſſimâ culpâ (*A.*) ſolvendi, aut declinandi: quam etiam regulam, licèt non univerſaliter veram cenſeam, tamen propter probabilitatem extrinſecam, id eſt Authoritatem Theologorum, ſaltem in dubio, & ab iis Confeſſariis practicabilem æſtimo, qui aliàs in his Juris & Juſtitiæ materiis minùs informati & certi ſunt.

De cætero & re ad ſolidiores regulas veritatis examinatâ, in caſibus non ad conſcientiam, vel delictum internum, ſed ad diſpoſitionem Juris attendendum cenſeo. In ſpecie, ſi culpâ commiſſionis, ſive facto alicujus damnum detur, ut in caſu ponitur, reſtitutio facienda erit ex *Lege Aquilia*: item ex iis, quæ in Jure Canonico toto titulo de injuriis & damno dato expreſſè conſtituta ſunt, etſi leviſſima tantùm culpa intervenerit: quia Leges juſtæ & multò magis Sacri Canones, ſiquidem non in præſumptione, ſed in ratione fundati, nec merè

pœna-

Digitized by Google

pœnales ſint, etiam in conſcientia obſervandi ſunt: quia abſonum eſſet, aliter Judicem, aliter Confeſſarium pronuntiare; vel Judicem condemnare, & executione compellere ad ſolvenda aliquot millia florenorum v. g. in caſu incendij, ſi in conſcientia talis damnificator ad nihil obligatus eſſet. Item non apparet ratio, cur ſententia judicis inferioris cujusque etiam in conſcientia ſit obſervanda (quod fatentur Theologi) & non potiùs lex, ſeu ordinatio à Summo Principe pronuntiata. Cùm igitur *Lex Aquilia* jubens damnum etiam leviſſimâ culpâ datum reſarcire, non ſit merè pœnalis, ſed rei perſecutoria, vel reſtitutoria: neque in præſumptione fundata: inſuper æquitati naturali innixa: quia nempè, cùm alteruter damnum pati debeat, æquiùs ſit, *illum pati*, qui ſaltem leviter in culpa, quàm qui omninò innocens eſt &c. Præterea, cùm etiam huic legi civili concordent Sacri Can. in ſpecie conſtituentes, quòd, *ſi egreſſus ignis ſegetes comprehendat*: item *ſi dominus bovem cornupetam non cuſtodiat*: item *ſi ciſternam foderit, nec operuerit, ceciderítque alterius bos, vel aſinus in eam &c.* damnum reſarciendum ſit. *c. 2. & ſeqq. tit. de Injuriis & damno dato &c.* etiam in foro conſcientiæ ita judicandum, & damnum quantumvis levî & venialî culpâ datum, ſub mortali compenſandum erit.

„ (*A.*) Q. Qualis culpa inducat onus reſtitutionis ob „ damnum illatum per injuſtam acceptionem?

„ Antequam reſpondeatur, advertendum 1. Sermonem eſſe „ non de re accepta, vi cujus poſſeſſor malæ fidei ſemper obli„ gatur ad reſtitutionem, quamdiu res penes ipſum exiſtit, „ quomodocunque denique in accipiendo ſeu furando pecca„ verit: ſed de injuſta acceptione & damnificatione, quate„ nùs hæc facta eſt per aliquam culpam ſive juridicam, ſive „ theologicam, abſque eo, quòd res ampliùs extet penes „ damnificantem: ut ſi quis per incuriam, negligentiam vel

„ mali-

„ malitiam domum alterius incendat, rem alienam perdat,
„ deſtruat &c.

„ Advertend. 2. Aliter conſiderari culpam à Theologis, „ aliter à Juriſperitis. Illa eſt quodlibet peccatum in con- „ ſcientia ſive mortale, ſive veniale: & quidem prout hîc ſu- „ mitur, contra Juſtitiam, quo damnum aliquod proximo „ infertur. Hæc ſeu juridica eſt juxta Leſſium *l. 2. c. 7. n. 22.* „ *Omiſſio diligentiæ debitæ, ex qua ſequitur incommodum*: ſi- „ ve dein in foro conſcientiæ ſit peccatum, ſive non: & ſolet „ enumerari quintuplex, *latiſſima*, *latior*, *lata*, *levis & le-* „ *viſſima*. Latiſſima eſt dolus apertus, quatenùs quis dam- „ num ſecuturum non tantùm prævidet, ſed etiam intendit. „ Latior eſt dolus præſumptus, dum ſcilicet ex indiciis meritò „ præſumitur, aliquid eſſe factum, vel omiſſum animo dolo- „ ſo: quo etiam reducitur ignorantia juris manifeſti. Lata „ eſt omiſſio diligentiæ, quam homines ejuſdem conditionis „ communiter adhibere ſolent in cuſtodiendis ſuis rebus. „ Levis eſt omiſſio diligentiæ, quam diligentiores & cautio- „ res adhibere ſolent. Leviſſima denique eſt omiſſio diligen- „ tiæ extraordinariæ, quam diligentiſſimi, & in rebus ſuis „ exactiſſimi adhibent.

„ Advertend. 3. Culpas enumeratas tripliciter committi „ poſſe. Primò ex officio, ut ſi quis ſit cuſtos, judex, fa- „ mulus &c. Secundò, quatenùs quis eſt obligatus ex con- „ tractu, v. g. pignoris, locati &c. Tertiò, quatenùs talis „ culpa committitur extra officium & contractum, de qua „ hîc nobis agendum: de prioribus autem in Caſu ſequenti. „ His notatis

„ R. 1. Secluſo contractu, & obligatione ex officio, nec „ culpa leviſſima, nec levis pariunt obligationem reſtituendi in „ foro conſcientiæ ante Judicis ſententiam. Ita Clariſſimus „ noſt. P. Petſchacher Univerſitatis Salisburg. SS. Theologiæ

„ Pro-

„ Profeſſor &c. *in ſuo tract. de Reſtit. q. 3. a. 1.* Sera *q. 62. a. 4.* „ *d. unic.* Lugo *d. 8. ſect. 4. n. 49.* Leſs. *loc. cit. n. 30.* Mezger „ & communiſſima Theologorum cum Celebri Juris - Con- „ ſulto, Magnif. Domino Chlinenſperger Univerſitatis In- „ golſtadienſis Jurium Poſſeſſore in ſuis inſtitut. *l. 4. tit. 3.* „ *q. 9.* Argumenta contraria in fine ſolventur. Ratio eſt, „ quòd ſecluſo contractu & officio nemo obligetur in conſci- „ entia ad majorem diligentiam adhibendam, quàm quæ „ communiter adhiberi ſolet: atqui qui culpam ſolùm levem, „ vel leviſſimam committit, jam adhibet diligentiam commu- „ niter adhiberi ſolitam: quia ſolùm omittit diligentiam à di- „ ligentioribus & diligentiſſimis adhiberi conſuetam, ut patet „ ex prænotatis: ergò in foro conſcientiæ ad nihil tenetur. „ Dixi in conſcientia & ante Judicis ſententiam: quid enim „ ſentiendum de foro externo, ſeu poſt latam ſententiam con- „ demnatoriam à Judice, dicetur infrà.

„ R. 2. Neque ex culpa lata, ſi hæc non ſit theologica, „ ſed ob defectum voluntarij, & advertentiæ præcisè juridica, „ incurritur obligatio reſtitutionis in foro interno ante ſen- „ tentiam Judicis, ſecluſóque contractu & officiô. Ita AA. „ præcitati. Ratio eſt, quòd tota obligatio reſtitutionis ratio- „ ne injuſtæ acceptionis oriatur ex injuſtitia: atqui ubi nullũ „ eſt peccatum, ſeu culpa theologica, etiam nulla eſt injuſtitia: „ ergò ubi nullũ eſt peccatũ, ſeu culpa theologica, etiam nulla „ erit obligatio reſtitutionis. Confirm. Lex ſeu juſtitia commu- „ tativa veluti gravat, ne jus alterius *injuſtè* lædatur: ita quo- „ que gravat, ut injuſtè læſum ad æqualitatem reducatur: er- „ gò ſimiliter à contrario, veluti non gravat, ne jus alterius „ *inculpabiliter & involuntariè* lædatur: ita non gravat quo- „ que, ut inculpabiliter & involuntariè læſum reparetur: & „ conſequenter ubi nullum eſt peccatum, ſeu culpa theolo- „ gica, etiam nulla eſt obligatio reſtitutionis.

„ R. 3. Dolus apertus & præſumptus, velut etiam culpa

„ lata, ſi conjuncta ſint cum culpa theologica gravi (id eſt, ſi
„ fiant cum ſufficienti advertentia & voluntario ad peccatum
„ mortale) trahunt poſt ſe onus reſtitutionis totius damni
„ præcogniti & voliti. Ita communis DD. Ratio eſt: quòd
„ taliter operans non tantùm phyſicè, ſed etiam moraliter, &
„ quidem cum gravi injuria & injuſtitia influat in damnum,
„ adeóque ex nullo capite à reſtitutione ſit excuſandus.

„ R. 4. Qui graviter alterum damnificavit, ſed cum adver-
„ tentia ſolùm veniali ad gravitatem damni probabiliùs non
„ tenetur reſarcire totum damnum. Ita Layman. *L. 3. tr. 3. p.*
„ *1. c. 6. n. 4.* Leſs. *l. 2. c. 7. n. 27.* Mol. Lugo, Tambur. Sa &
„ plures ab his relati, contra Vaſq. Turrian. & alios. Ratio
„ eſt: quòd culpa venialis non ſit actus perfectus in ratione
„ injuſtitiæ, adeóque non poſſit inducere obligationem per-
„ fectam in ratione reſtitutionis: quoniam aliàs obligatio ſa-
„ tisfactionis foret major in ſuo ordine, quàm injuria eſſet
„ in ſuo. Confirm. Infereus damnum ex culpa gravi theo-
„ logica tenetur totum damnum reſarcire ſecundùm menſu-
„ ram delicti & injuſtitiæ, quam commiſit: ergò à contrario
„ inferens damnum ex culpa ſolùm levi theologica non tene-
„ tùr totum damnum reſarcire, ſed præcisè ſecundùm propor-
„ tionem delicti, ſeu injuſtitiæ. Teneri autem ejuſmodi
„ damnificantem reſtitutionem facere ſecundùm proportionem
„ & menſuram delicti, ſic probatur. Altera radix reſtitutionis
„ eſt injuſta acceptio, ſeu læſio: atqui qui per culpam venia-
„ lem damnum dedit, is verè injuſtè læſit, uti nemo negat:
„ ergò tenetur ex titulo injuſtæ acceptionis datum damnum
„ compenſare, ſcilicet ſecundùm proportionem delicti & in-
„ juriæ. De reliquo, quantum abſolutè loquendo pro quo-
„ vis caſu ſit reſtituendum in foro conſcientiæ, & ante ſen-
„ tentiam Judicis, patebit ex mox ſequenti Reſponſione.

„ R. igitur 5. Nemo obligatur in conſcientia ad plus reſti-
„ tuen-

Digitized by Google

„ tuendum, quàm voluntariè & ſcienter nocuit. Sive ut
„ clariùs me explicem. Ubi nullum adfuit voluntarium in-
„ ternum, nulla ſcilicet intentio & advertentia ad damnum
„ ſecutum, vel ſecuturum; nulla quoque adeſt obligatio in
„ conſcientia reſtituendi ante ſententiam. Ubi autem adfuit
„ aliquod voluntarium internum (ſive directum, ſive indire-
„ ctum, utpote quia vel quis intendit, vel ſaltem prævidit,
„ aut prudenter prævidere debuit damnum inde ſecuturum)
„ ibi quoque adeſt obligatio reſtituendi ſecundùm proportio-
„ nem voluntarij & advertentiæ ad damnum ſecutum. Ita
„ reipſa Navarrus, Leſſius, Mezger, Haunoldus cum pluri-
„ bus aliis. Ratio eſt 1. Quòd nemo teneatur ad compen-
„ ſationem damni dati faciendam, niſi in illud influxerit mo-
„ raliter & modo humano: atqui qui non agit voluntariè &
„ ſcienter, directè, vel indirectè ſaltem, non influit morali-
„ ter & modô humanô in datum damnum, ut conſtat ex *1.ma*
„ *2.da de Volunt. & libert.*: ergò non tenetur ad compenſa-
„ tionem damni taliter dati faciendam. 2. Nemo obligatur
„ in conſcientia ad præſtandum damnum fortuitum & ex im-
„ proviſo factum: atqui quod non fit voluntariè & ſcienter,
„ fit fortuitò & ex improviſo, quia nihil volitum, niſi præ-
„ cognitum: ergò nemo obligatur præſtare damnum, quod
„ non fit voluntariè & ſcienter. 3. Onus reſtitutionis eſt
„ pœna ab ipſa natura dictata injuſtæ acceptioni vel damni-
„ ficationi: ſed pœna ſemper debet commenſurari delicto, ita ut
„ nec id excedat, nec ab eo excedatur: ergò & onus reſtitutio-
„ nis debet commenſurari delicto: atqui hoc non eſt majus,
„ vel minus, quàm aliquis ſcienter & voluntariè egit: er-
„ gô & reſtitutio non debet eſſe major, vel minor, quàm ali-
„ quis ſcienter & voluntariè læſit. 4. Juramenta & vota non
„ obligant ultra intentionem voventis: ergò nec damnificatio
„ obligat ultra intentionem & æſtimationem nocentis. Verùm

Digitized by Google

„ Hactenùs ſemper locuti ſumus de foro interno & con-
„ ſcientiæ : jam reſtat, quid dicendum ſit de foro etiam ex-
„ terno, politico, & civili. Hinc

„ R. 6. Poſt ſententiam condemnatoriam Judicis debet à
„ lædente totum damnum compenſari ex culpa licèt merè ju-
„ ridica ſive levi, ſive leviſſima datum, etiam in foro conſci-
„ entiæ. Ita Molina, Layman, Mezger, Illſung, ac teſte
„ Haunoldo communior ac probabilior Theologorum. Ra-
„ tio videtur 1. Quòd *Lex Aquilia, actionésque ex quaſi deli-
„ cto, & noxales* ſatis famoſæ in Jure civili, de quibus agitur
„ *L. 4. Inſtit. tit. 3. 5. 8. & 9. ac variè inff.* ſint juſtæ, utpote
„ latæ ob bonum publicum reipublicæ humanæ, ſcilicet ad
„ homines abſterrendos à damnificationibus inconſideratè
„ etiam datis : atqui dictæ leges non obligant in foro interno
„ & conſcientiæ, ut patet tum ex hactenùs dictis : tum quia
„ nimis forent difficiles, rigidæ & oneroſæ, utpote imponen-
„ tes graviſſimum onus reſtituendi, & ſpoliandi ſe ſuîs rebûs
„ ob aliquod damnum, nullâ ſuâ voluntate & culpâ theolo-
„ gicâ, ſed merè inconſideratè datum : ergò ſaltem obligant
„ in foro externo ſeu poſt ſententiam Judicis : quoniam aliàs
„ fruſtrarentur omni ſuo fine & effectu. Ratio eſt 2. Quòd
„ præfatæ leges tribuant læſo *Actionem rei perſecutoriam*, adeo-
„ que jus proprietatis perſonale ad exigendam ſatisfactionem
„ à lædente : ergò lædens poſt ſententiam tenetur ſe accom-
„ modare : quoniam aliàs denuò fruſtra concederetur illa
„ *actio*, & nil niſi mera confuſio in tribunalibus & judiciis
„ ferendis foret timenda. Ratio eſt 3. Quòd emolumento
„ boni publici ſatìs conſultum ſit, ſi hæ leges ſaltem obligent
„ in conſcientia poſt ſententiam, ut inferiùs ampliùs dicetur.
„ Accedit continua praxis Dicaſteriorum, aliorúmque infe-
„ riorum tribunalium profanorum in judiciis & ſententiis fe-
„ rendis juxta dictas leges procedentium, ſuosque ſententias

„ exe-

„ executioni mandantium, non reclamante Theologiâ: mi-
„ nùs eos alicujus injuſtitiæ arguente: ergò &c. Sed enim

„ Dices 1. Leges juſtæ in foro externo, ſi neque ſint pœ-
„ nales, neque fundentur in falſa præſumptione, etiam ſunt
„ juſtæ in foro interno, uti communiter ſentiunt tam Theo-
„ logi, quàm Juriſperiti: atqui *Lex Aquilia* eſt juſta in foro
„ externo, quia fundatur in æquitate naturali: eò quòd æquius
„ ſit, illum ſubire damnum, qui aliquo modo (ſcilicet ſaltem
„ per culpam juridicam) læſit, quàm qui nullo modo læſit,
„ qualis eſt, qui damnum eſt paſſus: item non eſt pœnalis,
„ ſed rei perſecutoria: demum neque fundatur in præſum-
„ ptione alicujus culpæ theologicæ, ſed tantùm juridicæ,
„ qualis ſupponitur ſubeſſe: ergò non ſolùm obligat poſt ſen-
„ tentiam Judicis condemnantis, ſed etiam ante illam, ſeu in
„ utroque foro: & conſequenter noſtra 1.ma & 2.da reſponſio
„ non ſubſiſtunt.

„ R. Diſting. M. Lex juſta in foro externo &c. eſt etiam
„ juſta in foro interno, ſive ante, ſive poſt ſententiam Judi-
„ cis, concedo M. ſemper ante ſententiam, ſubdiſtinguo: niſi
„ nimium ſit rigoroſa reſpectu fragilitatis humanæ, adeóque
„ nec ut taliter obligans recepta, nec forſan ab ipſo Legisla-
„ tore ſub tanto rigore lata, & aliunde poſſit finem ſuum ob-
„ tinere, concedo: ſecùs nego M. & conceſsâ min. ac ſimili-
„ ter diſtinctô & ſubdiſtinctô conſequentî nego conſequen-
„ tiam. Imprimis igitur ultrò concedo, Legem Aquiliam
„ cum reliquis, de quibus hìc agitur, non eſſe merè pœnales,
„ in quantum ſcilicet ſunt rei perſecutoriæ, ſeu in quantum
„ actor non quærit pœnam, ſed tantùm valorem & compen-
„ ſationem rei ſuæ. Similiter non nego, etiam non ſemper
„ fundari in præſumptione culpæ theologicæ, ſed ſolùm ju-
„ ridicæ: quòd ſi tamen nec hæc ſubeſſet, adeóque præſum-
„ ptio abſolutè foret falſa, etiam reus ad nihil obligaretur, nec

Digitized by Google

„ ante, nec poſt ſententiam. Denique etiam negari nequit, „ eſſe juſtas, tum quòd ſint honeſtæ & utiles, tum quòd ſuô „ modô fundentur in æquitate naturali, ut dictum. Hîs ta- „ men omnibûs non obſtantibûs, hasce leges ante ſententiam „ non obligare in conſcientia probant ſequentes rationes. „ 1. Licèt Legislator potuiſſet inducere hanc obligationem „ ante ſententiam, tamen vel non fecit, vel ſaltem de hoc non „ ſatìs conſtat, adeoque dubium eſt: in dubio autem melior „ eſt conditio poſſidentis: & in obligatione dubia poſſeſſio „ ſtat pro libertate. Poſitô autem, non concesſô, quòd vo- „ luerit inducere: dicendum reſtat, à ſubditis non cum tanto „ rigore fuiſſe acceptatam, aut ſaltem per conſuetudinem con- „ trariam mitigatam, cui conſonat communis praxis; eò quòd „ nemo ſe ultrò offerat, & præſtet grave damnum merè incon- „ ſideratè, ſeu cum culpa duntaxat juridica datum. 2. Ob- „ ligatio iſtarum legum non tranſit ad hæredes defuncti, eò „ quòd ipſæ leges non concedant actionem adversùs eos, niſi „ lis jam conteſtata fuerit cum defuncto: atqui ſi in con- „ ſcientia & ante ſententiam teneret, tranſire deberet, velut „ aliæ obligationes reales defuncti in conſcientia obligantes „ transeunt ad hæredes ipſius: ergò ſignum eſt, non obliga- „ re ante ſententiam. 3. Finis iſtarum legum ſatìs obtinetur „ ex eo, quòd concedant læſo actionem rei perſecutoriam, vî „ cujus homines ab ejuſmodi damnificationibus inconſideratò „ inferendis ſatis abſterrentur, eò quòd læſus poſſit lædentem „ per ſententiam Judicis cogere ad ſolutionem valoris rei ſuæ, „ ſimúlque rem ſuam ſaltem æquivalenter recuperare, qui „ cenſetur finis adæquatus earum. 4. Denique. Exempla per „ *Legem Aquiliam* adducta, velut etiam, quæ habentur in SS. „ Canon. tit. de Injuriis &c. intelligi & explicari poſſunt, ac „ ſolent de culpa lata, cui ordinariè conjuncta eſt culpa theo- „ logica, adeóque intentum ſufficienter non probant.

„ Di-

„ Dices tamen 2. Judex ferendo ſententiam ſecundùm „ prædictas leges vel juſtè judicat, vel injuſtè: ſi hoc, læ„ dens non tenetur parere: ſi prius, ſupponitur læſus jam „ habere jus adverſùs lædentem, & conſequenter jam eſſe „ obligatus in conſcientia ante ſententiam.

„ R. Judicem ferre ſententiam juſtè, non tamen ſuppo„ nere antecedenter in læſo jus, ſed eidem hoc primùm „ per ſententiam legibus conformiter latam tribuere. „ Dein aliud eſt, læſum habere jus agendi contra læden„ tem in judicio: & aliud, habere jus, ut actu ſibi præſte„ tur damnum à lædente datum cum culpa merè juridica: „ prius tribuunt leges: poſterius ſententia Judicis. Et ex „ his patet quoque, quid reſpondendum ad rationes in „ caſu pro ſententia contraria propoſitas.

CASUS CXVI.

QUid ſi aliquis bono titulo & jure rem alienam penes ſe detineat ad uſum, vel cuſtodiæ cauſâ v. g. equum commodatum, rem depoſitam, vel locatam &c. & ejuſmodi res aliena auferatur, aut pereat caſu, vel per negligentiam: an & quid reſtituendum, vel domino rei ſolvendum erit in foro conſcientiæ?

RESOLUTIO.

IN his caſibus, ſeu contractibus, caſum merè fortuitum non eſſe præſtandum, ſed rem ſuo domino perire, communis doctrina eſt: eáque vera, ſi hanc exceptionem, ſeu limitationem addas: niſi ſcilicet aliquis ultra modum, vel ultra tempus conventum re alienâ utatur: ſecus ſi contra voluntatem domini & conventionem factam detinendo rem talem injuſtitiam & furtum uſûs committat: tunc enim omne damnum domino inde ſequens compenſare debet,

debet, juxta dicta Caſu 112. & textum *in c. 2. de Depoſito.*

Quòd ſi res ejuſmodi ex contractu accepta non caſu, ſed culpâ & negligentiâ accipientis amittatur, aut pereat, reſpiciendum eſt ad cauſam, vel contractum, ex quo res penes talem negligentem poſſeſſorem fuit: v. g. ſi ex depoſito res aliena penes me fuit, & periit, tenebor tantùm reſtituere, aut ſolvere, ſi negligentia craſſa, & culpa lata ex parte mea interceſſit: ſi res hujuſmodi commodata periit, tenebor de culpa etiam leviſſima: ſi res locata pro certo pretio &c. tenebor de levi & lata, ſed non de leviſſima culpa, uti expreſſè habetur ſtatutum *L. 5. §. 2. ff. Commod. & reg. 23. ff de Reg. Jur.* Item *L. Si ut certò. §. Nunc videndum. ff. Commodati. & c. unic. de Commodato* &c. Cujus ratio & regula generalis hæc eſt. Quòd, quando detentio rei alienæ ex contractu & volente domino mihi inutilis eſt, ſed in ipſius tantùm domini commodum cedit, ut in depoſito, non tenear ego ſingularem induſtriam adhibere, adeoque tunc ſolùm reſtituere, ſi non adhibui communem diligentiam, quam quilibet circa res ſimiles adhiberet, quod eſt culpa lata. Econtrà ſi contractus aut uſus rei tantùm in meam utilitatem cedit ſine ullo emolumento domini, ut in commodato, teneor eſſe diligentiſſimus: ſecus damnum etiam ex leviſſima culpa mea compenſare. In caſu medio, ubi utriuſque commodum vertitur, ut in re locata, aut vendita & nondum tradita, mediâ diligentiâ opus, & levis culpa, ſive omiſſio illius diligentiæ, quam accuratiores & diligentiores adhiberent, præſtanda erit.

Quæ omnia etiam in conſcientia locum habere indubiè cum communi DD. cenſeo, non tantùm eò quòd leges tam civiles, quàm etiam canonicæ ita expreſſè decernant c. verùm etiam propter tacitam promiſſionem & implicitum

tum

tum pactum ſeu conventionem : qui enim talem contractum cum altero init, hoc ipſo omnia ea promittere, proin etiam in conſcientia obligare ſe cenſetur ad præſtanda ea omnia, quæ ſecundùm naturam contractûs præſtanda ſunt: eſt autem præſtanda culpa nunc levis, nunc leviſſima ex notoria, aut certè ſufficienter publicata Juris tam Canon: quàm Civilis diſpoſitione, quam uterque contrahens tempore contractûs ſcivit, vel ſcire debuit. Aut ſi accipiens rem alterius ex contractu aliam intentionem habuiſſet, ſcilicet non præſtandi omnia ea, quæ ex natura contractûs ſecundùm diſpoſitionem Juris communis præſtanda ſunt, ſed tantùm, ſi per culpam ſuam mortalem res pereat &c. hoc ipſo deciperet & contra mentem, adeoque contra juſtitiam induceret alterum, teneretúrque hoc ipſo, juxta dicta v. g. locantem, commodantem &c. ſervare indemnem propter injuſtam acceptionem: qui non ad conſcientiam vel peccatum accipientis attendit, ſed contractum legitimum ſecundùm Jura perficere intendit, nunquam daturus equum vel gratis, vel pro tantilla mercede, niſi accipientem ad diligentem & diligentiſſimam cuſtodiam, & pereunte equo per illius negligentiam, ad ſolutionem pretij obligatum eſſe ſupponeret. Unde nihil facit ad rem, quòd negligentia ordinariè tantùm peccatum veniale: (*A.*) atque culpa levis, vel leviſſima ex natura rei, & nominis non poſſit eſſe gravis, aut mortalis: hoc enim utique etiam Legislatores, præſertim Sum̃us Pontifex ſcivit, & ſuppoſuit, qui nihilominùs commodatorium de leviſſima etiam culpa teneri, imò ſi mora, vel culpa anteceſſerit, & poſtmodùm res caſu pereat, etiam *Caſum* præſtandum decernit *c. unico. de Commodato.*

„ (*A.*) Q. 1. An & quomodo culpa levis, vel leviſſima „ poſſit fieri lata & gravis in contractibus? R. 1. Omnem „ culpam juridicè latam, in contractibus eſſe etiam gravem

„ theologicè. Ita communis DD. Ratio eſt. Quòd quisque „ obligetur in conſcientia ad illam diligentiam, ad quam ad- „ hibendam ſemetipſum obligat, & obſtringit alteri: atqui in „ omni contractu quisque ſe obligat, & obſtringit alteri ſal- „ tem ad illam diligentiam, quæ communiter in rebus cuſto- „ diendis, & ſervandis adhiberi ſolet: ergò in contractibus „ quisque obligatur ſaltem ad diligentiam communem. Sub- „ ſumo: Sed qui committit culpam juridicè latam, non ad- „ hibet diligentiam communiter adhiberi ſolitam, ut patet: „ ergò in contractibus committens culpam juridicè latam „ (niſi parvitas materiæ, vel inadvertentia excuſet) commit- „ tit quoque culpam theologicè gravem: & conſequenter „ graviter peccat, & tenetur ad reſtitutionem.

„ R. 2. Diverſitas contractuum facit, ut culpa, quæ re- „ ſpectu unius contractûs eſt levis, vel leviſſima, reſpectu „ alterius ſit lata & gravis. Ita Card. de Lugo & alij. Ratio „ deſumitur ex primùm dictis. Nam quisque ſe obligat in „ contractibus ad diligentiam communiter adhiberi ſolitam, „ quia hic communis eſt modus agendi & contrahendi inter „ homines: atqui diligentia in contractibus communiter ad- „ hiberi ſolita non eſt ſemper æqualis, ſed major & minor, & „ quandoque maxima: nam communiter conſuevit inter ho- „ mines, & ipſa æquitas naturalis requirit, ut is majorem ad- „ hibeat diligentiam in re aliena ſervanda, qui ex ejuſmodi re „ totum habet commodum, quam is, qui exinde vel nullum, „ vel tantùm mediocre ſentit commodum &c.: ergò diverſi- „ tas contractuum facit, ut quandoque major vel minor di- „ ligentia adhiberi debeat: & conſequenter omiſſio diligentiæ, „ quæ reſpectu unius contractûs eſt levis, vel leviſſima, re- „ ſpectu alterius poteſt eſſe gravis & lata.

„ Q. 2. Ex qua culpa teneantur, qui ſunt obligati ex qua- „ ſi contractu, ſeu ut alij loquuntur, ex contractu implicito,

„ ut

Digitized by Google

„ ut ſunt Conſiliarij, Medici, Advocati, Judices, Confeſſarij,
„ OEconomi, Famuli &c.? R. Teneri compenſare damna
„ à ſe illata ex culpa lata, non autem levi, vel leviſſima. Ita
„ communis. Ratio eſt. Quòd ejuſmodi officia homines non
„ cenſeantur aliter in ſe ſuſcipere, niſi cum obligatione præ-
„ ſtandi ea, quæ communiter ab aliis ejuſdem officij & con-
„ ditionis præſtari ſolent: neque quid aliud de his in utroque
„ Jure ſtatutum reperitur: ergò ſolùm tenentur ad diligen-
„ tiam communem, & conſequenter non peccant, nec ad
„ compenſationem damnorum obligantur, niſi ex culpa lata.
„ Ubi tamen benè obſervandum, quòd, ſi quis ſe ingerat in
„ aliquod officium, qualitatibûs communiter requiſitîs, ſive
„ ſufficientî peritiâ, & idoneitate deſtitutus, teneatur com-
„ penſare omnia damna indè emergentia, eò quòd ſua im-
„ peritia, & inſufficientia horum ſit cauſa.

CASUS CXVII.

FAmulus domino ſuo pecuniam ſe clepſiſſe confitetur, ſed per modum occultæ compenſationis: quia vel mercedem conventam dominus non ſolvit, vel juſto minorem reſpectu laboris, induſtriæ, & qualitatum ſuarum &c. mercedem dare conſenſit, & conſuevit.

RESOLUTIO.

ETſi occulta compenſatio cum communi Theologorum admittatur, neceſſarium tamen ad hoc erit imprimìs, ut debitum, pro quo compenſatio fit, certum omninò & liquidum ſit: nam in dubio melior eſt conditio poſſidentis: unde ſi aliqualiter dubium eſt, non licet per occultam compenſationem ſibi ipſi jus dicere, & in propria cauſa judicem, executorémque eſſe. Unde frivola ordinariè excuſatio, & improbabilis prætextus eſt famulorum, vel officialium, quòd

Digitized by Google

minorem à domino mercedem accipiant, quàm mereantur &c. hoc ipſum enim, quid, & quantum mereantur, inaudito domino nullus judex decernere, minùs in propria cauſa quis determinare poteſt. Deinde cùm dominus non teneatur, aut debeat, niſi ex contractu & conventione cum famulo initâ, ſi id ſolvit, quod liberè utrinque conventum eſt, ſatisfacit, nec ultrà debitor manet, conſequenter nullus compenſationi locus eſt, maximè cùm famulus non cogatur ſervire invitus, ſed in ſua poteſtate habeat, renuntiare officium, & ſignificare domino, quòd pro tantilla mercede ſervire non poſſit. Hinc meritò ab Innocent. XI. damnata eſt ſequens propoſitio Ord. *37. Famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere, ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalariô, quod recipiunt.* Secundum requiſitum ad compenſationem occultam eſt, ut id, quod debetur, aliàs obtineri non poſſit, vel non niſi cum magna moleſtia, expenſis, aut jactura favoris, amicitiæ &c. Cùm igitur (loquendo de eo, quod ordinarie accidit) ſine incommodo vel majus ſalarium, vel dimiſſio à ſervitio obtineri poſſit, non habet locum occulta compenſatio, defectu hujus ſecundi requiſiti. Quòd ſi famulus prævideat, dominum facilem quidem ad dimiſſionem fore, nullatenùs autem majorem mercedem conceſſurum, interim ipſe dimiſſionem nolit, certè dominum non poteſt cogere, neque cum veritate dicere, quòd dominus ultra id, quod conventum eſt, aliquid debeat, quantumvis ipſe cenſeat, labore & induſtriâ ſuâ plus mereri &c. Denique (quod pro certa & generali regula notandum) id quòd coram alio juſto judice peti & obtineri non poſſet, hoc multò minùs per occultam compenſationem ſibi ipſi adjudicari, & executivè alteri auferri poteſt: atqui talis famulus non poſſet per quemcunque etiam juſtiſſimum Judicem plus obtinere, quàm quod conventum eſt: ergò &c. Eo igitur caſu tantùm occulta com-

compenſatio admitti poteſt famulo, ubi mercedem conventam ſine ſingulari incommodo vel periculo aliter obtinere non poteſt: ubi nihilominùs cavendum (quod tertium requiſitum ad licitam compenſationem eſt) ne poſt factam compenſationem à domino, utpote ignorante compenſationem factam eſſe, vel ejus hæredibus denuò ſolutio mercedis accipiatur: hoc enim injuſtum, proin iterum reſtituendum eſſet. Sed

„ Q. Quænam aliæ adhuc requirantur conditiones, ut ju-
„ ſta & licita ſit occulta compenſatio?

„ R. Quinque inſuper à DD. communiter requiri. Prima
„ eſt, ut prætterquam, quòd debitum ſit certum & liquidum,
„ etiam ſit fundatum in titulo juſtitiæ, & non ſolius gratitu-
„ dinis: velut enim titulus merus gratitudinis non inducit
„ propriè & ſtrictè dictum debitum: ita multò minùs fundat
„ jus, faciendi ſibi aliquam compenſationem ex bonis alienis
„ inſcio, vel invito domino. Secunda eſt, ut non plus acci-
„ piatur, quàm ſtrictè debeatur: quia exceſſus foret contra
„ æquitatem & juſtitiam, adeoque reſtitutioni obnoxius.
„ Tertia eſt, ut fiat compenſatio ex re debitori propria, &
„ non tantùm oppignorata, vel ejus cuſtodiæ tradita &c. ne
„ ſcilicet injuſtè gravetur tertius. Quarta eſt, ut ex com-
„ penſatione tanquam occulta nullum oriatur detrimentum
„ alteri tertio in fama, honore, vel bonis fortunæ: ne ni-
„ mirum quis forſan veniat in ſuſpicionem furti, vel omninò
„ ut talis habeatur, & puniatur. Quinta demum eſt. Ut, ſi
„ debitor non ſit omnibus creditoribus ſolvendo, compenſa-
„ tio non fiat cum præjudicio creditorum gaudentium jure
„ prælationis.

CASUS CXVIII.

CONſulit aliquis, an marſupium pecuniâ plenum in platea repertum: vel theſaurum antiqui-

tùs abſconditum à ſe inventum, bonâ conſcientiâ retinere poſſit?

RESOLUTIO.

INter theſaurum, & alias res inventas hoc intereſt, quòd, cùm Theſaurus juxta *L. Nunquam. ff. De acquir. rer. dom. ſit vetus depoſitio, cujus nulla memoria extat:* conſequenter nullus certus dominus, omni licèt diligentiâ adhibitâ indagari poteſt, ideò inventor theſauri nihil publicare, nec dominum inquirere teneatur, ſed ſpectato Jure naturæ & gentium, ſive in proprio ſive alieno fundo invenerit, ſolus ſervare poſſit, eò quòd ſit primò occupantis, quod in nullius eſt dominio: quamvìs Jus poſitivum *L. unic. C. de Theſaur.* aliter diſponat: ita ut inventor æquè totum ſibi, ſi in ſuo fundo; ſolùm autem dimidium, ſi in alieno fundo, aut domo &c. invenerit, ſervare poſſit. (*A.*) Inventor econtrà rei recèns perditæ, adeoque certum dominum habentis, non poſſit eam utpote alienam retinere, niſi cùm factâ publicatione, aut aliàs ſufficientî diligentiâ ſeriò adhibitâ eundem dominum indagare non poteſt: quo caſu, id eſt, ſi dominus indagari omninò non poſſit, talis res inventa non minùs, quàm theſaurus antiquus retineri poſſe videtur, uti ſatìs probabiliter docent Sotus, Ledesma, Medina, Navar. Sairus, Mezger, Leſſius, Tambur. Layman. Haunold. Illſung. & plures ab his relati.

Quòd alii velint, pauperibus erogandam, ex ea ratione, quòd veriſimiliter hæc mens & intentio domini ſit, quia, cùm ipſe rem habere non poſſit, velit pro ſalute animæ ſuæ in eleemoſynam erogari &c. me non movet: nam imprimìs hoc æquè de theſauro antiquo præſumendum eſſet, contra diſpoſitionem Juris & Leges notiſſimas inventori jus etiam & dominium aliquod tribuentes. Deinde parum ad ſalutem animæ faciet, nec actus charitatis & miſericordiæ erit, de eo, quod quis non ampliùs habet, nec habere poteſt per inven-

inventorem, in cujus manu eſt, eleemoſynam dari: cùm econtrà dominus hujus intentionis ſit, ut, ſi rem recipere poſſet, nihil pauperibus ex affectu miſericordiæ inde largiretur. Denique contraria præſumptio, quòd ſcilicet dominus velit & intendat res inventas penes inventorem remanere, quàm pauperibus diſtribui, in praxi multò probabilior & veriſimilior eſt, ex eo, quia, qui rem amiſit, nunquam omninò deſpondet animum, eam recuperandi, adeò quidem, ut etiam, qui propter tempeſtatem jactantur in mare, non habeantur, nec præſumantur haberi pro derelictis: conſequenter nemo vult, aut velle præſumendus eſt, inventorem aliquid circa rem perditam facere, quo ſpes omnis recuperandi præſcindatur: hoc autem fiet, ſi pauperibus diſtribuatur: econtrà non fiet, ſi domino ſpes ſua ſemper manebit, ſi inventor ipſe retineat, vel etiamſi eum utilitate abſumat: nam hoc caſu ſaltem lucrum in vicem rei ſuccedens, id nimirùm, in quantum conſumens factus eſt locupletior, dominus repetere quondam poterit, ſi etiam poſt multos annos innoteſcat, quis rem à ſe amiſſam invenerit. (*B.*)

„ (*A.*) Quæſtio eſt inter Theologos. An quis ſciens, in „ quodam fundo latere theſaurum, poſſit ejuſmodi fundum „ emere communi pretio, diſſimulando, ac poſtmodùm ef„ fodiendo theſaurum, quin de hoc quidquam tribuat prio„ ri domino fundi? R. cum divo Thoma *2. 2. q. 66. a. 5. ad* „ *2.* Molina, Azor, Bonac. & aliis affirmativè. Ratio eſt 1. „ Quòd theſaurus adhuc latens ſit bonum derelictum, adeó„ que & primò occupantis, niſi quid aliud jura poſitiva ſta„ tuant: atqui in hoc paſſu circa emptionem & venditio„ nem fundi, theſaurum occultè continentis, nihil ſtatuunt, „ quia nihil poteſt aſſignari: ergò erit primò occupantis, „ ſeu fundum ementis, & eum effodientis. 2. Pretium

„ de-

„ debet correſpondere rei & fructibus: atqui theſaurus nec
„ eſt pars, nec fructus fundi: nec vendens eſt dominus illius,
„ quia bona derelicta ſunt nullius: adeóque non venit in
„ commutationem pretii: conſequenter emens nullam fa-
„ cit injuriam venditori, theſaurum diſſimilando, ac poſt-
„ modùm ſibi eundem applicando tanquam lucrum fortu-
„ næ. Aliter loquendum de mineralibus & metallifodinis,
„ quia hæc ſunt fructus fundi, ac proin Domini, fundum
„ poſſidentis.

„ (*B.*) Q. Quid ſentiendum de bonis incertis ex delicto?
„ nam bona incerta dicuntur, quorum dominus adeſſe præ-
„ ſumitur, ſed ignoratur: & hæc communiter in duo gene-
„ ra diſtinguuntur, ſcilicet in incerta ſine delicto, ut ſunt
„ inventa, quorum dominus ſciri nequit, de quibus jam a-
„ ctum. Ac in incerta ex delicto, qualia ſunt e. g. acquiſi-
„ ta in bello injuſto abſque notitia veri domini: item in-
„ venta & retenta cum culpabili negligentia in inquirendo
„ dominum rei &c. Et de his R. Ea à malæ fidei poſſeſſore
„ nunquam retineri poſſe: adeóque ſi verus dominus ſciri
„ nequeat, eſſe reſtituenda pauperibus, vèl aliis piis cauſis.
„ Ita teſte Lugone communis Theologorum. Et colligitur
„ 1. ex *Cap. Cùm tu. de uſuris:* quod licèt loquatur de ſolis u-
„ ſuris, ob paritatem tamen rationis etiam intelligi poteſt
„ & ſolet de aliis bonis malâ fide acquiſitis, vel retentis.
„ Prob. 2. authoritate S. Hieronymi relati *in cap. Nemo, qui*
„ *rapit. 14. q. 5.* ubi ſic habet: *Nemo, qui rapit, ſi habeat, unde*
„ *reddat, moriens ſalvatur: ſi eos, quorum fuit, invenire non*
„ *poſſit, Eccleſiæ, vel pauperibus tribuat.* Quod ipſum con-
„ firmat S. Auguſt. *l. 50. Homil. 9.* relatus *in cap. Si quid. 14. q. 5.*
„ inquiens: *Si quid inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti:* lo-
„ quens de rebus inventis, & retentis cum fide malâ, qua-
„ rum ſcilicet dominus vel ſcitur, vel facilè ſciri poteſt.

„ Acce-

Digitized by Google

„ Accedit ratio. Quia ipſa natura dictat, ex una parte iniquum eſſe, aliquem ex ſuo delicto lucrum capere, vel diteſcere: ex altera verò parte, cùm non conveniat ejuſmodi bona omninò temerè abjici, erunt omni meliori modo applicanda juxta præſumptam voluntatem domini, ad quem ſpectant, & qui ignoratur, quod fit, ſi pauperibus, vel aliis piis cauſis applicentur.

CASUS CXIX.

EQuum vendidit quispiam, eúmque de pluribus deſideratis qualitatibus ultra meritum commendavit, econtrà vitia plura diſſimulando reticuit, imò falsò aſſeveravit, tantùm eſſe e. g. ſeptem annorum, cùm jam eſſet 12. &c. dubitat, an peccaverit ex hoc mortaliter? & an aliquid reſtituendum emptori decepto, vel inducto?

RESOLUTIO.

LAudare, & ſuo modo exaggerando commendare, itáque ſuadendo movere emptorem ad emendum: æquivocare etiam circa accidentia & extrinſecas circumſtantias rerum permitti debet negotiatoribus, & quarumcunque rerum venditoribus: quoniam aliàs magnam difficultatem, vel etiam damna paterentur in mercibus ſuis diſtrahendis, quas vel ipſi aliquatenùs vitioſas acquisîerunt, vel ſine omni vitio aſſervare non potuerunt. Emptor proin ex hoc dolosè ſe inductum, aut deceptum dicere non poteſt, quia ſcivit utique hunc morem venditorum, ſibi proinde imputare debet, ſi per ea, quæ commendandi causâ dicta ſunt, perſuaderi ſe & induci ad comparandam rem minùs utilem paſſus eſt.

Quòd ſi verò venditor non tantùm exaggerando, ſed ſcienter mentiendo, & affirmando de merce ſua, quod falſum eſt, inducat emptorem, ſemper peccabit ſaltem contra veracitatem,

vel etiam charitatem, & quidem mortaliter, ſi prævidit grave damnum & læſionem proximi taliter inducti. Contra juſtitiam verò & cum obligatione reſtituendi tunc ſolùm peccabit, ſi vel terminos juſti pretij excedat, de quo infrà: vel ſi mentiatur non tantùm circa qualitates minùs principales, aut circumſtantias extrinſecas, v. g. rem ſibi ipſi tanti conſtitiſſe: à loco tam diſſito advectam &c.: verùm circa ipſam rei & mercis ſubſtantiam: v. g. ſi dicat falsò, rem venditam eſſe ex puro ſerico, ex finiſſimo argento: item tot marcarum, tot ulnarum eſſe &c. In hoc enim ſi fallat, aliud pro alio obtrudet emptori, itàque dolum & fraudem contra juſtitiam committet, ut cum communi docet S. Thomas *2. 2. q. 77. a. 2. & 3.*

Tacere vitia & defectus rei venditæ occultos aliquando quidem contra charitatem eſt, ſi nimirùm prævideatur grave incommodum emptoris: at per ſe loquendo contra juſtitiam non eſt: neque enim venditor ex juſtitia tenetur rem propriam vilifacere, & quæ emptorem averterent, ultrò ſuggerere: modò vitium non ſit circa ipſam ſubſtantiam, ut dictum, ita ut emptor illud ſciens nullatenùs rem emiſſet: quia tunc venditor conſcius talis vitij, idque reticens dolô cenſetur egiſſe juxta *L. 1. Cod. de Ædilitiis action.* dolus autem, dans cauſam contractui, eundem irritat: unde vì Statutorum Bavaricorum in venditione equorum contractus non obligant, ſed retractari poſſunt, ſi certi quidam defectus valdè notabiles (die 4. Haubt-Mängl) à venditore non manifeſtantur. Dixi per ſe: nam ſi hujus intuitu, id eſt, propter ignoratum defectum res ultra juſtum pretium ematur, venditor injuſtitiam committet, non quidem propter diſſimulatum rei defectum, ſed propter injuſtum pretium. (*A.*) Videantur Leſſius *l. 2. n. 83.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 17. ꝗ. 2. n. 15.*

Item ſi emptor interroget de defectibus certis, vel in animalibus de ætate eorundem, ſequatúrque fidem venditoris, ſigni-

ſignificando ſufficienter, quòd aliter non cogitet emere, niſi verum ſit, quod dicitur, hoc caſu occultare veritatem, injuſtitia eſt, non præcisè, quia vitium reticetur, ſed quia alter non niſi ſub conditione in contractum conſentit: conſequenter deficiente conditione, conſenſus & contractus nullus eſt; proin talis venditor ab invito, nec obligato emptore, ac ſine cauſa (cùm contractus nullus ſit) pecuniam accipit, ut communiter docent DD.

Et quidem neceſſe non eſt, ut emptor expreſsîs verbîs ſe declaret, quòd non niſi ſub conditione tali emere velit, ſed ſufficit, ſi indirectè, æquivalenter, virtualiter & tacitè, aut quocunque demum modo intentio hujuſmodi conditionalis venditori innoteſcat: v. g. Si emptor dicat, ſe non alio fine emere equum, niſi ut eo Romam ire poſſit, equam, vaccam &c. ad finem generationis &c. ſimúlque declaret, quòd ſequatur fidem venditoris, & venditor non contrà proteſtetur, dicendo e. g. Er kunte es nit wagen: kunte nit darfür gut ſprechen ꝛc. Hìs, inquam, concurrentibûs tacitè & virtualiter conditio poſita cenſetur, eritque injuſtitia, rem hujuſmodi ad finem prorſus non idoneum vendere: cùm enim contractus emptionis ipſo & ſolo conſenſu perficiatur, ſi quocunque modo conſtet venditori, emptorem hîc & nunc non conſentire, vel non niſi conditionatè, conditionem verò deficere, non poteſt accipere pecunias, utpote deficiente causâ & obligatione ex parte emptoris: ſi ſecùs faciat, ex capite injuſtæ acceptionis reſtitutio facienda, non tantùm ipſius pecuniæ acceptæ, ſed etiam omnium damnorum ex hac acceptione ſecutorum &c. juxta antè dicta.

Notanter autem requiſivi, tum finem, propter quem res emitur, tum ſimul, quòd emptor de hoc fidem habeat venditori (uti dici ſolet: Jch traue dir darumb.) tempore contractûs declarari: nam ſi emptor tantùm incidenter, & per

diſcurſum, uti frequenter fit, finem, intentionémque ſuam manifeſtet, abſque eo, quòd venditorem dicere veritatem roget, ipſiúsque fidem ſe ſequi declaret, non cenſebitur emptio conditionalis, ſed abſoluta, etiamſi venditor ex tali diſcurſu advertat, & ſciat, alterum non empturum forſan, ſi defectum ſciret: quia aliud eſt, non empturum, ſi ſciret, aliud de facto tantùm conditionatè emere: hoc poſterius facit conſenſum nullum, ſi conditio deficiat, non prius. Interim etiam priori illo caſu monendus eſt emptor ſaltem poſt numeratum pretium, rem emptam ad finem, quem ille intendit, inutilem fore, non eo fine, ut venditor mercem ſuam recipiat, ſed ne alter, de cujus intentione conſtat, damnum patiatur: aliàs enim, ſi grave incommodum ſequeretur, venditor peccaret, ſi non contra juſtitiam, ſaltem contra charitatem, cùm commodè poſſit præcavere tale damnum, monendo emptorem ex poſt facto, vel per ſe, vel per tertium aliquem.

„ (*A.*) Quæritur 1. Quotuplex ſit pretium?

„ R. Eſſe duplex, unum legitimum taxatum à Lege, Prin„ cipe, vel Magiſtratu: & hoc conſiſtit in indiviſibili, ita ut „ notabiliter id excedens graviter peccet, & ad reſtitutionem „ teneatur, ut infrà dicetur. Alterum naturale, vel vulgare, „ quod communi hominum judicio penſatîs circumſtantiîs „ imponitur: & hoc non conſiſtit in indiviſibili, ſed eſt tri„ plex, infimum, medium, & ſummum: ſeu ut alij loquun„ tur, pium, moderatum & rigoroſum, ita ut quodlibet iſto„ rum habeat adhuc aliquam latitudinem: e. g. ſi pretium „ infimum alicujus rei ſint viginti quinque floreni: medium „ erunt triginta: ſummum triginta quinque, ut docent Lu„ go, Leſs. Mol. Bonac. aliíque: inſuper obſervantes, ex va„ riis cauſis & circumſtantiis pretia rerum poſſe creſcere & „ decreſcere: ejuſmodi cauſæ ſunt v. g. lucrum ceſſans, vel

„ dam-

Digitized by Google

„ damnum emergens: labor & expenſæ factæ in compara-
„ tione rei: incommoda pretiô æſtimabilia ob ejus venditio-
„ nem oborta: raritas mercis: multitudo emptorum ad
„ emendum invitatorum &c.

„ Q. 2. Quô pretiô licitum ſit emere, & vendere?

„ R. Abſque læſione omnis injuſtitiæ emi & vendi poſſe
„ pretiô ſumô, mediô & infimô: ita comunis, continuâ pra-
„ xi id approbante. Ratio eſt. Quòd tamdiu non excedan-
„ tur termini juſtitiæ in emptione & venditione, quamdiu
„ ſervatur æqualitas inter datum & acceptum: atqui hæc ſer-
„ vatur, ſive quis emat, aut vendat pretiô ſummô, ſive infi-
„ mô: nam pretium vulgare habet aliquam latitudinem,
„ ita tamen, ut adhuc ſit commenſuratum merci, ſive ſit
„ ſummum, ſive infimum, ob inæqualem ſcilicet æſtima-
„ tionem hominum, & diverſam prudentum æſtimatorum
„ opinionem: ergò nulla fit injuſtitia, ſive quis emat, aut
„ vendat pretiô ſummô, ſive infimô. Unde benè obſervat
„ noſter Clariſſ. P. Paulus Mezger: licitum eſſe rem vendere
„ hodie pretiô ſummô, quòd quis ſcit, cras minutum iri,
„ quia res æſtimatur pretio currenti, nec valor ipſius de-
„ pendet ab æſtimatione futura.

„ R. 2. Excedentes in emptione, vel venditione latitudi-
„ nem pretii juſti, peccant in foro conſcientiæ & ad reſti-
„ tutionem obligantur, niſi juſtus quidam titulus plus exi-
„ gendi excuſat. Ita poſt divum Auguſt. *l. 13. de Trinit. c. 31.*
„ communis DD. Ratio eſt, quòd per exceſſum juſti pretij
„ deſtruatur æqualitas inter datum & acceptum, quam æ-
„ qualitatem in contractibus, qualis eſt emptio & venditio
„ juſtitiæ ratio ſemper requirit. Dixi tamen 1. *In foro con-
„ ſcientiæ.* Etſi enim in foro externo & civili non conceda-
„ tur actio, vi cujus poſſit contractus reſcindi, niſi quis læ-
„ ſus ſit ultra dimidium per *L. 2. C. de reſcind. Vendit.* ne ni-

Digitized by Google

„ mirùm lites nimium multiplicentur: in foro tamen in-
„ terno & conſcientiæ datur obligatio reſtituendi omne id,
„ quod juſtum pretium excedit, eò quòd jus naturale exi-
„ gat æqualitatem inter datum & acceptum. Imò, ſi ex-
„ ceſſus ſit in quantitate pretii, datur emptori actio *redhibi-*
„ *toria*, vi cujus cogitur venditor redditô pretiô rem em-
„ ptam recipere: vel actio *quanto minoris*, vi cujus debet ex-
„ ceſſum juſti pretii, ſeu quanto minus dediſſet emptor, ei-
„ dem reddere, ut conſtat ex *L. Julianus*: *§. Sed ſi venditor.*
„ *ff. de Actionibus empti.* Item *L. 1. ff. de Ædilitio edicto.* Dixi
„ 2. *Niſi juſtus quidam titulus plus exigendi excuſet*: qualis eſt
„ e. g. ſi vendens ob dilatam ſolutionem debeat ſubire lu-
„ crum ceſſans, vel damnum emergens &c. At verò præ-
„ ciſè ob dilatam ſolutionem nihil licitè exigi poſſe ultra
„ juſtum pretium benè obſervant Leſſ. Molina, aliíque, eò
„ quòd ſtante hac & nullo alio titulo interveniat contra-
„ ctus mutui, in quo nunquam licet aliquid ultra ſortem
„ abſque uſura accipere. Unde damnatæ ſunt duæ ſequen-
„ tes propoſitiones: & quidem ab Alex. VII. ſequens ord. 42.
„ *Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget*
„ *ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.* Et ab In-
„ noc. XI. hæc ord. 41. *Cùm numerata pecunia pretioſior ſit,*
„ *quàm numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecu-*
„ *niam præſentem, quàm futuram, poteſt creditor aliquid ultra*
„ *ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.*

„ R. 3. Pretiô legitimô teneri omnes ſe accommodare, ſi
„ hoc ſemel ſit receptum, nec conſtet de ipſius iniquitate.
„ Ratio eſt, tum quòd Princeps habeat jus taxandi rerum
„ pretia in bonum commune: tum quòd ſubditi tanquam
„ membra Reipublicæ legibus & præceptis bonum commu-
„ ne concernentibus teneantur morem gerere. De re-
„ liquo, cur pretium legitimum conſiſtat in indiviſibili, non
„ item

Digitized by Google

„ item vulgare, diſcriminis ratio eſt: quòd prius impona-
„ tur ab uno ſcilicet Principe, vel à pluribus, ſed per mo-
„ dum unius, ut à Magiſtratu: poſterius verò à pluribus non
„ ita convenientibus, ſed potiùs ſecundùm magis & minus
„ conſideratis rei qualitatibus & circumſtantiis inter ſe diſ-
„ convenientibus. Sed de his plura in caſu ſequenti.

CASUS CXX.

MErcator conſcientiæ remorſum aperit Confeſſario, quòd res levî pretiô comparatas, magno & v. g. duplo vendiderit. Inſtrui petit, quid & quantum pro juſto lucro habere debeat, & poſſit?

RESOLUTIO.

DIfferentia eſt inter merces. Nam primò aliæ auctoritate publicâ pretium certum habent, ut cereviſia, panes, carnes, aliáque per Magiſtratus taxari ſolita. Secundò aliæ communi uſu & obſervantiâ taxantur, v. g. frumentum, vinum, piſces, & pleræque mercatorum merces. Tertiò. Aliæ nec auctoritate Magiſtratûs, nec communi uſu taxam habent: & hoc dupliciter vel propter raritatem, quia ſimiles merces plures non dantur, v. g. picturæ, aliáque raræ artis opera, item gemmæ inſolitæ magnitudinis, aut ſplendoris &c. Vel propter monopolium, quia tantùm unus certas merces, etſi ſecundùm ſe communes & vulgares vendere ſolet, v. g. ſalem, albam cereviſiam: theriacam, vel quodcunque medicinæ, aliarúmve rerum ſecretum genus &c. Quartò demum alia quaſi mixta, & ſecundùm ſubſtantiam communia: ſecundùm certas autem & variabiles qualitates rara & ſingularia ſunt: ejuſmodi merces præ cæteris ſunt equi, qui ſicut in ſubſtantia conveniunt, & communiter venduntur, ita in qualitatibus, & conſequenter in pretio nimi-

Digitized by Google

nimiùm, quantùm inter ſe differunt: huc ſpectant plura alia ſecundùm quid tantùm rara v. g. fructus, aut olera ante commune tempus venalia &c.

Quantùm ad primi generis merces, ſtandum eſt taxæ publicæ, & cariùs vendere contra juſtitiam erit: eo tamen notando, quòd cùm tales Leges fundentur in præſumptione & ſuppoſitione: tanti ſcilicet à praxatore v. g. emi lupulum & hordeum, tanti à lanione vitulum &c. ſi hæc præſumptio incipiat eſſe falſa: exempli causâ, ſi lanio tempore hoc vitulos magnô pretiô emat &c. poſſe in occulto (citra contemptum Legis) & in foro interno etiam cariori & proportionatô pretiô vendere: quia Leges in præſumptione fundatæ non obligant in conſcientia, niſi quouſque verum eſt, quod præſumitur: ut communis tenet Theologorum.

Quantùm ad ſecundi generis merces ſemper tutus in conſcientia eſt, qui communi æſtimationi & taxæ ſe conformat, quantumvis ipſe ſingulari occaſione, fortunâ, vel induſtriâ tales merces multò leviùs, quàm alii comparaverit, & porrò conſtanter comparare poſſit, hoc enim exceſſivum lucrum ſine injuria aliorum habebit, nec injuſtitiam committet, quamdiu juſti, & communi uſu determinati pretii terminos non excedit: ſicut enim tam Magiſtratus, quàm communitas, & populus cujuscunque loci expreſſè taxam rerum ponere, ita tacitè ipſo facto & communi uſu idem poſſunt, eritque juſtum cujusque rei pretium, quod vel ſtatutum, vel dicta conſuetudo determinat, quod proinde tutò quisque petere & accipere poterit, non attento, quanti ſibi merces vendita conſtet: uti colligitur *ex L. Pretia rerum. ff. ad L. Falcidiam*: ubi dicitur. *Pretia rerum non ex affectu, nec utilitate ſingulorum, ſed communiter funguntur*: id eſt, communi judicio & uſui nituntur. Quo modo etiam intelligenda eſt *Lex 1. §. Si hæres. ff. ad S. C. Trebellianum.*

Econ-

Econtrà terminos conſueti pretii excedere ex eo ſolùm, quia emptor ſimplex eſt, aut uſum & communem taxam neſcit, injuſtitia eſt, & ſi quantitas gravis ſit, reſtitutionis obligatio incurritur: & hoc quidem etiam eo caſu, quo ipſe venditor rem talem per errorem juſto majori pretio anteà comparaverit: quia ex hoc, quòd ipſe deceptus ſit in pretio, non ſequitur, quòd productà alium quoque decipere poſſit, ut denuò communiter docent DD. Interim tritum & verum eſt, pretia rerum non conſiſtere in indiviſibili, ſed infimo, medio aut ſummo rem quamvis vendi poſſe: nec injuſtitiam committi, niſi ſummum pretium excedatur: puta, ſi propter ſimplicitatem, aut imperitiam emptoris tanti res veneat, quanti nec circiter quidem ab aliis vendi ſolet, adeoque taxa communis notoriè & notabiliter excedatur, ut jam conſtat ex dictis caſu priori.

Quantum ad tertij generis merces, quæ propter raritatem ſimiles nullas, vel pauciſſimas habent, nec communiter vendi; conſequenter nec communi uſu æſtimari aut taxari ſolent, hoc ipſo, quia pretium & taxam nullam certam habent, probabiliter arbitrio vendentis & ementis æſtimari poſſunt in infinitum quaſi, nec fiet injuſtitia, etſi pro una pictura mille floreni accipiantur, quia id, quod emptor ſolvit vel verum, & proprio ipſius judicio taxatum pretium, vel certè amore & affectu raritatis venditori donatum pro arte, aut pro oblatione rei ſingularis ſibi ante alios factæ, honorarium erit: ut docent Molina *d.348.* Petrus Navarrus *l. 3. c. 2. n. 11.* Sotus, Valentia. Azor. Toletus, Reginaldus & alij. Nihilominùs ſententia oppoſita, quam tenent Leſſius *l. 2. c. 21. dub. 3. n. 16.* Martin: Navarrus, Filliucius, Arragonius, aliique: ſcilicet non licere venditori rem vendere pretio alto quocunque, æquè probabilis, imò probabilior, utpote æquitati naturali conformior videtur.

Digitized by Google

Ex ratione: quòd æquitas naturalis exigat, quamlibet rem vendi juſtô pretiô: tale autem ſolùm eſt taxatum vel à Principe, vel ab ipſa communitate, vel denique à prudentis æſtimatoris judicio conſideratis circumſtantiis & rei qualitatibus: conſequenter nunquam licebit venditori pretiô quôcunque altô, quaſi infinitô, & hoc ipſo exceſſivô mercem vendere: quamvìs praxis in quibusdam ſaltem locis magìs priori ſententiæ videatur ſuffragari.

Quoad monopolia, certum eſt, ſemper ea ſuſpecta & periculoſa eſſe ob hoc ipſum, quia in arbitrio monopoliſtæ eſt, pretia rerum pro ſuo arbitrio ponere, ideóque in communitate res noxia, & legibus improbata eſt, unum tantùm cum prohibitione aliarum certas merces in aliqua provincia venales habere: uti habetur *Lege unic. C. de Monopoliis.* (*A.*) In Confeſſionali & foro conſcientiæ hæc regula dari poteſt: quòd eô pretiô teneantur tales vendere, quo venderent abſtrahendo à monopolio: ſive ſi alij quoque ſimiles merces procurare, & venales exponere deberent: ſecùs, ſi ſummum pretium excedant, damnum injuſtum reipublicæ aut communitati tali inferre cenſeantur.

Quòd ſi tamen aliquis ſuâ induſtriâ ſecretum aliquod utile, ſive medicinale, ſive quodcunque aliud invenerit, & ipſe inventor vendat, meritò ultra pretium materiæ ſive ingredientium aliquid locò honorarij pro inventione accipere poteſt: nam etſi palam diceret, quanti conſtarent ingredientia, nemo, qui talibûs utitur, rationabiliter invitus eſſet, honorarium ſuperaddere: tantum ergò etiam occultè, quaſi pretium rei, exigere poteſt, quantum publicè coram aliis æquis rei & artis æſtimatoribus (v. g. Medicis) ſine rubore & bona fide petere auderet.

Monopolia Principum vel Magiſtratuum ex eo poſſunt excuſari, quatenus vicem aliarum exactionum & collectarum

aliâ

Digitized by Google

aliàs imponendarum ſubeunt: proin ſi juſta cauſa foret imponendi collectam, etiam cum lucro exceſſivo, monopolia (cæteris paribus) licita eſſe poſſunt, remiſsis viciſſim & intermiſsis proportionaliter aliis exactionibus: ubi tamen communiter AA. advertunt. In tali caſu pretium à Principe vel Magiſtratu taxandum eſſe: ne forſan monopoliſta juſtum pretium vel omninò excedat, vel ſaltem res pretiô rigoroſô vendat cum gravi emptorum onere abſque neceſſitate, aut citra Principis voluntatem.

Quantùm ad quarti generis merces, ſicut nec pretium commune habent, nec tamen res ita raræ, ac ſingulares ſunt, ut ſimilem, ſecundùm quam menſurari poſſint, non habeant, ita mediô modô judicandum eſt: ſcilicet, quòd non omninò in libero arbitrio venditoris ſit, tales merces æſtimare pro placito: interim propter reſpectivam raritatem, aut qualitates ſingulares pretium augeri poſſit, attamen hoc moderatè, & ſecundùm prudens æqui arbitrij judicium: practicè in conſcientia tutus erit, qui equum v.g. tanti vendit, quanti bona fide putat ab aliis communiter emi poſſe: vel ſi ita æſtimet rem ſuam, ut credat, ſe coram peritis in dignoſcenda tali merce non reprehendendum de notabili exceſſu. Econtrà tutus non erit, qui intuitu præſentis emptoris, quem minùs intelligentem, aut nimis ad rem affectum advertit, merces majorî pretiô æſtimat, idque ita notabiliter, ut coram aliis peritis & expertis non auderet taliter æſtimare: tunc enim propriâ conſcientiâ teſte terminos juſti, & ſummi etiam pretij exceſſiſſe convincitur.

„ (*A.*) Quotupliciter monopolium contingere poſſit?
„ R. Monopolium fieri, dum unus ſolus, vel pauci ſimul è
„ republica procurant, ut venditio quarumdam mercium pre-
„ tio vel taxato, vel quo ipſis libitum eſt, ad ſe ſolos devolva-
„ tur: & hoc fieri poteſt quatuor modis.

Digitized by Google

„ Primò Authoritate Principis concedentis hoc beneficium „ cuidam, vel paucis quibusdam ex rationabili cauſa: v. g. ob „ præſtita merita, vel mercatorum inopiam, induſtriam, ſpe- „ cialem experientiam &c. & taliter non illicitum eſſe, docet „ Layman. *L.3. tr. 4. c. 17. §. 7. n. 42.* cum aliis communiter: „ modò ex neutra parte ſubrepat fraus, ac pretium ita taxe- „ tur, ut communitas non nimium gravetur.

„ Secundò contingit monopolium, dum aliqui conveniunt, „ & paciſcuntur de non vendendis mercibus, niſi pretiô ſum- „ mô & rigorosô, quod graviter prohibitum eſt citata *L. unic.* „ Ac quamvis Leſſius l. 2. c. 21. dub. 20. Molina, Reginald. „ Bonac. aliique exiſtiment, tales ſecluſa vi & fraude ſolùm „ peccare contra Charitatem, utpote adigentes proximum ad „ emendum magno ſuo incommodo, pretio rigoroſo, cùm „ aliàs facilè emere poſſet pretiô, mediô vel omninò infimô: „ probabiliùs tamen videtur ſentire cit. Laymannus & alij ab „ eo relati: ejuſmodi etiam peccare contra juſtitiam, eò quòd „ omni jure & conſuetudine conceſſum ſit emptoribus, ſi „ pretium taxatum non ſit, de eodem licitari, quo jure per „ dictas conventiones & pacta, illicita & legibus interdicta, „ privantur ementes, ſicque injuriam juſtitiæ propriè dictæ „ oppoſitam patiuntur.

„ Tertiò committitur monopolium, dum unus aut aliqui „ fructus omnes, vel merces cujusdam ſpeciei coemunt vilî „ pretiô, ut eas poſtea tempore cariori revendant magnô ſuô „ lucrô. Et quoad hos AA. iterum non adeò conveniunt. „ Nam Molina, Filliucius, Turrianus & alij cenſent, tales „ non peccare contra juſtitiam commutativam, ſed ſolùm „ contra charitatem, vel juſtitiam legalem, adeoque ſaltem „ non teneri ad aliquam reſtitutionem. Horum ratio eſt, „ quòd nec peccent emendo juſtô pretió, ut ſupponitur: nec „ aſſervando, cùm non teneantur vendere ſaltem ex juſtitia:

„ nec

„ nec denique iterum revendant, niſi juſtô pretiô, eo tempore „ currente : quæ omnia non repugnant juſtitiæ commutativæ. „ Nihilominùs Azor, Reginaldus, Medina & alij volunt, eos „ peccare etiam contra juſtitiam, teneríque ad reſtitutionem, „ eò quòd non vendant res ſuas pretiô juſtô, cùm reſpublica „ jus habeat, ne pretium taliter præcisè ſcilicet magni lucri „ capiendi causâ augeatur, adeoque ſint cauſa injuſta damni „ reipublicæ & civium.

„ Interim non negant AA. allegati, quemvis poſſe ſeclusô „ monopoliô merces ſuas pro libitu ſupprimere uſque ad tem- „ pus opportunum, quia quivis poteſt uti jure ſuo, ac ſibimet „ ipſi omni meliori modo conſulere, de rebúsque ſuis diſponere.

„ Quartò fit monopolium, dum quidam impediunt, ne ab „ aliis merces adducantur, ut ſuas cariorî pretiô vendere „ queant : & hos quoque ſaltem peccare graviter contra cha- „ ritatem, communis tenet DD. eò quòd communitas inde „ notabiliter gravetur. Quòd ſi accedat vis vel fraus, etiam „ peccabunt contra juſtitiam, & erunt obligati ad reſtitutio- „ nem. Tametſi enim communitas non habeat jus ad mer- „ ces alienas & abſentes, habet tamen jus, ne alij vi & fraude „ impediant, eas ad ſe adferri, talitérque pretium notabiliter „ augeri &c.

CASUS CXXI.

IDem mercator ait, ſe emptoribus ob dilatam ſolutionem merces notabiliter cariorî pretiô vendidiſſe : item mutuum indigentibus non dediſſe, niſi accepto pignore, inſuper conſtituto intereſſe, ut vocant 5. vel etiam 6. *per cento.* Demùm univerſaliter conſulit, quomodo & quando culpa & pœna uſurariorum incurratur.

Digitized by Google

RESOLUTIO.

USurarij infame nomen, & uſuras omni jure, id eſt naturali, divino, canonico & civili prohibitas eſſe, omnes fatentur: attamen in praxi vix unquam invenitur, qui ſe vel ultrò fateatur, vel convinci poſſit, ut etiam in foro confeſſionali argui ſe patiatur de hoc crimine. Quod inde provenit, quia, licèt in genere facilè definiri poſſit, quid ſint uſuræ & uſurarij, tot tamen ſunt exceptiones, cauſæ vel prætextus excuſationis, ut vix caſus indubiæ uſuræ remaneat.

In genere uſura tunc committitur, cùm propter pecuniam alteri ad tempus aliquod datam, vel permiſſam lucrum quæritur, & ultra ſortem, ſive id, quod datum eſt, amplius aliquid vi cujusdam pacti aut conventionis accipitur: quod juri naturali propterea repugnat, quia pecunia ex ſe res ſterilis, ac proin contra naturam eſt, velle inde fructum petere, & plus accipere à creditore, quàm datum ſit, & quàm haberet creditor, ſi pecuniam ſuam in ciſta retinuiſſet. Dixi tamen vî pacti cujusdam, vel conventionis. Si enim mutuatarius omninò ſpontè, ultroneè & ex mera liberalitate ſeu gratitudine velit aliquid tribuere mutuanti, uſura non erit: modò non fiat ex titulo cujusdam debiti, ſive expreſſi, ſive taciti & impliciti: ut docet Divus Thomas *2. 2. q. 78. a. 2. in c.* ad mentem Innocent. XI. ſequentem propoſitionem Ord. 42. damnantis: *Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum: ſed ſolùm ſi exigatur tanquam ex juſtitia debitum.* Juri divino ideò repugnat, quia Lex divina fraternæ dilectionis jubet proximo ſubvenire in neceſſitate, cùm ſine incommodo proprio poſſumus: cui contrariatur è diametro, ſi ex neceſſitate proximi occaſionem lucri captare, & aliquid extorquere, quod aliàs non haberemus, itaque indigentem ampliùs per uſuras depauperare præſumamus. Unde Levitici c. 25. dicitur: *Ne accipias uſuras ab eo, nec am-*

Digitized by Google

amplius, quàm dediſti. Et Lucæ 6. *Benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes.*

Sed hinc apparet, quòd in prohibitione juris naturalis & divini ſupponatur, creditorem poſſe ſine incommodo ſuo gratìs dare mutuum, nec aliam cauſam recipiendi fructum aut lucrum ſubeſſe, niſi ipſam ſterilem pecuniam, alteri potiùs ad tempus conceſſam, quàm in ciſta reſervatam. &c. Unde econtrà 1. Uſurarius non eſt, qui cum proprio damno alteri pecunias vel dat, vel debitas ad longius tempus permittit, atque propter hoc ſive ex capite damni emergentis, ſupra ſortem tantundē, quantum ſibi decedit à mutuante, vel è moroſo debitore petit, & accipit. v. g. Si Mercator ob dilatam ſolutionem, vel ob pecunias alteri creditas, viciſſim ipſe ſub uſuris, vel intereſſe, pecunias ſuſcipere, aut defectu pecuniæ numerandæ cariùs ſuas merces comparare debeat &c. Huc etiam ſpectat periculum amittendi ſortem, ſive pecuniam mutuatam: hoc ipſum enim eſt damnum pretio æſtimabile, pecuniam ſuam periculo amiſſionis expoſuiſſe: velut etiam periculum præviſum, quòd tempore placito, cùm ipſe mutuans indigebit, pecuniam mutuatam recipere non poſſit &c. quod periculum, ſicut noſtro tempore communiter ſubeſt, ita ordinariè ex hoc titulo aliquid petere licebit, ut docent Leſſius l. 2. c. 20. dub. 12 & ſeq. Laymannus & alii communiter. Secundò ſimiliter propter lucrum ceſſans licet à debitore tantundem accipere, quantum propter ipſum, id eſt, propter datam, vel permiſſam ipſam pecuniam aliunde decedit in lucro &c. ex quo capite rurſùs à crimine uſurarum excuſantur Mercatores, & quicunque negotiatores accipiendo aliquid titulo intereſſe, id eſt tantum, quanti intereſt, pecunia ad tempus carere debere. Itaque ij ſolùm prohibentur ultra ſortem accipere, qui aliàs pecunias omninò otioſas & infructuoſas in ci-

in ciſta retinerent, uti ſentiunt DD. citati, cum aliis communiter.

Tertiò ulteriùs à SS. Canonibus approbata eſt emptio censûs in certa re fructifera, puta domo, horto, agro &c. ſi emptor irrevocabiliter ex parte ſua, centum v. g. florenos alteri det eo fine, ut ille viciſſim ex domo ſua vel agro, prato &c. det annuum cenſum 5. florenorum: quod vocamus Eingelegte ewige Gilten ꝛc. per quem contractum magnâ ex parte præcaveri poteſt crimen uſuræ, & nihilominùs idem effectus obtineri, qui ex contractu uſurario obveniret: neque tamen hoc contra jus naturæ, vel divinum eſt, quia non petitur fructus ex re ſterili, ſcilicet ex ipſa pecunia, ſed ex re illa fructifera, in qua cenſus conſtitutus eſt, nec propter mutuum indigenti datum, ſed ex contractu emptionis: proinde ſicut res ipſa v. g. domus, ager &c. & in conſequentiam omnes fructus illius, emi licitè poteſt, ita etiam partem ejus, aut partem fructuum ex re tali fructifera annuatim provenientium emere ſine culpa erit. De quo textus eſt *in Extravag. 1. & 2. de Empt. & vendit. &c.*

Imò quartò communiter hodie Doctores defendunt etiam cenſum utrinque redimibilem, nec tantùm in re certa & fructifera, ſed generaliter in omnibus bonis, vel in ipſa perſonæ induſtria conſtitui & emi poſſe, quantum eſt vi juris naturalis & divini, ob rationis paritatem: & quia rationes fundamentales ante memoratæ, propter quas uſuræ contra jus naturæ & divinum ſunt, etiam in his cenſibus utcunque ceſſant: neque enim ex mutuo, ſed ex empto lucrum quæritur: nec ex pecunia ipſa ſterili, ſed ex aliis bonis, arte vel induſtria debitoris, fructus petitur: & hoc ipſum non contra Legem divinam dilectionis fraternæ eſt, quia non ſine cauſa extorquetur, ſed ex contractu emptionis pro pretio legitimo cenſus emptus petitur & accipitur:

atque

Digitized by Google

atque licèt SS. Canones tantùm cenſum irredimibilem ex parte emptoris, item tantùm in re certa fructifera approbent, ac per conſequens hanc, de qua loquimur, emptionem cenſûs improbare videantur: tamen per conſuetudinem ipſis Canonibus (ſecus juri naturali & divino) derogari poteſt. Vide P. Ludovic. Engl in manual. Paroch. p. 2. c. 4. de uſuris.

Unde quintò, quia cenſum vel intereſſe annuum 5. *per cento* non ſolùm admittunt Conſtitutiones Imperii & Bavariæ noſtræ (de quibus meritò dici poſſet, quòd vel tantùm permiſſivæ ſint, vel certè per SS. Canones, utpotè in materia peccati, correctæ &c.) ſed inſuper communis conſuetudo Eccleſiæ communiſſimè, & quidem ſcientibus, approbantibus, imò jubentibus Epiſcopis & Superioribus Eccleſiaſticis pecunias ſuas pro cenſu utrinque revocabili, & ſine reſpectu rei certæ & fructiferæ dare ſoleant: ideò in praxi nullus condemnari, aut peccati argui poteſt, qui iſta exempla ſequendo, propter pecunias alteri datas vel propter ſolutionem dilatam, aut moram, quam alter in ſolvendo committit, 5. *per cento* ſupra ſortem accipit: quamvìs enim talis homo neſciat planè has ſubtilitates, nec proin intendat contractum emptionis potiùs, quàm mutui celebrare &c. tamen vel præſumendum eſt, eum bona fide id agere, & eo titulo 5. *per cento* petere, ſicut alios facere videt, & bonâ conſcientiâ fieri poſſe ſupponit: vel certè etſi reipſa non emptio, ſed mutuum ſit, tamen titulo lucri ceſſantis etiam mutuans hodie 5. *per cento* petere poteſt, hoc ipſo, quia facillimè, tantùm mutato nomine cenſum 5. florenorum vel ab alio, vel ipſo mutuatario conſtituere & emere potuiſſet, adeoque hoc lucrum ceſſat, ſi locò emptionis cenſûs mutuò data eſt pecunia 100. florenorum.

Quòd ſi autem aliquis plus extorqueret ab indigente debito-

bitore, quàm quinque pro centum, injuſta emptio censûs foret: quia cenſus eſt ex iis primi generis mercibus præcedenti Caſu explicatis, quæ pretium auctoritate publica taxatum habent; nam receſſus Imperij & conſtitutiones Bavaricæ, ipſaque conſuetudo, ut dictum, determinant quinque pro centum, & non amplius peti, ac accipi poſſe.

Ex capite verò lucri ceſſantis aut damni emergentis poteſt quidem peti totum, quod decedit, etſi plus ſit, quàm quinque *per cento*, verùm id probari debet: nec præſumitur ex carentia centum florenorum plus damni, aut lucri ceſſantis, quàm quinque: hoc ipſo, quia majus damnum, quod allegatur, aut etiam majus lucrum ceſſans facilè præcaveri potuiſſet, ſi creditor pro ſimili intereſſe viciſſim ab alio tantundem mutuò accepiſſet: ſicut econtrà cuilibet ex mutuo centum florenorum præſumitur ceſſare lucrum 5. florenorum, hoc ipſo, quia, etſi alia occaſio lucrandi nulla appareat, ſaltem dictô modô cenſum emere licitè poſſet &c.

Ex quibus denique ſequitur, tunc ſolùm pœnitentem de crimine uſurarum argui poſſe, ſi ultra prædictum conſuetum cenſum alteri neceſſitatem patienti ampliùs aliquid extorſit: item ſi alia pacta & conditiones à jure & conſuetudine non approbata contractui, ſive mutui, ſive emptioni censûs apponantur: v. g. ut ſi certo conſtituto tempore non ſolvatur, pignus maneat creditori: item ut quaſi in pœnam equum, aliamve rem amittat: item ut creditor fundum occupare, & omnes fructus etiam notabiliter, & omnibus deductis ultra dictum conſuetum cenſum excreſcentes percipere poſſit &c. Et univerſaliter, quod à parte rei plus, vel aliud eſt, quàm vel lucrum in veritate hîc & nunc ceſſans, aut damnum emergens, vel cenſus per conſuetudinem noſtri temporis approbatus, uſura & injuſtitia eſt: atque reſtitutionis obligatio, item pœnæ in uſurarios conſtitutæ, hodiéque locum habent.

Quia

Digitized by Google

Quia verò pœnæ illæ (*A.*) uſurariorum raró hodie incurruntur, & alibi legi poſſunt, pluribus declarare ſuperſedeo.

„ Quæritur adhuc 1. An contractus Mohatras, & Mons „ Pietatis, ut vocant, ſint liciti, vel uſurarij & iniqui? „ Contractus Mohatras eſt, dum mercator e. g. petenti mu- „ tuas pecunias, easdem negat, & harum locò affert merces „ ad creditum vendendas ſummô, vel mediô pretiô, cum hac „ conditione, ut easdem merces petens mutuum ſibi iterum „ revendat, non tamen niſi pretiô infimô intra terminos juſti „ pretij: qui modus vendendi & revendendi apud Hiſpanos „ Mohatras, vel Varatras vocatur, ut explicant Leſſius, Pa- „ lao & alij.

„ Mons Pietatis eſt ærarium quoddam à piis hominibus „ publicè conſtitutum ad mutuandum indigentibus, ea con- „ ditione, ut pro mutuo dato pignus relinquant, recipien- „ dum, ſi intra certum tempus pecuniam mutuò datam reſti- „ tuant: ita tamen, ut parum aliquid de ſorte relinquant, vel „ ad montis indemnitatem ſervandam, vel ad miniſtrorum „ ſuſtentationem: adjectâ inſuper alterâ conditione, ut, ſi „ mutuatarij definito tempore pecuniam mutuatam non ſol- „ verint, eorum pignora publicè divendantur, & detractâ ſor- „ te, exiguóque illo addito, quod pro ſuſtentatione miniſtro- „ rum neceſſarium eſt, reliquum mutuatario ſine Montis lu- „ cro, vel augmento reſtituatur. Finis ejuſmodi montium „ Pietatis in Italia, Belgio, & alibi conſuetorum eſt, ut pau- „ peribus & in neceſſitate conſtitutis ſine fœnore, gratìs ſub- „ miniſtretur mutuum, ne à Judæis, aliísque iniquis fœnera- „ toribus & uſurariis nimis torquerentur, ſed inopia preſſi „ haberent, quo velut ad montem confugerent &c. Jam

„ R. Contractum Mohatras eſſe illicitum & uſurarium. „ Ita DD. communiter, & conformiter prohibitioni Innocen- „ tij XI. ſequentem propoſitionem Ord. 40. damnantis.

Digitized by Google

„ *Contractus Mohatræ licitus eſt, etiam reſpectu ejuſdem per-*
„ *ſonæ, & cum contractu retrovenditionis praviè inito cum in-*
„ *tentione lucri.* Ratio prohibitionis eſt, quòd hujuſmodi
„ contractus verè contineat uſuram mentalem & palliatam,
„ quatenùs ſub prætextu & ſchemate emptionis, & revendi-
„ tionis quæritur lucrum præcisè ex ſorte: ſeu merce magnô
„ pretiô ad creditum conceſſa, & minorî pretiô ſibi revenden-
„ da, ut exinde notabile reſultet lucrum, e. g. centum pro
„ octoginta, ut conſideranti facilè patebit. Econtrà

„ Montes Pietatis nullatenùs ſunt uſurarij, ſed potiùs pij
„ & juſti, non obſtante, quòd de ipſa ſorte intra certum tem-
„ pus aliquid parum relinquendum ſit, tum pro conſervatio-
„ ne ipſius montis, tum ſuſtentatione miniſtrorum. Ita
„ quippe definitum eſt in Concilio Lateranenſi ſub Leone X.
„ *Seſſ. 10.* Ratio eſt. Etſi enim hujuſmodi Montes obliga-
„ tionem involvant dandi aliquid ultra ſortem; cùm id tamen
„ non exigatur tanquam lucrum ex mutuo (quæ eſt conditio
„ eſſentialis, vel potiùs ipſa formalis ratio uſuræ) ſed præcisè
„ fiat ad conſervandum ipſum Montem & ſuſtentandos mini-
„ ſtros, quatenùs operarius dignus eſt mercede ſua: & ipſi
„ Montes neceſſitati aliorum ſuccurrentes, adeoque negoti-
„ um indigentium piè & benè gerentes, æquè digni cenſean-
„ tur, ut indemnitati eorum, quantùm neceſſe eſt, conſula-
„ tur, nulla injuſtitiæ vel uſuræ ratio locum habet.

„ Cæterùm qualiter ejuſmodi æraria, vel negotiationes
„ nummulariæ etiam in Germania inſtituta ſint, vel ſaltem in-
„ ſtitui poſſint, refert Laym. *L. 3. tr. 4. c. 16. n. 11.* Ubi benè
„ monet: privatis perſonis non licere taliter dare mutuum ſub
„ onere recipiendi ultra ſortem, eò quòd in privata perſona
„ non ſubſint illi tituli, nec hæc gerat negotium pauperum ex
„ publica authoritate.

„ (A) Quæritur 2. Quænam pœnæ uſurariis utroque Ju-
„ re

„ re ſint decretæ? R. Præter onus reſtitutionis, quod utri-
„ que uſurario, ſive manifeſto, ſive non manifeſto incumbit,
„ uſurariis manifeſtis (id eſt, qui vel per propriam confeſſio-
„ nem judicialem, vel per plenam probationem, aut ipſius
„ facti evidentiam tales ſunt) ſequentes potiſſimum eſſe con-
„ ſtitutas pœnas. 1. *Quòd ſint ipſo jure infames. cap. Infames.*
„ *§. Porrò. 3. q. 7. c. Inter dilectos. de Exceſſ. Prælat. L. Impro-*
„ *bum fœnus. C. Ex quibus cauſis infam. irrog.* 2. Si Cleri-
„ cus ſit uſurarius, ſuſpendendus eſt ab officio & beneficio:
„ imò ſi admonitus non emendaverit, omninò deponendus.
„ juxta *c. 1. & 7. de Uſuris.* 3. Non eſt admittendus ad S.
„ Communionem Altaris, nec oblationes ejus accipiendæ.
„ *c. 3. eod. tit.* Vi hujus tamen prohibitionis non venire de-
„ cimas, primitias, aliaq; ſalaria Clericis aut miniſtris Eccleſiæ
„ debita; ne ſcilicet vel ipſe uſurarius ex ſua iniquitate ſentiat
„ commodum, vel alij ex ejus delicto patiantur damnum,
„ benè obſervat Caſtro Palao p. 30. n. 7. & alij. 4. Uſurarius
„ in peccato ſuæ injuſtitiæ mortuus, Eccleſiaſticâ ſepulturâ eſt
„ privandus *cit. cap. 3.* 5. Teſtamentum aut alia quævis ul-
„ tima voluntas uſurarij manifeſti ſeu convicti, eſt irrita, ni-
„ ſi ante obitum reſtituerit per uſuras acquiſita: vel ſaltem
„ ſufficientem cautionem per pignora aut fidejuſſores de fu-
„ tura reſtitutione fecerit. *c. In omnibus. de Uſuris.* & *c.*
„ *Quamquam eod. in 6.* Videantur ulteriùs, ſi placet, Bo-
„ nac. de Contract. d. 3. q. 4. p. ult. Laym. ſuprà citatus
„ n. 21. Engl in Manuali Paroch. &c.

CIRCA OCTAVUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.

QUoniam DEUS Optimus per ſecundæ tabulæ præcepta omne damnum, non tantùm facto, ſed etiam verbo committendum, à proximo arcere voluit: idcircò præceptis negativis de non occidendo, non mœchando, non furando ſubdit præceptum de non dicendo falſum teſtimonium: quippe cùm homicidium, adulterium & furtum ipſô factô, manibúsque committi ſoleant, falſum teſtimonium verò linguâ, & ſermone: recto ordine hoc iis immediatè ſubjunxit, ut benè obſervat divus Thomas *2. 2. q. 122. a. 6.*

Prohibetur autem hoc præcepto non modò falſum teſtimonium tum intra, tum extra judicium contra proximum deponendum, ſed & reliqua linguæ vitia, ut ſunt detractiones, calumniæ, mendacia, dicteria, ſcommata, ſuſurra, murmurationes &c. & omnis reliquus linguæ abuſus. Quò verò peccatum hoc linguæ communius eſt hominibus, teſte Pſalmographo: *Omnis homo mendax. Pſal. 125.* eò ſanè frequentiùs meditandum, attentiùs ponderandum, & ſtudioſiùs obſervandum foret, adhortante nos ad id Apoſtolo Jacob. 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* Pro noſtro foro & intento ſequentia breviter excipe.

CA-

CASUS CXXII.

Pœnitens in terminis generalibus ſe accuſat, bis detraxiſſe ſe proximo. Nunquid Confeſſario interrogandum, quid dictum: velut in furto circumſtantiam *quid* interrogare oportet? Item de parvitate materiæ, aut quantitate mortali, quid & quomodo interrogandum, ac judicandum eſt?

RESOLUTIO.

Quidditas detractionis (*A.*) non in verbis, quibus detrahitur, ſed in fama, quæ detrahendo auffertur, vel minuitur, conſiſtit: & quærenti, quid detractum? non aliud reſpondendum eſſet, quàm famam proximi detractam & læſam eſſe. Verba tantùm modus ſunt, quo alterius fama læſa eſt: ſicut ergò in furto non oportet exprimere, quo modô res ablata, imò nec quidditas materialis, an poculum, veſtis, equus &c. ablatus ſit, ſed ſufficit valorem & quantitatem æſtimationis exprimere: ita in detractione non aliud deſideratur, quàm quantum, an ſcilicet graviter & notabiliter, vel leviter tantùm violata ſit fama proximi.

Sed hic labor, atque eadem ſicut in furto difficultas, quomodo hæc quantitas determinari poſſit, & quanta læſio famæ ad peccatum mortale requiratur. Repeto igitur, quæ in materia furti caſu 116 dicta ſunt, & requiro ad detractionem mortalem ex una parte, ut fama, id eſt æſtimatio & bonum nomen reipſa tollatur, & minuatur, idque injuſtè ſive contra jus, quod quisque habet regulariter, nomen & famam bonam procurandi & conſervandi: ex altera parte, ut is, cui detrahitur, ſit rationabiliter & graviter invitus. Ratio eſt, quòd juxta communem DD. illud omne ſit peccatum mortale, quod ex ſua natura graviter offendit Deum, vel proximum: atqui detractio, quæ ſuppoſito jure ad ſuam

famam,

Digitized by Google

famam, eſt tanta, ut alter rationabiliter & graviter ſit invitus, graviter quoque offendit proximum, præſertim cùm fama ſit præſtantior, & pluris æſtimetur, quàm bona fortunæ juxta illud Eccleſiaſt. *41. Curam habe de bono nomine: hoc enim magìs permanebit tibi, quàm multi theſauri magni & pretioſi &c.* ergò ejusmodi detractio eſt peccatum mortale.

Cæterùm tametſi fama magìs & minùs lædi poſſit, quia tamen ex ſe eſt res inæſtimabilis non veniens in commutationem pretii, velut vita: ideò nec pro fama læſa (niſi aliud damnũ concomitanter propter læſam famã eveniat) aliqua pecunia reſtituenda eſt: nec etiam aliud à pœnitente inquiri debet, quàm id unicum, an graviter, & eatenùs detractum ſit, ut alter rationabiliter & graviter invitus vel offenſus ſit. Quod quia in ſpecie Confeſſarius dijudicare non poteſt, niſi cum nova detractione, & læſione famæ alienæ, ſi inquirat, quid & de quo dictum fuerit: imò tametſi tota detractio repeteretur coram Confeſſario, adhuc tamen deciſio ex eo penderet, an detrahens intenderit, vel ſaltem putaverit, & adverterit, graviter lædi famam proximi, ideò omiſsâ aliàs ſcrupuloſâ inquiſitione, ex opinione pœnitentis quantitas ſeu gravitas detractionis determinando, & tunc peccatum mortale cum obligatione reſtituendi cenſendum eſt, ſi pœnitens fateatur, ſe advertenter famam alterius læſiſſe in tantum, ut hic rationabiliter & graviter ſit invitus, vel offenſus, quod per ſequentes caſus magìs declarabitur.

„ (*A.*) Quid & quotuplex ſit Detractio? R. Detractionem eſſe occultam & injuſtam alienæ famæ denigrationem. Etſi autem fama & honor frequenter ſumantur pro eodem, tamen reipſa differunt. Fama quippè eſt communis opinio & æſtimatio boni nominis, ſeu alterius excellentiæ. Honor verò eſt teſtificatio illius excellentiæ, verbô, vel ſignô manifeſtata, ac præſupponit opi-

„ nionem

„ nionem ſeu æſtimationem excellentiæ, ideò enim quis
„ alterum honorat, quia ſupponit & æſtimat, eum honore
„ dignum eſſe. Dicitur autem detractio imprimìs *occulta*
„ ad diſtinctionem à contumelia, quæ fit in præſentia illius,
„ cujus honor violatur, ut dum quis Titium vocat ſtultum
„ in præſentia & faciem illius &c. differt proinde contu-
„ melia ſpecie à detractione, velut rapina à furto, ut do-
„ cet divus Thomas *2. 2. q. 73. a. 1.* & pluribus explicabitur
„ Caſu *136.* 2. *Injuſta*: quatenùs ſcilicet alter jure & ratio-
„ nabiliter poteſt eſſe invitus ob famam, ſeu bonam æſti-
„ mationem ſuam læſam. Nam ſi quis ob juſtam cauſam
„ alterius famam quaſi aggrediatur, v. g. crimen correctio-
„ ne & emendatione dignum ad Superiorem deferat, eò
„ quòd ipſemet fraternè corrigere nequeat, famam alte-
„ rius propriè non lædit, eò quòd non agat injuſtè, nec al-
„ ter poſſit rationabiliter eſſe invitus, quòd deferens præ-
„ ponat vitam ſpiritualem periculo famæ proximi. 3. *A-*
„ *liena famæ denigratio.* Nam ad omnem denigrationem re-
„ quiritur, ut quid dicatur, quo alterius fama & bona exi-
„ ſtimatio in animo proximi reſidens aut omninò extingua-
„ tur, vel ſaltem diminuatur. Detractio porrò eſt duplex,
„ Una formalis, quæ fit animo lædendi famam proximi.
„ Altera materialis, quæ fit abſque intentione famam pro-
„ ximo auferendi: utraque attingit nihilominùs malitiam
„ mortalem, niſi quoad detractionem materialem excuſet
„ vel inadvertentia, vel juſta & ſufficiens cauſa, vel parvi-
„ tas materiæ.

„ Cæterùm contingere poteſt detractio octo modis:
„ quatuor ſcilicet directè: & quatuor indirectè, teſte divo
„ Thoma loco priùs cit: Modi directi exprimuntur hoc
„ verſiculo.

Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens.

„ Scilicet 1. Imponendo cuidam crimen falſum, quod qui-
„ dem ſi ſit grave, & fiat advertenter, ſemper erit peccatum
„ mortale: unde Innocentius XI. damnavit ſequentes duas
„ propoſitiones, quarum prima eſt Ord. 34. *Quidni, non*
„ *niſi veniale ſit, detrahentis auctoritatem magnam, ſibi noxi-*
„ *am falſo crimine elidere.* Altera Ord. 44. *Probabile eſt,*
„ *non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui,*
„ *ut ſuam juſtitiam & honorem defendat, & ſi hoc non eſt pro-*
„ *babile, vix erit opinio probabilis in Theologia.* 2. Ampli-
„ ando, ſeu per auxeſin exaggerando crimen verum. 3. Re-
„ velando crimen occultum, etſi de ſe verum. 4. Siniſtrè
„ factum alterius honeſtum coram aliis interpretando.

„ Modi indirecti ſequenti verſiculô denotantur:

Qui negat, aut minuit, reticet, laudátque remiſſè.

„ Nimirùm 1. Negando alterius honeſta facta. 2. Ea ex-
„ tenuando. 3. Laudem tacendo in iis circumſtantiis, in
„ quibus reticentia, extenuatio, vel negatio cedunt in nota-
„ bile vituperium alterius. 4. Ita frigidè vel ſimulatè alte-
„ rum laudando, ut id vergat in laudati opprobrium. Quòd ſi
„ ex his omnibus detrahendi modis cauſentur diſcordiæ, erit
„ ſimul ſuſurratio. De reliquo detractio, velut etiam contu-
„ melia & ſuſurratio ex genere ſuo ſunt peccata mortalia, uti
„ comunis tenet DD. eò quòd magnô privent hominẽ bonô, ob
„ cujus deſtructionem rationabiliter graviter poſſit eſſe invi-
„ tus: uti quoad duo priora patet ex illo Proverb. 22. *Melius*
„ *eſt bonum nomen, quàm divitiæ multæ &c.* Quoad ſuſur-
„ rationem autem Proverb. 6. *Sex ſunt, quæ odit Dominus, &*
„ *ſeptimum deteſtatur anima ejus: ſcilicet eum, qui ſeminat*
„ *inter fratres diſcordias &c.* Poſſunt tamen omnia tria à
„ peccato mortali excuſari, vel ob parvitatem materiæ, vel
„ ob imperfectionem actûs.

CA-

CASUS CXXIII.

CONſitetur aliquis, ſe delicta proximi aliis recenſuiſſe, ter peccata mortalia: bis tantùm venialia. Numquid ſatis?

RESOLUTIO.

PArùm ad rem facit, an crimina de abſente narrata & propalata ex ſe mortalia ſint, vel duntaxat venialia, ſed eò unicè reſpiciendum eſt, an hìc & nunc ſint infamia, ita ut fama reipſa lædatur, ídque tam graviter, ut alter ſit rationabiliter invitus: quod ex circumſtantiis perſonarum & locorum potiùs, quàm ex gravitate peccati de altero propalati dependet. Sic non graviter invitus cenſeri poteſt, ſpectatîs moribûs noſtri temporis & patriæ, ſi quis e. g. Miles dicatur blaſphemâſſe, ebrius fuiſſe, alterum verberibûs excepiſſe, de inimico vindictam ſumpſiſſe, in duello adverſarium occidiſſe &c.: talia enim, quamvìs mortalia & gravia ſint peccata, tamen non cenſentur valdè infamia, reſpectu ejuſmodi perſonæ proin ſimilia narrando & propalando non cenſetur lædi fama abſentis ſaltem in tantum, ut ille graviter invitus ſpectatîs circumſtantiîs ſit, vel eſſe poſſit. Vide Bonac. de Reſtit. *d. 2. q. 4. p. 2. n. 1.* & alios ibidem relatos.

„ Q. Quid ſentiendum de convitiis muliercularum, alio- „ rùmque infimæ ſortis hominum, quibûs ſe invicem impe- „ tere & laceſſere ſolent?

„ R. Si per hujuſmodi convitia, ſcommata, vel dicteria „ nulla gravis injuria intendatur, ſed vel ex ſubito motu, vel „ mera loquacitate, animi levitate, & innatâ quaſi quibusdam „ mulieribus exorbitantiâ in vitio linguæ proveniant, non fa- „ cilè gravitatem peccati mortalis attingere, tum ob defectum „ ſufficientis deliberationis, tum ob parvitatem materiæ, tum „ etiam, quòd non facilè quis prudens ejuſmodi verbis & di-

„ ſteriis fidem adhibeat. Interim negandum non eſt, frequenter in ſimilibus verborum exceſſibus gravia quoque peccata intervenire: puta, ſi fiant ex odio, animo ſe vindidicandi, proximum graviter contriſtandi, denigrandi, contumeliâ & opprobriô afficiendi: vel ſi fiant ex nimia ira, cum ſcandalo aliorum &c. Nam ut benè obſervat S. Thomas *2. 2. q. 73. a. 2. Peccata verborum maximè ſunt ex intentione dicentis dijudicanda.* Interrogandum proinde erit, qua intentione, quo fine, & in quibus circumſtantiis pœnitens talia fecerit, & proportionaliter reſtitutio, ſatisfactio, vel deprecatio injungenda.

CASUS CXXIV.

ALius nullum peccatum in ſpecie de altero recenſuit, ſed vel tantùm defectus naturales inculpabiles v. g. eſſe ſpurium, indoctum, inhabilem ad officium, ſtuporem &c. vel in genere, eſſe ambitioſum, avarum, colericum &c. nunquid tamen peccavit mortaliter, & opus reſtitutione?

RESOLUTIO.

JUxta modò dicta etiam hic caſus reſolvitur: ſcilicet tametſi id, quod narratur, peccaminoſum non ſit, ſi tamen eſt infame, vel ſaltem læſivum famæ in tantum, ut alter ſit rationabiliter, graviterque invitus, erit peccatum mortale, ſuppoſito (uti ſemper ſupponendum) quòd injuſtè læſio hæc ſeu diminutio famæ fiat.

Unde primò, virum honore conſpicuum, qui publicâ æſtimatione creditur, & habetur omni exceptione major, dicere, & propalare eſſe ex illegitimo thoro, vel parentibus inhoneſtis v. g. lictore, carnifice natum &c. uti hìc & nunc infame eſt, atque æſtimationem graviter lædit, ita tali caſu

cen-

Digitized by Google

cenſendum eſt peccatum mortale & reſtitutio facienda: vel retractando, ſi falſum, vel in alio genere compenſandum, & omni poſſibili modo procurando famam bonam, ſi verum fuit: ut docent Clavis Regia l. 11. c. 6. n. 8. Molina Azor & alii.

At verò ſecundò, dicere aliquem parum doctum, aut minus in arte peritum, communiter non cenſetur detractio mortalis, quia non eſt infame, litteras, vel artem quamcunque neſcire, nec læditur per tale dictum fama illa, ſeu nomen viri boni, & honeſti, quod vitæ æquiparari dicitur, & ex juſtitia cuivis relinqui, ac in unoquoque ſupponi debet, donec contrarium probetur, aut notorium fiat &c. Dicere aliquem idiotam, ſtuporem, aſinum &c. ex modo loquendi ignominioſum quidem, proin ſi præſenti in faciem diceretur, contumelioſum & mortale eſſe poſſet propter læſionem honoris: at ſi de abſente dicatur, adeóque de fama agatur, quia in re non plus dicitur, quàm eſſe indoctum, imperitum, tardi ingenii &c. ordinariè non graviter læditur fama, & ille, de quo dicitur, ſolùm quoad modum, non propter rem ipſam, ſeu famam ablatam invitus graviter cenſeri poteſt. Dixi tamen communiter & ordinariè: nam ſi dolosè ad impediendum aut damnificandum alterum talia dicantur, hujusmodi diminutio æſtimationis ſingularis, hoc ipſo quia doloſa, & graviter damnoſa eſt, licèt famam communem & nomen boni viri forſan non lædat, tamen mortalis eſt, & obligationem reſarciendi omnia damna dolosè illata annexam habet: ut communiter ſentiunt DD. & infrà Caſu 132. magis declarabitur.

Quòd ſi tertiò in genere aliquis vitioſus dicatur, v. g. ambitioſus, ſuperbus, avarus, iracundus &c. diſtinguendum, atque ad circumſtantias, & modum loquendi attendendum eſt; nam ſi tali locutione ſolùm audientibus inge-

ratur naturalis propenſio ad honores, divitias &c. aut ſi ex modo loquendi appareat, quòd ſine certo fundamento, ex mera ſuſpicione, & privatâ, ac paſſionatâ opinione talia dicantur, excuſari à mortali poteſt: ſecùs ſi vitium genericè de alio prolatum ex modo loquendi, & coram his auditoribus ſupponat actum aliquem infamem in particulari præceſſiſſe: v. g. ſi verbîs ſeriîs dicatur, aliquem eſſe luxurioſum, infidelem domino ſuo, hominem nequam &c. tunc enim detractio mortalis, & læſus rationabiliter, gravitérque invitus eſt cenſendus. Vide cit. Clavem reg. & alios ibidem relatos.

„ Q. An omnes detractiones graves ejuſdem, vel diverſæ ſint ſpeciei? R. cum Sayro noſtro, Em. Sa. Filliuc. Valent. Bonac. & aliis. Probabiliùs ſolùm differre numero, adeóque ſufficere in tribunali ſacro, ſi detrahens dicat, toties & toties graviter læſi famam proximi, vel in gravi materia eidem detraxi. Ratio eſt: tum quòd omnes detractiones ad idem vitium reducantur, eodémque præcepto prohibeantur: tum quod eidem moraliter bono, ſcilicet bono famæ, opponantur. Nec refert, unam detractionem eſſe notabiliter graviorem alterâ; item per diverſas detractiones lædi diverſa prædicata, virtutes, ſeu perfectiones in iis, quibus detrahitur: nam diverſitas iſthæc non eſt formalis & ſpecifica, ſed materialis duntaxat & accidentalis. Velut enim damna in bonis fortunæ, quantumcunque diverſis, illata v. g. pecunia, fructibus, pecoribus &c. omnia revocantur ad unam ſpeciem moralem, quia bonum, cum quo oppoſitionem habent, eſt in omnibus moraliter idem, nimirùm pretium & valor rei: ita quoque detractiones (idem cum proportione dicas de contumeliis, judiciis temerariis, odiis erga proximum &c.) licèt inter ſe materialiter, & phyſicè loquen-

„ do,

Digitized by Google

„ do, diverſæ ſint, quia tamen eidem ſpecie bono, ſcilicet
„ bono famæ, ſeu bono nomini, opponuntur: nec detra-
„ hens, regulariter ſaltem, aliud intendat, quàm bonum no-
„ men & famam vel omninò extirpare, vel ſaltem dimi-
„ nuere, idcircò non diverſas, ſed unicam duntaxat ſpe-
„ ciem malitiæ conſtituunt. Ubi tamen adhuc duo benè
„ ſunt obſervanda. Primum eſt, Pœnitentem ſuæ obliga-
„ tioni non ſatisfacere, ſi, poſtquam plurium ſimul famam
„ unâ detractione læſit, in Confeſſione dicat, *ſemel graviter*
„ *detraxi*, ſed debet explicitè numerum, quibus detractum
„ fuit, exprimere. Ratio eſt, quòd plurium diſtincta jura
„ læſerit: etſi enim ejuſmodi detractio materialiter & phy-
„ ſicè loquendo fuerit unica, quia tamen per eam non fa-
„ ma unius duntaxat, ſed plurium, quorum quivis diſtin-
„ ctum & ſingulare habet jus ad ſuam famam, fuit læſa,
„ ideò moraliter & theologicè eſt multiplex, ac conſe-
„ quenter integer numerus, quibus detractum fuit, debet
„ deſignari, ut ſatisfiat Tridentino, præcipienti, ſeu potiùs
„ Legem Chriſti declaranti, omnia gravia peccata ſpecie &
„ numero diverſa, ritè in Confeſſione eſſe exprimenda &c.
„ Alterum eſt, quòd, licèt detractiones diverſæ vel uni, vel
„ pluribus factæ, probabiliùs ſpecie non differant, ſed ſo-
„ lùm numero: quòd, inquam, frequenter novam ſpecie
„ malitiam ob certam quamdam circumſtantiam ſibi ha-
„ beant adjunctam: e. g. ſi quis graviter detrahat Patri ſuo,
„ vel Religioſo, aut Sacerdoti &c. non modò peccat con-
„ tra præceptum octavum, ſed etiam quartum: quatenùs
„ ſcilicet malitiæ detractionis ſuperaddit malitiam contra
„ pietatem, & reverentiam tum Parenti, tum ſtatui Reli-
„ gioſo aut Sacerdotali debitam, uti habetur *Cap. Sacerdo-*
„ *tes 6. q. 1. &c.*

CA-

Digitized by Google

CASUS CXXV.

QUid ſi quis tantùm audita referat ſub ipſis terminis formalibus: v. g. ego audivi Titium commiſiſſe adulterium &c.?

RESOLUTIO.

ATtendendum ad modum & circumſtantias loquendi: qui enim ſic audita refert, ut intendat, vel ſaltem prævideat & advertat, vel advertere debeat, ab his ſuis auditoribus pro veris accipienda, adeóque æſtimationem & opinionem de tali diffamato mutandam: aut tametſi ipſi non credant, tamen per eos aliis magìs credulos referenda eſſe: infamatio vel detractio erit, atque ſi res narrata ex ſe gravis ac infamis ſit, peccatum mortale conſtituet, tanquam notabilis læſio boni nominis & famæ alienæ. Ita uterque Navarrus, Clavis reg. Leſſius, Azor, Valentia & alii. Nec dubitandum, illum, de quo ſermo eſt, graviter & rationabiliter invitum eſſe propter talem relationem, non obſtante, quòd addatur, audita tantùm & relata referri: quia reipſa periclitatur fama, poſſétque talis judicialiter convinci, eſſe malæ famæ (quod nemo non graviter æſtimat) nam fama probari poteſt, & ſolet per teſtes ex auditu deponentes & atteſtantes, quòd ita à viris certis & fide dignis audiverint &c. Ex quo apparet, quàm ſit res periculoſa, audita de aliis temerè referre & narrare, quia ordinariè timendum & præſumendum eſt, auditores ea, quæ taliter narrantur, vel ipſos tanquam vera accepturos, adeóque bonam æſtimationem de altero depoſituros, vel certè pari garrulitate aliis narraturos, cum læſione bonæ famæ.

„ Q. Quid ſentiendum de Detractionibus, quæ etiam mor-
„ tuis ſolent fieri?

„ R. Imprimis certum eſſe juxta omnes: ſi talis diffama-
„ tio, vel infamia inde reſultans redundet in familiam, con-
„ ſan-

Digitized by Google

„ ſanguineos, vel amicos defuncti, detrahentem graviter pec-
„ care, & ad reſtitutionem obligari. Ratio clara eſt, quia ta-
„ liter detrahens grave damnum injuſtè infert proximo: adeo-
„ que tenetur illud compenſare: neque enim dimittitur pec-
„ catum, niſi reſtituatur ablatum.

„ Quòd ſi verò ejuſmodi detractio in neminem vivorum
„ redundet, ſed præcisè mortuum tangat, minus quidem pec-
„ catum erit, quàm ſi detrahatur vivo: poterit tamen quan-
„ doque etiam eſſe mortaliter peccaminoſa. Ita Clavis Reg.
„ *l. 11. c. 7. n. 34.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 2. c. 3. n. 13.* Navar. Fil-
„ liucius & alij. Ratio prioris eſt, quòd vivus plus indigeat
„ ſuâ famâ ad vitam quietè & tranquillè ducendam, ac pro-
„ pterea fama rationabiliter pluris æſtimetur in vita, quàm
„ poſt mortem. Ratio poſterioris eſt, quòd mortuus vivat
„ quaſi in opinione, & æſtimatione hominum, quæ æſtima-
„ tio ſanè non leve quid inter homines cenſetur, ut patet,
„ quòd naturali quadam inclinatione homines appetant non
„ tantùm bonam ſui æſtimationem in vivis, ſed etiam vel glo-
„ rioſam, vel ſaltem laudabilem ſui memoriam poſt mortem
„ in poſteris, in quibus quodammodo vivunt, poſſeſſionem-
„ que ſuæ famæ retinent, quâ ſi iniquè ſpolientur, non leve
„ quid deperdere cenſentur. Accedit, quòd raro mortuis
„ graviter detrahatur, quin ſimul quibusdam vivis notabile
„ nocumentum inferatur: ut colligitur ex illo Eccleſiaſt. 30.
„ *Mortuus eſt Pater ejus, & quaſi non eſt mortuus: ſimilem*
„ *enim reliquit ſibi poſt ſe. In vita ſua vidit, & lætatus eſt in*
„ *illo, in obitu ſuo non eſt contriſtatus, nec confuſus coram ini-*
„ *micis: reliquit enim defenſorem contra inimicos, & amicis*
„ *reddentem gratiam &c.*

„ Quoad reſtitutionem mortuis faciendam cenſent quidem
„ aliqui, eam univerſim faciendam eſſe conſanguineis & ami-
„ cis defuncti: ſed quia hi non ſemper læduntur, nec propriè

„ ſucceſſores aut hæredes famæ defuncti ſunt, ideò alij cum „ Franc. Bonæ Spei meliùs ſentire videntur dicendo, vel auditores aliter eſſe informandos; vel ut volunt Molina. Rebellus & alij apud Bonac. *de Reſtit. d. 2. q. 4. punct. 2. n. 4.* „ omni meliori modo defunctis eſſe ſubveniendum per exhibitionem ſuffragiorum & bonorum ſpiritualium, quæ iisdem magis videtur accepta, quàm alia ſatisfactio, quæ „ minùs pro eo ſtatu prodeſt.

CASUS CXXVI.

ITem ſi dicat ſub dubio: Credo, ſuſpicor, Titium eſſe adulterum; idque, vel nullam omninò cauſam addendo, vel certè talem, quæ non concludat, nec ſufficiat.

RESOLUTIO.

ETiam hujus Caſûs deciſio ex circumſtantiis & qualitate auditorum pendet: ſi quis enim prævidet, auditores credituros id, quod ſub dubio & ſine fundamento dicitur: vel aliis tanquam verum narraturos læſio famæ, & conſequenter in materia gravi grave ac mortale peccatum erit, ut Caſu præcedenti declaratum &c.

„ Q. Quale ſit peccatum, audita aliis referre ut talia? „ R. conformiter primùm dictis, reſolutionem hujus Casûs in „ tribunali ſacro perfrequenter occurrentis à circumſtantiis „ quoque deſumendam eſſe. Unde 1. inſpiciendus animus „ & intentio loquentis. Vel enim occultum alterius crimen „ ut auditum referens aliis, facit id animo detrahendi & diffamandi alterum, & tunc extra dubium eſt, talem in materia gravi peccare graviter, & ad reſtitutionem teneri, eò „ quòd ſit directa & efficax cauſa damni ſecuti. Quòd ſi forſan advertat, & certus ſit, fidem ſibi non adhiberi: liber

„ qui-

„ quidem erit ab onere reſtitutionis, non tamen à peccato gra-
„ vi interno detractionis ob perverſam ſuam voluntatem &
„ intentionem. Vel id facit, non animo detrahendi, nec
„ cum periculo gravis cujuſdam diffamationis ſecuturæ, ſed
„ ex mera loquacitate, vel joci cauſa, proteſtando interim,
„ ſe delictum nullatenus aſſeverare, ſed præcisè ut auditum
„ referre &c. & tunc etſi non peccet mortaliter, ſemper ta-
„ men peccabit venialiter contra charitatem, non obſervando
„ præceptum naturale & divinum dilectionis proximi. *Quod*
„ *tibi non vis fieri, alteri ne feceris &c.*

„ Secundò: conſiderandæ quoque circumſtantiæ ipſorum
„ auditorum, ſeu audientium talia proferentem. Vel enim
„ primò mere auſcultant, nullam fidem adhibendo: juxta il-
„ lud Poetæ.

„ *Rara fides ideò eſt, quia multi multa loquuntur.*

„ Vel 2. credunt: & hoc quidem vi ac pondere ipſius narra-
„ tionis, ſeu ob Authoritatem loquentis. Vel 3. ſaltem ex
„ animi levitate, juxta illud Eccleſiaſt. c. 19. *Qui citò cre-*
„ *dit, levis eſt corde.* Si primum. Referens liber erit tam à
„ gravi peccato, quàm onere reſtitutionis, quia taliter non
„ auffert, nec lædit famam proximi: modò, ut ſupponitur,
„ nullam aliam habuerit malam intentionem. Si ſecundum.
„ Narrans peccat graviter, & quidem contra juſtitiam, erit-
„ que obligatus ad reſtituendum. Etſi enim delictum alte-
„ rius occultum de ſe non affirmet, nec confirmet, ſed ut me-
„ rè auditum referat, quia tamen animadvertit, ſuam narra-
„ tionem & authoritatem adeò pollere penès audientes, ut ob
„ eam dictis fidem admoveant, jam eſt cauſa damni ſecuti, &
„ diffamationis, ac conſequenter graviter peccat, & obligatur
„ ad reſtitutionem: ut cum Leſſio & Molina communiter do-
„ cent DD. Si tertium. Licèt denuò propalans occultum cri-
„ men aliis expreſsè aſſerat, ſe nihil certi ſcire, ſed tantùm

 „ recen-

Digitized by Google

„ recenſere audita, nihilominùs peccat graviter contra cha„ ritatem, etſi non contra juſtitiam, nec obligatus ſit ad re„ ſtitutionem.

„ Quòd non peccet contra juſtitiam, eſt ratio, quia, cùm „ audientes credant ex mera animi levitate, & anili, vel ſtul„ ta potiùs quadam promptitudine ad malè ſentiendum de „ aliis, non verò vi narrationis, ſeu authoritatis ipſius lo„ quentis, etiam non huic, ſed ipſismet ita leviter credenti„ bus & ſentientibus concepta minor æſtimatio, & diffamatio „ eſt adſcribenda: & conſequenter referens tam à peccato in„ juſtitiæ, quàm onere reſtitutionis manet liber: ut docet S. „ Antonin. *p. 2. tit. 2. c. 2. ꝑ. 3.* Cajet. Sylveſter & alij. „ Quòd autem graviter peccet ſaltem contra charitatem, ex „ eo eſt: tum quia audientes tam temerè & leviter credendo „ ſcandalum patiuntur: tum quia alter ex occaſione talis „ narrationis famæ jacturam incurrit. Videatur Diana *p. 3. „ tr. 5. reſol. 28.* Leſſius *c. 11. dub. 5.* Molina & alij.

CASUS CXXVII.

ALius gravia quidem, & his ſuis auditoribus occulta, narrat: attamen talia crimina, quæ aliis & alibi nota, vel certè ex poſtfacto, etiam his auditoribus aliundè denuntiata ſunt. Numquid tamen ratione detractionis arguendus, atque ad reſtitutionem obligandus talis?

RESOLUTIO.

DIſtinguendum, an jure, vel injuriâ is, de quo ſermo eſt, alibi ſit infamatus. Si enim jure, in judicio vel per ſententiam judicis crimen publicatum, aut publicè punitum eſt in certo loco, reus famâ & nomine ſuô bonô abſolutè privatus, neque ultra jus habere cenſendus eſt, ut pro bono habeatur hoc ipſo, quia probatus & declaratus eſt, eſſe malus: conſe-

Digitized by Google

conſequenter qui talia crimina narrat, non facit injuriam, nec tenetur ad reſtitutionem: ut cum probabiliori docent Lugo, Leſſius, Layman. Tambur. Haunoldus & alij. Idem cum proportione dici poteſt cum citatis AA. de eo, qui notoriè & publicè deliquit, adeoque ſua ſponte famam & nomen bonum ſuum perdidit.

Aliud, ſi quis detractoriè & vitio privatorum diffamatus in certo loco eſt, tunc enim vis famæ manet reſpectu aliorum locorum & hominum, ubi adhuc extat nomen boni viri: conſequenter qui in tali loco, & reſpectu talium perſonarum eundem infamat, non minùs injuriam facit reſpectivè, quàm priores illi in primo loco detrahentes. Ut communis tenet DD.

Quòd ex poſtfacto per talem, vel qualemcunque detractionem commiſſam, per accidens & ex improviſo etiam per alios idem factum, ſeu delictum innoteſcat, & publicetur, non excuſat à peccato mortali, hoc ipſo, quia per accidens eſt, nec prævíſum. Excuſare tamen à reſtitutione quandoque, eò quòd ex tunc fama alterius non per primum detrahentem, ſed abſolutè per publicationem infamis exceſſûs ablata eſt, nec reſtitui ultra poteſt. Si verò ſecutura publicatio non per accidens ſe habeat, ſed rationabiliter prævideri potuit, puta, ſi loci ita vicini, commercia & communicatio tanta ſint, ut moraliter certum ſit, id quod in loco vicino publicum, vel in uno oppido, vico &c. pluribus notum eſt, paulò pòſt ad notitiam omnium, vel ſaltem horum, quibus tu narras, perventurum, hæc præventio non eſt cenſenda peccatum mortale, quia, licèt alterius famam pro nunc graviter lædat, quia tamen in his circumſtantiis mox exſpiratura eſt, non magni valet: nec ille, cui detrahitur, graviter invitus cenſeri poteſt, eò quòd non tam in re, quàm in tempore damnificetur: prout ſuprà Ca-

 ſu 114.

Digitized by Google

ſu 114. de furto rei aliàs perituræ dictum &c. Vide cit. Clavem reg. à n. 22. & alios ibidem relatos.

„ Ad majorem hujus materiæ declarationem. Quæri„ tur. Quot modis dicatur aliquid publicum: & quæ no„ torietas, ſeu publicatio ſufficiat, ut quis nec contra juſti„ tiam, nec charitatem peccet, narrando aliis, ſive in eo„ dem, ſive alio loco, crimen occultum, ſed verum? R. „ Tripliciter dici aliquid publicum, ſeu notorium. 1. No„ torium jure. 2. Ipſo facto. 3. Famoſum. Notorium „ juris eſt: de quo aliquis in judicio vel condemnatus, vel „ confeſſus, vel per ſufficientem teſtium depoſitionem eſt „ convictus: ut colligitur *ex cap. Cùm olim de Verb ſignif.* No„ torium facti dicitur, quod in quadam Communitate, Ci„ vitate, Collegio &c. ita eſt perpetratum, ut nulla poſſit „ tergiverſatione celari: prout habet, Gloſſa *in cap. Veſtra de* „ *cohabitat: Cleric. & Mulier.* Vel ut Molina deſcribit: quan„ do res limites ſecreti & occulti ita egreditur, ut pruden„ tis arbitrio, & attentâ communi hominum conditione „ moraliter certum ſit, rem eſſe ulteriùs evulgandam. Fa„ moſum eſt: dum fama ex ſufficientibus indiciis orta in„ notuit mediæ, vel majori parti cujuſdam viciniæ, pagi, pa„ rochiæ &c. Hoc notato jam

„ Quantum ad ea, quæ notoria juris ſunt. R. 1. Cri„ men notorium in judicio ex teſtium duntaxat depoſitio„ ne, vel propriâ ipſius rei confeſſione abſque injuria non „ poteſt evulgari. Ita Molina *diſp. 33. concl. 4.* Laym. & alii. „ Ratio eſt, quòd ejuſmodi crimen nondum ſit publicum „ in ordine ad populum, vel communitatem, ſed præciſè „ in ordine ad judicem, ut poſſit juxta allegata & probata, „ vel ultrò confeſſa procedere, reúmque condemnare: a„ deóque reo ſit injuria, ſi ante publicationem ſententiæ, „ & actualem ablationem juris ad famam crimen extra ju-

„ dici-

Digitized by Google

„ dicium evulgetur, cùm reſpectu populi adhuc ſit in poſ-
„ ſeſſione ſuæ famæ: quamvìs à mortali quis excuſari poſſit,
„ ſi crimen per judicem mox, vel brevì ſit publicandum,
„ vel ipſe reus non ampliùs multùm æſtimet ſuam, nec gra-
„ viter ſit invitus, etſi divulgetur.

„ R. 2. Si crimen ſit publicum publicitate juris per de-
„ clarationem ſententiæ judicialis &c. etſi poſſit divulgari
„ ubivis terrarum, quin peccetur contra juſtitiam, eò quòd
„ reus per juſtam & publicam ſententiam ſit privatus jure ad
„ ſuam famam, ut dictum in Caſu: probabiliùs tamen gra-
„ viter peccatur contra charitatem, ſi divulgetur in locis ab
„ eadem Republica, vel Communitate adeò diſſitis, ut infa-
„ mia non facilè eò eſſet perventura. Ita contra Navarrum,
„ Cajetanum, Fagundez &c. teſte Leſſio loc. cit. n. 79. ferè
„ communis aliorum. Ratio eſt, quòd proximus meritò id
„ ægerrimè ferre poſſit, juxta præceptum: *Quod tibi non
„ vis fieri, alteri ne facias:* ſimúlque graviter contriſtetur
„ & lædatur in re magni momenti. Nec refert, judicem
„ privare ejuſmodi reum ſuâ famâ tum in pœnam criminis:
„ tum ad alios abſterrendos. Nam ſufficit id fieri intra tan-
„ tam latitudinem locorum, quo rumor delicti ex vi ſen-
„ tentiæ latæ eſt perferendus. Abſterreri quoque alii lon-
„ giùs diſtantes ſatìs queunt, ſi delictum & ſupplicium evul-
„ gentur tecto nomine & perſonæ puniti: ob quam cauſam
„ non deſunt apud Clavem reg. *l. 11. c. 6. n. 25.* qui velint in
„ tali caſu peccari quoque contra juſtitiam: eò quòd reus
„ non abſolutè privetur ſuâ famâ, ſed tantùm eò uſque quo
„ ſe rumor delicti vi ſententiæ publicatæ vel actu extendit,
„ vel moraliter certò eſt extenſurus: de reliquo verò ma-
„ neat in poſſeſſione boni ſui nominis & famæ.

„ Quoad ea, quæ notoria & publica ſunt publicitate facti
„ ſimili modo cum proportione diſcurrendum eſt. Scili-
„ cet

Digitized by Google

„ cet ſi crimen ſit publicum ſimpliciter & abſolutè (nam ſi „ ſolùm ſit publicum in privata quadam communitate, e. „ g. Monaſterio, Familiâ, Viciniâ &c. non cenſetur publi- „ cum ſimpliciter, ſed cum limitatione ad illam familiam, „ viciniam &c. ut benè obſervat Clariſs. noſter P. Petſcha- „ cher hìc *q. 5. a. 3. ℈. Dico. 2.*) probabiliùs quidem non pec- „ cari contra juſtitiam, etſi ubivis ſpargatur: eò quòd ſic „ publicè delinquens cenſeatur ultrò cedere jure ſuo ad fa- „ mam propriam, perinde habendo, quis ſciat, vel neſciat, „ ut docent Cajet. Navar. Major. Lugo. Sera. Azor. Filliuc. „ Fagund. Diana. Leſſius n. 75. & alij. Nihilominùs contra „ charitatem graviter peccari, ſi crimen evulgetur modo „ priùs explicato, communior tenet D.D. conformiter „ mandato juris naturalis: *Quod tibi non vis fieri &c.*

„ Demùm quando aliquid in quadam Communitate, „ Vicinia, Parochia, Collegio &c. famoſum, ſeu tot mem- „ bris illius Communitatis ita jam manifeſtum eſt, ut mo- „ raliter impoſſibile ſit, non ulteriùs evulgari: non peccat „ mortaliter, qui ejuſmodi crimen aliis ex eodem loco vel „ communitate manifeſtat: nam tunc cenſetur criminoſus „ jam ſpoliatus jure ac poſſeſſione ſuæ famæ penes talem „ communitatem, nec prudenter poteſt graviter ferre ul- „ teriorem evulgationem, cùm hæc moraliter loquendo „ non ampliùs ſit impedibilis. Et in hoc AA. paſſim con- „ veniunt.

„ At verò, quot perſonis aliquid debeat eſſe notum, ut „ verè dici poſſit famoſum, vel notorium notorietate facti, „ adhuc ſub judice lis eſt, nec AA. conveniunt. Aliqui id „ prudentis arbitrio conſideratis circumſtantiis definien- „ dum relinquunt. Quidam exigunt, ut crimen ſit notum „ potiori parti communitatis. Nonnulli putant, ſufficere, „ ſi ſit notum ſaltem medietati. Molina to. 5. tr. 4. d. 31.

„ in-

Digitized by Google

„ inquit : Si communitas conſtet octo perſonis , ſufficere , ſi
„ crimen ſit notum 4. Si conſtet viginti , ſufficere 7. vel 8.
„ Si ex centum , ſufficere 15. vel 20. ſparſim ſumptis &c. Tam-
„ burius in Decalog. *l. 9. c. 3. §. 2. n. 10.* ſequentem tradit re-
„ gulam. *Tunc crimen dici publicum in præſenti , quando pru-
„ denter , & ex circumſtantiis judicatur , illud facilè fore com-
„ muniter evulgandum :* ſubintellige ex inconſideratione, lo-
„ quacitate, bona fide abſque injuſtitia. Fermè ſimilem tra-
„ dit Haunoldus *tr. 2. c. 5. n. 544. Si tot homines & talis con-
„ ditionis ſciant delictum , ut , etiamſi ulterior evulgatio eſſet
„ prohibita , parùm tamen ea prohibitione impediretur , quò
„ minùs ulteriùs evulgaretur , ſive id proveniret ex talium ho-
„ minum inconſiderantia , ſive nimia loquacitate &c. tunc
„ cenſeri , delictum eſſe ſufficienter publicum , ut ſine vitio poſſit
„ ulteriùs evulgari : quia in tali caſu ſpes retinenda bona fa-
„ mæ apud alios eſt ferè nulla &c.*

„ Quisque Confeſſarius pro tribunali ſacro illam ſenten-
„ tiam vel regulam aſſumat, quam tutò & ſine remorſu con-
„ ſcientiæ propriæ ſe ſequi poſſe judicat.

CASUS CXXVIII.

VIr bonæ cæteroquin conſcientiæ , & cautus circa vitia linguæ , offenſam propriam v. g. quòd ſibi furtum factum , aut injuria irrogata à Titio ſit : amico vel obvio cuicunque narrat , an pro detractore judicandus & obligandus ?

RESOLUTIO.

NOn eſt detractio , injuriam ſibi factam causâ conſilij, vel accuſationis, vel ex alia juſta cauſa manifeſtare : neque enim alter jus habet impunè offendendi : nec rationabiliter invitus eſſe poteſt , ſi offenſus propter ſuum intereſſe , vel

 etiam

Digitized by Google

etiam propter intereſſe reipublicæ, ne delicta maneant impunita, vel ad cautelam & præcavendam ſimilem offenſam in altero &c. injuriam, quam paſſus eſt, aliis manifeſtet. (*A.*)

Quòd ſi offenſus ſine effectu aut ullâ indè ſperatâ utilitate iis, qui nihil juvare poſſunt, crimen in ſe occultè commiſſum recenſeat, diſtinguendum eſt: nam ſi id poſt recentem offenſam fiat, videtur aliquid indulgendum juſto dolori, & locò intereſſe hoc accipiendum, quòd offenſus ſaltem ſolatium, aut conſolationem ex eo accipiat; ſi aliis querelando aperiat ſuam afflictionem: nec offendens jus habere videtur hoc prohibendi &c. Ut docent Leſſius *l. 2. c. 11. dub. 12.* Pet. Navar. *l. 2. c. 4. n. 345.* Tambur. *l. 9. c. 3. §. 2. n. 27.* aliique.

At ſi ex longo intervallo poſt ſedatum primum dolorem aliquis temerè ſine alio effectu, aut intereſſe ſuo propalet v. g. Titium ſibi furtum, calumniam, fraudem feciſſe, ad uxorem acceſſiſſe &c. talis detractor eſt, quia alter in quieta poſſeſſione ſuæ famæ eſt, quâ ſpoliari non poteſt, niſi per viam juris: quo modo etiam in furto rem ablatam in continenti quidem perſequi, & propriâ auctoritate repetere: at ex intervallo, poſtquam fur in quieta poſſeſſione eſt, id non niſi per judicem & viâ juris licet, ut communis tenet DD. ſententia.

„ (*A.*) Ob quas potiſſimùm cauſas licitum ſit crimen alterius occultum aliis revelare?

„ R. Veluti crimen falſum ſcienter de aliquo ſpargere, vel eidem imponere, ſemper illicitum, & in materia gravi graviter quoque peccaminoſum, contra negativum Decalogi præceptum: *Non falſum teſtimonium dices;* eſt: ita crimen cujusdam occultum quidem, ſed verum ob graves & rationabiles cauſas quandoque pandere non modò non illicitum, ſed etiam graviter præceptum eſt. Et conſtat 1. Quòd vi certarum Bullarum & Decretorum Pontificiorum, ut Pij V. Bonifacij VIII. Sixti IV. &c. fieri debeant denuntiationes

„ cer-

„ certorum quorumdam gravium criminum, utut occultorum „ v. g. Hæreſis, Sollicitationis in Confeſſione &c. Unde ab „ Alexandro VII. prohibitæ ſunt ſequentes tres propoſitiones „ Ord. 5. 6. & 7. *Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum „ eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.* „ Et: *Confeſſarius, qui in ſacramentali Confeſſione tribuit pœ„ nitenti chartam, poſteà legendam, in qua ad Venerem inci„ tat, non cenſetur ſollicitâſſe in Confeſſione, ac proinde non „ eſt denunciandus.* Et: *Modus evitandæ obligationis denun„ ciationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic po„ teſt ipſum abſolvere abſque onere denunciandi.* Secundò. Li„ citè crimen occultum manifeſtatur ad capiendum conſili„ um vel auxilium à Viro prudente: quia quivis licitè poteſt „ uti jure ſuo, ut docet Leſſius loc. jam cit. ubi tamen benè „ duas adjungit conditiones: ne ſcilicet nomen perſonæ ex„ primatur, niſi neceſſe ſit: nec pluribus crimen manifeſtetur, „ ſi unus ad conſilium vel auxilium ferendum ſufficiat. Quod „ ipſum etiam à Prælatis requirit Laymannus *l. 3. tr. 3. p. 2. „ c. 3. n. 5.* dum adhibent conſiliarios in puniendis delictis „ ſuorum ſubditorum. Tertiò. Ad impediendum majus „ damnum ſive ſpirituale, ſive temporale non tantùm com„ munitatis, ſed etiam cujusvis perſonæ privatæ, vel ipſius „ criminoſi, in quantum ſcilicet manifeſtatio criminis ad hu„ juſmodi damnum avertendum eſt neceſſaria. Ita Clavis reg. „ *l. 11. c. 6. n. 18.* Bonac. Leſſius & alij communiter. Ratio „ eſt. Quòd non omnis manifeſtatio criminis ſecreti ſit de„ tractoria & illicita, ſed ſolùm illa, quæ eſt inordinata: at„ qui quæ fit ad avertendum majus, vel æquale damnum, „ quàm ſit illud, quod oritur ex manifeſtatione talis crimi„ nis, non eſt inordinata, ſed ordinata, utpote conformis „ legibus Charitatis: vî cujus non ſolùm poſſumus, ſed fre„ quenter etiam tenemur conſulere bono publico, bono in-

 „ nocen-

„ nocentis vel proprio: ergò non eſt illicita vel detractoria.
„ Unde ſi ſcias, quemdam eſſe furem, poteris illos admonere, quibus imminet grave damnum. Si tibi ſit notum, „ Medicum, vel Chirurgum in ſua arte non eſſe ſatis peritum, defectus eorum occultos poteris manifeſtare in tantum, ne alij defraudentur, vel damnificentur. Si tibi conſtet, aliquem eſſe promovendum ad certam parochiam, „ aliúdve officium, vel dignitatem cum detrimento animarum, vel gravi damno ſubditorum, deſtructione juventutis &c. poteris, imò ex charitate frequenter, vel aliquando „ etiam ex juſtitia teneberis, illius incapacitatem, vel pravitatem detegere. Si noveris, innocentem ob falſi criminis impoſitionem eſſe privandum vitâ, ordinariè teneberis „ occulti criminis auctorem revelare, ut ſalves innocentem „ &c. modò manifeſtatio, ut dictum, ſit medium neceſſarium, nec aliâ commodiorî viâ malum averti poſſit.

„ Quòd ſi dubium ſit, an manifeſtatio ſit profutura? Vel „ an malum non aliâ viâ averti queat? Vel an damnum, quod „ impeditur, præponderet damnô, quod ſequitur ex manifeſtatione? Adhuc poteris manifeſtare, quia in dubio, & „ parî causâ potiùs favendum eſt innocenti, utpote cujus „ cauſa, cæteris paribus, ſemper prævalet: ut docet Herinx „ *d. 7. q. 4. n. 52.* cum præcitatis Authoribus.

„ Quartò. Juxta probabiliorem ſententiam poteſt, & debet „ pœnitens in confeſſione manifeſtare complicem occulti criminis, ſi aliter nequeat peccatum ſuum explicare: e. g. commiſit quis inceſtum in 1. conſanguinitatis gradu: Confeſſario autem notum eſt, pœnitentem nec ampliùs habere „ matrem, nec filiam: adeoque neceſſariò ſequitur, ipſum „ peccâſſe cum propria ſorore, benè notâ Confeſſario: talis, „ inquam, non tantùm poteſt, ſed etiam probabiliùs tenetur „ ſuum peccatum ritè explicare, non obſtante, quòd complex

„ pro-

Digitized by Google

„ propterea notus fiat Confeſſario : ſuppoſito , quod præce-
„ ptum confeſſionis urgeat , nec facile alius Confeſſarius ha-
„ beri poſſit : ut docent Divus Thomas *in 4. d. 16. q. 3. a. 2. quæſtiunc. 5.* S. Bonavent. Durand. Paludanus , Cajet. Medina. Roſella. Victoria. Corduba. Toletus , Saa. Suarez, Laym. & alij quàm plurimi.

„ Ratio eſt 1. Quia , ſi aliquid obſtaret , eſſet infamia, „ vel diffamatio complicis penès Confeſſarium incurrenda : „ atqui hæc non obſtat : ergò nihil obſtat. Min. prob. Diffamatio ipſius pœnitentis penès Confeſſarium non obſtat, „ quin poſſit , & debeat peccatum ſuum ritè explicare in confeſſione , quoniam aliàs fermè nullus teneretur grave peccatum confiteri , ne apud Confeſſarium diffamaretur , quod „ utique eſt abſurdum : ergò nec diffamatio complicis obſtabit. Conſeq. prob. Nemo tenetur magìs procurare bonum „ famæ proximi , quàm ſui ipſius : ergò ſi diffamatio ſui ipſius „ non obſtat , quin teneatur ritè confiteri ſuum peccatum , nec „ obſtat diffamatio proximi ſeu complicis. Accedit , quòd „ ſtante ſententiâ contrariâ conjuges , ſi ſint noti Confeſſario, „ nunquam teneantur peccata ex abuſu matrimonij invicem „ commiſſa confiteri , quod non minùs videtur abſurdum, „ quàm ſcandaloſum.

„ Ratio eſt 2. Ob alias graves & rationabiles cauſas poteſt „ occultum crimen manifeſtari cuidam Viro prudenti , ut patet ex dictis n. 3. : ergò id ipſum poteſt fieri , ut obſervetur „ præceptum divinum de integritate confeſſionis ; & quidem „ eò magìs , quò ſecurior eſt pœnitens , ne à Confeſſario ſecretiſſimè , & ſub obligatione ſigilli ſacramentalis communicata revelentur.

„ Ratio eſt 3. Quòd complex in tali caſu non poſſit rationabiliter eſſe invitus ratione manifeſtationis ſui criminis occulti , quia per perpetrationem ſceleris ſe ipſum ſubjecit vo-

„ luntariè & ſcienter huic juri, quod habet pœnitens, ut „ poſſit ritè, & debitè explicare peccatum ſuum in con- „ feſſione: ergò &c.

„ Neque obſtat potiſſima ratio adverſæ ſententiæ in hunc „ modum proponi ſolita. Quando concurrunt duo præ- „ cepta, unum naturale v. g. juvandi proximum in extrema „ neceſſitate conſtitutum: alterum verò poſitivum e. g. „ audiendi Sacrum die feſto, tunc omiſſô præceptô poſi- „ tivô, ſervari debet naturale: atqui ad proximum non „ diffamandum obligamur jure naturæ, ad integritatem „ verò confeſſionis ſolùm jure poſitivo: ergò hôc præter- „ miſſô, ſi ambo concurrant, obſervari debet alterum. „ R. negando ſuppoſitum min. quòd in tali caſu lex na- „ turalis de proximo non diffamando currat. Hæc enim „ ſolùm datur, ne proximus ſine juſta, & rationabili cauſa, „ & in quantum jus habet ad ſuam famam, diffametur: in „ tali autem caſu pœnitens utique habet ſufficientem & „ urgentem cauſam, quia nimirùm aliter ſuum peccatum „ non poteſt explicare, ac præcepto divino de integritate „ confeſſionis ſatisfacere: ex altera verò parte ipſe com- „ plex, per admiſſionem ſceleris in confeſſione explicandi, „ implicitè ceſſit jure ſuo, ne coram Confeſſario diffame- „ tur: undè etiam ejuſmodi diffamatio non eſt formalis, „ ſed ſolùm materialis: ergò &c.

CASUS CXXIX.

NOnnemo confitetur, ſe grave crimen proximi narrâſſe, ſed uni tantùm, adeoque (prout opinatur) ſine notabili damno famæ. Scire quidem ſe, quòd ille rurſus aliis pluribus idem crimen propalârit, ſed hoc præter intentionem ſuam factum: adeoque ſibi nec quo-

ad

ad reatum peccati, nec quoad reſtitutionis obligationem imputari poſſe judicat. Num benè?

RESOLUTIO.

CRimen occultum de aliquo uni ſoli, qui rationabiliter judicari & præſumi poteſt, nulli alteri eſſe manifeſtaturus, ſine peccato mortali, & ſine obligatione reſtituendi, narrari poſſe, multi probabile cenſent: maximè ſi perſonæ conjunctæ, & cui ex ſpeciali ratione quisque ſua ſecreta aperire ſolet, v. g. Confeſſario, Advocato, Conſiliario, Patri, Marito, Superiori &c. crimen alienum aperiatur: quia ſuppoſito, quòd crimen non ſit planè ſecretum, ſed ipſi narranti ſaltem notum, parùm intereſt, etiam alteri, adeoque duobus notum fieri, proin is, de quo narratur, non graviter læſus in fama, nec graviter ac rationabiliter invitus eſſe præſumi poteſt: maximè ſi alter ille, cui narratur, ſingulari familiaritate, aut aliâ relatione narranti ita conjunctus eſt, ut quaſi pro una perſona cenſeri, & quod uni innoteſcit, in conſcientiam alteri non celandum ſupponi poſſit. Vide Bonac. *de Reſtit. in part. d. 2. q. 4. p. 3. à n. 1.* Leſſium *l. 2. c. 11. dub. 11.*

Quia tamen ordinariè & practicè loquendo ferè ſemper prævideri poteſt, & rationabiliter cogitari debet, eum, cui quis infame factum proximi ex garrulitate manifeſtat, pari modo narraturum tertio, hunc quarto, & ita tandem gravem infamationem ſecuturam, ideò ordinariè & practicè non eſt excuſandus à mortali, nec deobligandus à reſtitutione, etiam qui uni tantùm temerè & ſine ſpeciali cauſa alienam infamiam detegit. (*A.*) Neque excuſat, non intendiſſe, quòd alter rurſus aliis narraturus ſit: ſufficit enim prævidiſſe, aut prævidere potuiſſe, ac debuiſſe.

Porrò quoad reſtitutionem, hoc caſu judicandum, ſicut in furto, cùm duo inæqualiter, unus directè & princi-

cipa-

Digitized by Google

cipaliter, alter indirectè ad furtum, vel damnum datum concurrunt: ut ſcilicet is, qui & quatenùs directè damnum dedit, primo, & ſuo quisque loco reſtituere teneatur. Quod ſi tamen is non faciat, in ſubſidium tenebitur ille, qui minùs principaliter cauſa damni fuit. Igitur in propoſito primus detrahens per ſe & directè coram illo tantùm, cui ipſe narravit, tenetur aut revocare, ſi falſum, aut aliô modô compenſare famam, ſi verum, ſed occultum crimen fuit. Ille ſecundus ſimiliter apud alios, quibus ulteriùs recenſuit, reſtituere debet: quod ſi faciat, primus detractor liber erit: ſi autem non faciat, tenebitur primus in ſubſidium, quia indirectè ſaltem cauſa fuit læſæ apud poſteriores auditores famæ: ergò ſi alter, qui famam apud hos directè læſit, non reſtituat, ipſe tenebitur.

„ (*A.*) Q. An ſit peccatum mortale, delictum grave & „ occultum proximi uni duntaxat Viro prudenti revelare, „ licèt abſit periculum ulterioris evulgationis, vel cujus„ cunque alterius damni? Diana quidem *p. 2. tr. 3. re*„ *ſol. 22.* pro ſe citans Cajetanum, Navar. Reginald. & „ alios exiſtimat abſolutè, non eſſe mortale, eò quòd leve „ ſit detrimentum in fama, hoc ipſo, quòd unico, & qui„ dem prudenti, ac ſine periculo ullius alterius incommodi „ crimen detegatur. Nihilominùs ſententia oppoſita, „ quam tenent Sotus, Medina, Valentia. Clavis reg. Sua„ rez, Molina, Azor, Filliuc. Bonac. & communior DD. „ probabilior, certior, ac proin omninò tenenda eſt. Cu„ jus ratio eſt 1. Quòd meritò ac rationabiliter quisque „ ægrè ferat, ſe etiam apud unicum Virum prudentem in„ famari: præſertim cùm frequenter quis malit crimen „ ſuum occultum pateſieri pluribus minoris conſideratio„ nis, quàm uni tantùm Viro gravi, e. g. Prælato &c. „ 2. Judicium temerarium de re gravi in mente unius dun„ taxat

„ taxat conceptum juxta communem DD. eſt mortale : item „ contumelia gravis alteri nullo alio præſente illata eſt mortifera juxta D. Thomam *2. 2. q. 72. a. 2.* ergò etiam diffamatio penès unicum gravem virum erit peccatum mortale. „ 3. Si mihi licet crimen occultum uni Viro prudenti detegere, etiam illi Viro prudenti id ipſum licebit : ac ſimiliter ſic „ tertiò, quartò, quintò & ulteriùs, ita ut tandem delictum „ fiat publicum, & ſic graviter proximus diffametur, quin „ poſſit ægrè ferre, vel rationabiliter invitus eſſe : quod eſt „ abſurdum : ergò &c.

„ Nec refert, ſi dicas. Pœnitens peccatum ſuum grave occultum Sacerdoti confitens, ſibimetipſi notabile detrimentum famæ non infert : ergò etiam patefaciens proximi crimen occultum unico Viro prudenti, eundem graviter non „ diffamat : modò ſit ſecurus, ne crimen ulteriùs divulgetur : „ & conſequenter grave peccatum non erit, unico Viro prudenti crimen proximi occultum patefacere. R. enim negando conſequentiam & paritatem. Ratio diſparitatis eſt : „ quòd infamatio propria in confeſſione per manifeſtationem „ propriorum peccatorum facienda, ſit per ſe connexa, & intrinſeca ipſi confeſſioni, ut hæc ritè, integrè, ac conformiter præcepto divino peragatur : nec habet pœnitens, quòd „ horreat, vel ægrè ferat, eò quòd fructus Sacramenti antecedens incommodum abundè compenſet : ac inſuper ratione „ ſigilli ſacramentalis ſit ſecuriſſimus, detectum crimen nulli „ alij patefactum iri : quod non fit in caſibus extra confeſſionem contingentibus, ut per ſe clarum eſt. Prætereà pœnitens habet jus in propriam famam, cui ob fructum pœnitentiæ ſacramentalis renuntiare poteſt : quale jus „ non habet ſupra famam alterius.

CASUS CXXX.

QUid ſi crimen alterius, dudum præteritum, propaletur: v. g. fornicatio, furtum, duellum, ebrietas &c. in juventute commiſſa?

RESOLUTIO.

INter crimina ſeu delicta, quoad hoc, notabilis eſt differentia: quòd aliqua habeant annexam perpetuam infamiæ maculam, aut de jure, aut ſaltem de facto, & in communi hominum æſtimatione, v. g. delicta carnis, furtum, veneficium, homicidium, vel aliud damnum proditoriè, clam, dolô inhoneſtô factum &c.

2. Alia, licèt in ratióne peccati non minora, tamen infamia non cenſentur v. g. homicidium in duello, excidia urbium, incendia &c. in bello, etſi juſto, rapinæ, blaſphemiæ & ſimilia à militibus facta.

3. Alia ejus naturæ ſunt, ut recens facta ſine infamatione própalari non poſſint, antiquata verò non curentur, nec cenſeantur læſiva famæ. Cujuſmodi ferè ſunt omnia, quæ contra præcepta humana & leges poſitivas fiunt, v. g. non jejunâſſe, neglexiſſe Sacrum die Dominicâ, Clericum aliquando non recitâſſe Breviarium &c. puta reſpectu hominis plebei, aut Clerici ex turba communi, qui ſcilicet non ſint in ſingulari opinione ſanctitatis, aut vitæ, conſtanter ſine labe peccati mortalis transactæ &c.

Igitur primi generis crimina nunquam ſine detractione mortali, ſi ſemper fuerint occulta, propalari poſſunt etiam poſt 20. annos: quamvìs enim intra tantum tempus præſcribatur contra pœnam, ut ulteriùs infligi non poſſit, non tamen præſcribitur contra infamiam, quæ perpetua eſt. (*A.*)

Secundi generis crimina ſemper poſſunt propalari ſine gravi peccato in ratione detractionis: quia is, de quo dicuntur,

non

non cenſetur graviter ſaltem invitus, nec damnum famæ notabile patitur, juxta dicta Caſu 123.

Tertij generis crimina, etſi in continenti, dum fiunt, non poſſint ſine notabili & mortali detractione de homine clericali, aut viro honeſtæ vitæ &c. propalari, poſſunt tamen ex longo intervallo reſpectu earum perſonarum, quæ aliàs tam bonæ famæ non ſunt, ut credantur nunquam exceſſiſſe, & peccâſſe mortaliter ob rationem intellectam, quia, cùm aliàs credibile, eaque de talibus opinio ſit, eos ſæpiùs exceſſiſſe, non notabiliter læditur opinio, & fama eorum, ſi in ſpecie exceſſus aliquis communis non infamis, & dudum præteritis propaletur. Quantum verò temporis intervallum requiratur, determinari non poteſt, ſed pro diverſitate delicti & perſonarum prudenti judicio determinandum.

Practicè & breviter in hoc Caſu pœnitens eſt interrogandus: an cenſeat, & judicet per ſuam narrationem criminis antiqui de facto, & de præſenti famam tertij in tantum læſam eſſe, ut is meritò graviter ſentire, ſéque læſum conqueri poſſet, ſi ſciret &c. ſecundùm ea, quæ Caſu 122. dicta ſunt.

„ (*A.*) Quid ſi quis ob aliquod crimen dudum fuit infa-
„ mis, aſt famam reſipiſcendo, ac honeſtè vivendo recupera-
„ vit? An, & quale peccatum, ejuſmodi crimen cuidam
„ ignoranti revelare? R. cum Leſſio *dub. 3. n. 82.* Bonac.
„ *d. 2. q. 4. p. 6. n. 4.* Azor. Filliuc. contra Molin. *tr. 4. d. 33.*
„ *n. 2.* & alios quoſdam. Non peccari quidem graviter con-
„ tra juſtitiam, benè tamen contra charitatem; modò refe-
„ rens non ita narret, ut audientes opinentur, pridem delin-
„ quentem, etiamnum eſſe improbum. Quòd non peccetur
„ contra juſtitiam, eſt ratio. Quia, etſi talis habeat jus ad
„ famam, quam benè vivendo denuò comparavit, non ta-
„ men habet jus pro illo tempore, quo famam improbè vi-
„ vendo publicè deſtruxit: modò ergò de tali non dicatur,

Zz 2 „ quòd

„ quòd etiamnum ſit improbus, ſed ſolùm, quòd aliquando
„ fuerit, & reſipuerit, nulla eidem videtur injuria irrogari:
„ quamvis Molina loc. cit. contrarium teneat. Quòd autem
„ in tali caſu ſaltem peccetur contra Charitatem, clarum eſt:
„ quia nimirùm referens absque neceſſitate, & ſufficienti cau-
„ ſâ (ut ſupponitur) proximum graviter contriſtat, eique
„ facit, quod ſibi nullatenùs fieri vellet.

CASUS CXXXI.

QUid ſi aliquis hodie recordetur & confiteatur, ſe ante 20. annos de altero detractoriè locutum, ſed lapſu temporis rem oblivione ſepultam eſſe: an & qua ratione ad reſtitutionem erit obligandus?

RESOLUTIO.

PRimò indagandum, an detractio gravis, & mortalis fuerit, ſive an notabiliter & advertenter proximus infamatus fuerit, judicio ipſius pœnitentis, juxta frequentiùs dicta. Hoc ſuppoſito conſiderandum, & à Pœnitente requirendum, an adhuc læſio famæ duret, & inſuper fama ablata adhuc reſtitui poſſit, vel revocando dicta, ſi falſa fuerunt, vel laudando eum, quem ante deſpexit, & infamavit &c. quo caſu reſtitutio neceſſaria, & Pœnitenti injungenda. Secùs: aut etiam in dubio, ſi Pœnitens probabiliter putat, ea, quæ antehac detractoriè dicta ſunt, jam oblivione ſepulta, nec ultra in memoria hominum eſſe, non eſt injungenda reſtitutio: neque valet hoc caſu, quod aliàs dicitur: in dubio tutiorem partem eligendam &c. quia re benè conſideratâ non eſt tutior pars, ſed periculoſior: nec præſumendum, quòd is, qui ante tempus infamatus eſt, nunc petat, vel deſiderat, ut ſuus infamator jam denuò de ſe mentionem faciat, etiam laudando, quia probabiliſſimè in memori-

Digitized by Google

moriam revocabit ante malè dicta &c. Vid. Navar. *in ſuo man. c. 18. n. 47.* Leſſius. *l. 2. c. 11. dub. 18. n. 100.* Ubi tamen poſt Cajetanum benè monet, ſi crimen falſum impoſitum ſit, & periculum immineat, ne priſtina infamia aliquando reviviſcat, quod in certis caſibus facilè contingere poteſt, cùm homines datâ occaſione frequentiùs recordari ſoleant etiam longè præteritorum, teneri detractorem ad reſtitutionem, ſeu revocationem dictorum, licèt ante 20. vel 30. annos detractio contigerit.

„ Cæterùm generalis quæſtio in hujuſmodi peccatis du-
„ dum præteritis manet, atque omninò pœnitenti moven-
„ da eſt: an advertenter, fortè ex verecundia, aut metu re-
„ ſtitutionem faciendam omiſerit: an verò per oblivionem
„ & inadvertentiam, ita, ut in aliis hactenùs peractis Con-
„ feſſionibus ſemper ejus intentionis fuerit, confiteri, quid-
„ quid tenebatur &c. Priori caſu etiam repetitio Confeſ-
„ ſionum præteritarum quoad omnia peccata gravia neceſ-
„ ſaria erit: poſteriori non multùm tricari, aut de eo ſcru-
„ puloſè inquirere oportebis, an non potuerit ac debuerit
„ diligentiori examine adhibito ejus peccati recordari, &
„ tempeſtivè confiteri? &c. ſed aſſertioni & opinioni pœ-
„ nitentis, hoc ex oblivione contigiſſe, acquieſcendum vi-
„ detur: quia, licèt poſſet abſolutè ſubeſſe ignorantia, aut
„ negligentia mortalis, tamen id rariſſimè, & in homine,
„ qui paratus eſt, confiteri omne id, quod ſcit, vix unquam
„ contingere ſolet, interrogatoria autem à Confeſſario fieri
„ debent de eo, quod frequentiùs accidit, ut ab initio mo-
„ nitum &c. Aliud ſentiendum in iis peccatis, ubi non
„ eſt probabile, naturalem & inculpatam oblivionem inter-
„ ceſſiſſe: v. g. ſi quis confiteretur adulterium, aut grave
„ furtum ante aliquot annos commiſſum: tunc etenim, uti
„ valdè probabile eſt, culpam mortalem ſaltem ab initio in

„ prima vel ſecunda Confeſſione interceſſiſſe, adeóque „ Confeſſiones ſacrilegè hactenùs peractas eſſe, ita diſſimu- „ landum nullatenùs eſſet, ſed accuratè omninò inquiren- „ dum.

CASUS CXXXII.

COnfitetur quiſpiam, ſe graviter detraxiſſe, inſuper ex hoc cauſam dediſſe, quòd alter ab officio fuerit amotus, aut tanquam infamis ab officio ſuſpenſus &c. Verùm hunc effectum amotionis non intendiſſe: imò ipſam læſionem famæ tantùm prævidiſſe, non verò intendiſſe.

RESOLUTIO.

SIcut in furto rei, qui malitioſè equum v. g. aufert, non tantùm rem reſtituere, ſed omnia damna, quæ ex carentia rei ſuæ dominus paſſus eſt, compenſare tenetur, juxta ſuprà dicta Caſu 111. ita etiam, qui per detractionem gravem furtivè aufert famam, tenetur non tantùm famam, ſed etiam omnia damna inde ſequentia compenſare.

Et ulteriùs, ſicut in furto rei v. g. equi, non excuſat à reſtitutione damnorum ſubſequentium, quòd fur non cogitaverit de his damnis, minùs intenderit &c. ita etiam in propoſito damna ex infamatione ſecuta reſtituenda ſeu compenſanda ſunt, etſi nec intenta, imò nec prævisa ſint. Ratio utrinque ea eſt, quia non ex re accepta, ſed ex injuſta acceptione, ſeu damnificatione obligatio reſtituendi naſcitur: conſequenter id unicè attenditur, in quantum alter ex re ablata damnificatus eſt.

Neque intereſt, utrùm damnificans prævideterit, vel intenderit effectus mediatè, vel immediatè ex ſua actione ſecuturos, ſatìs eſt, quòd intenderit, & poſuerit cauſam malitioſè

tioſè & contra juſtitiam, ac hoc ipſo prævidere debuerit, tales effectus re ipſâ ſecuturos: hoc enim propriè eſt damnificare, facere aliquid, vel ponere cauſam deliberatè ac voluntariè, ſeu malitioſè, ex qua ſequitur damnum, & qui tali modo alterum damnificat, tenetur iterùm reddere indemnem, ſive conſtituere eundem in eo ſtatu, quo eſſet, ſi cauſa damni data non foret, ut communis tenet ſententia DD.

Unde quoad detractiones mortales (de venialibus Caſu ſequenti) diſtinctiones, utrùm damnum paſſus jam in poſſeſſione rei fuerit, an jus in re, vel ad rem, an verò tantùm ſpem habuerit, aut in lucro conſequendo fuerit impeditus, parùm ad propoſitum Caſum faciunt: quia, licèt per ſe loquendo impedire tantùm id, ad quod alter jus propriè dictum non habet, ſit tantùm contra charitatem, nec pariat obligationem reſtituendi: attamen impedire dolo, mendacio, injuſtâ gravi infamatione, adeóque cauſa injuſta, injuſtè & contra juſtitiam poſita, non tantùm contra charitatem, ſed contra juſtitiam commutativam eſt, proinde medio reſtitutionis æqualitas & indemnitas reducenda.

Illud tamen notandum, quòd, cùm bonum in ſpe nunquam tanti valeat, quàm in re; ideò non tantum, nec omne id, quod alter ſperare poterat reſtituendum: ſed conſideratâ certitudine eventûs, ſeu lucri ſperati, tantum, quantum hæc ſpes prudenti judicio valere creditur, ſive quantum aliquis in ſimili ſpe commodi, lucri, officii conſequendi conſtitutus circiter acciperet, ut jure aut ſpe ſuâ cederet &c. in tantum enim & non ampliùs per detractorem, vel alium doloſum impedientem fuit damnificatus, ut benè advertunt Clavis reg. *l. 11. c. 3. n. 18.* Leſſius *l. 2. c. 11. dub. 19. n. 103.* cum pleriſque aliis.

Præterea notandum, quod ſuppoſui & notanter dixi, *damnum & incommodum re ipſa ex detractione tanquam effectum*

ctum ex ſua cauſa ſecutum eſſe; nam ſi detractio ex ſe talis non ſit, ut talem effectum mereatur, puta amotionem Officialis ab officio &c. ſed dominus tantùm inde occaſionem captet officialem amovendi, vel ſuo vitio aliud plus, quàm dictum eſt, ſuſpicetur &c. hoc caſu contrarium dicendum, ſcilicet detractorem non obligari ad damna ex hac amotione ſecuta, quia ſuo facto horum cauſa à parte rei non eſt, & non tantùm non prævidit, ſed nec prævidere potuit, aut debuit, eadem ſecutura eſſe.

„ Occaſione hujus caſûs Q. An æqualis oriatur obligatio „ reſtituendi & compenſandi damna ex detractione ſecuta, ſi„ ve crimen impoſitum fuerit falſum, ſive verum ſed occul„ tum? Ratio dubitandi eſt: quòd falſò crimen imponens „ longè magis peccet, quàm merè revelans crimen verum. „ Etſi autem DD. conveniant, utrumque teneri ad compen„ ſationem damnorum ex ejuſmodi infamatione ſecutorum: „ Sotus tamen *l. 4 de Juſt. q. 6. a. 3. ad 4.* vult, merè reve„ lantem crimen verum non teneri ad tantam reſtitutionem, „ ad quantam tenetur, qui falſò crimen impoſuit, eò quòd „ non tantum peccaverit ille, ac iſte. Unde ſic argumenta„ tur. Si revelans crimen verum non eſt cauſa totalis & prin„ cipalis, ſed tantùm partialis, vel potiùs ſolùm conditio, „ *ſine qua non* damnorum ſecutorum, non tenetur damna „ compenſare in integrum, ſed in tantum, in quantum eſt „ cauſa: atqui non eſt cauſa totalis, aut principalis; quia „ damna (v.g. privatio officij, vel beneficij) ſequuntur præ„ cipuè & principaliter ex ipſo crimine, quod verè eſt com„ miſſum: revelans autem ſolùm eſt cauſa partialis, ſeu potiùs „ mera conditio applicãs, & *ſine qua non*, quia, ſi crimen com„ miſſum non revelâſſet, hoc etiam non nocuiſſet: ergò me„ rè revelans crimen verum non tenetur ad compenſationem „ damnorum in integrum, ſed ſolùm ad aliquam, ſcilicet

„ juxta

Digitized by Google

„ juxta arbitrium Viri prudentis. Verùm quidquid ſit de hac
„ opinione Soti, ſpeculativè forſan probabili. Sententia con-
„ traria aſſerens, utrumque infamatorem obligari ad compen-
„ ſationem omnium damnorum ex injuſta revelatione ſive
„ criminis veri, ſive falſi ſecutorum &c. velut inter DD. eſt
„ communis ac probabiliſſima, ita in praxi omninò ac ſemper
„ eſt tenenda. Cujus fundamentalis ratio eſt hæc: quòd ſce-
„ lus occultum de ſe nullam habeat vim damnificandi: in-
„ famatus verò habeat jus, ne id reveletur: ac conſequen-
„ ter revelans per ſuam revelationem ſit cauſa totalis mora-
„ lis, ac injuſta infamiæ & damnorum inde ſecutorum: adeo-
„ que & obligatus ad compenſationém illorum. Unde ad ar-
„ gumentum Soti negatur min. ex ratione primùm dicta.
„ Eſto autem, falsò imponentem crimen plùs peccare in ra-
„ tione mendacij, adeoque teneri ad revocationem ſuorum
„ dictorum etiam cum æquali infamia propria &c. in ratione
„ tamen injuſtæ damnificationis par eſt ratio utriusque, quo-
„ niam omne damnum ſequitur ex infamia, quæ oritur ex
„ notitia criminis ſive veri, ſive falſi, injuſtè detecti.

CASUS CXXXIII.

ALius ſe ex garrulitate de abſente malè locutum, ſed in re reſpectivè levi, aut certè cum ſemiplena tantùm rationis advertentia: adeoque detrahendo non mortaliter, ſed tantùm venialiter peccâſſe: interim grave damnum vel impedimentum alteri ſecutum eſſe, proponit: quid judicandum maximè ratione reſtitutionis?

RESOLUTIO.

QUia tota obligatio reſtituendi ex injuſta acceptione ſeu damnificatione naſcitur, ut Caſu præcedenti dictum: ideò ubi levis eſt damnificatio, etiam non eſt gravis obliga-

 tio

tio reſtituendi: adeoque hic amplector illud principium Theologorum, ubi detractor in conſcientia non peccavit mortaliter, non tenetur ſub mortali reſtituere, ne inter effectum & cauſam ſit nimia improportio, atque ex levi delicto grande onus, aut quaſi pœna reſtituendi magnam pecuniæ ſummam ſequatur.

Non obſtant, nec inconſequenter dicta videantur, quæ ſuprà Caſu 115. dixi: eum, qui factô ſuô, ſeu culpâ commiſſionis etiam leviſſimâ damnum dat, teneri ad compenſandum illud: id enim fundatum eſt in diſpoſitione Juris tum civilis, tum Canonici in ſuis terminis: ſcilicet cùm in re corporali pretio æſtimabili damnum datur poſitivè & culpa commiſſionis &c.

Cæterùm uti hæc juris diſpoſitio non poteſt extendi ad culpam omiſſionis in contractibus, quaſi damnum etiam leviſſimâ culpâ datum reſartiendum ſit, per dicta Caſu 116. ita multò minùs extendenda eſt ad damnum per levem detractionem factum, ubi directè non datur damnum in re pretio æſtimabili, ſed in fama, quæ nullâ pecuniâ compenſari poteſt, ac debet, atque tantùm in conſequentiam, ſeu mediatè ex infamia quandoque ſequi ſolet damnum, vel impedimentum temporale pretio æſtimabile &c. de quo caſu nihil in Lege *Aquilia*, neque in titulo Juris Can. *de Injuriis & damno dato* cautum: proin liberum eſt, benigniorem partem amplecti, & eum, qui non peccavit mortaliter detrahendo, ſive propter parvitatem materiæ, ſive propter indeliberationem actûs, neque ſub mortali obligari ad reſtitutionem damni præter intentionem ſecuti, utut illud graviſſimum ſit, & parti læſæ difficillimum: debebit enim infortunio, ſeu caſui fortuito adſcribi, ſicut reverà caſus fortuitus eſt, aliquem levî conſcientiæ culpâ grave damnum dediſſe. Sed hactenùs dicta intelligenda ſunt in caſu, quo ponitur ex detractione veniali

dam-

Digitized by Google

damnum grave jam actualiter ſecutum, adeoque de reſtitutione quæſtionem eſſe, non de impediendo damno ſecuturo. Nam qui vel per inadvertentiam, vel in levi, ut ſibi videbatur, materiâ alterum infamavit, interim advertit, propterea eum ab officio amovendum, vel non ad hoc ſuſcipiendum &c. tenebitur ſub mortali in tempore famam reſtituere, & tale damnum præcavere, aliàs quaſi ex injuſta detentione ſive morâ in reſtituendo commiſſa tenebitur ad omnia damna ex ſua mora alteri evenientia: neque excuſabit, leviter peccâſſe detrahendo, quia ſaltem videt grave damnum ex ſuo facto, ſecundùm ſe injuſto ſecuturum, quod facilè, ut ſupponitur, præcavere poteſt, amovendo cauſam tanti damni à ſe poſitam, & reſtituendo famam ablatam, vel confitendo, falſum ſe dixiſſe, vel excuſando, extenuando, interpretando ſua dicta &c. Atque ad hoc jam non ſub veniali, ſed ſub mortali, atque ex juſtitia tenetur, eo ferè modo, quo ſuprà de detentione rei & morâ in reſtituendo commiſſa dixi Caſu 112.

„ Tu recole, ſi placet, dicta ad Caſum 115. ubi pro regu-
„ la univerſali reſtituendi, ſuppoſitâ ſolùm culpâ veniali, &
„ extra contractum, ſtatui, eatenùs aliquem obligari ad com-
„ penſanda damna illata, quatenùs ſcienter, & voluntariè
„ nocuit: exceſſum verò damni, utpote nec præcognitum,
„ nec volitum (ſive directè, ſive indirectè) eſſe reputandum
„ pro caſu fortuito &c. quæ ad præſentem Caſum peraccom-
„ mode poteris applicare.

CASUS CXXXIV.

Figulus figulum odit, & in arte reprehendit eâ intentione, ut quæſtum illius impediat. Alius alium in certa arte ſingulariter nominatum & celebrem v. g. Advocatum, Architectum, Pictorem, Opificem &c. carpit,

Digitized by Google

& vituperat, dicens ſe contrarium expertum: alium longè peritiorem, magíſque idoneum eſſe &c. atque per hoc illos, qui operâ talis Advocati, vel Artificis uti cogitabant, cum notabili ejuſdem diſpendio avertit &c.

RESOLUTIO.

IN materia de nocumentis, & impedimentis alteri cauſatis, adæquata diviſio & univerſalis doctrina tradenda videtur, ex qua Reſolutio hujus Casûs dependet.

Diſtinguendum igitur 1. An damnum datum ſit re, & in rem, aut verbìs tantùm in perſonam? (nam verba tantùm perſonas, non res lædunt.) Si damnum datum ſit re in rem, locum habet *Lex Aquilia*, & reſartiendum damnum etiam culpâ commiſſionis leviſſimâ datum, juxta dicta Caſu 115. *Subintellige, vel ante, vel ſaltem poſt ſententiam Judicis.*

Similiter ſi neglectu rei, ſeu culpâ omiſſionis in re aliena damnum vel jactura contingat, ad naturam contractûs & diſpoſitionem legum attendendum ſine reſpectu, an in conſcientia peccatum mortale intercedat, nec ne? ut etiam ſuprà Caſu cit. dictum.

Quòd ſi per verba damnum datum ſit (quod præſentis lòci materia eſt) rurſum diſtinguendum, an verba, ex quibus damnum ſequitur, ex ſe injuſta, & contra juſtitiam ſint: uti ſunt detractiones, deſpectiones, ſeu honoris læſiones, vis aut metûs incuſſio, pollicitationes in caſum impedimentum ponendi, vel damnum inferendi: aut econtrà comminationes, votum vel auxilium dantibus factæ: item mendacia doloſa, & figmenta ad circumveniendum alterum exquiſita &c. quibus caſibus omne damnum ſubſecutum ex capite injuſtæ acceptionis ſeu læſionis reſtituendum, & circumventus, aut læſus per omnia indemnis eſt ſervandus, ſiquidem in conſcientia mortaliter peccatum ſit: ſecus ſi tantùm venialiter, ut dictum.

Quòd

Quòd ſi verò verba, vel alia actio, unde alteri nocumentum, vel impedimentum conſequitur, ex ſe injuſta non ſint: v. g. cùm juxta caſum propoſitum unus artifex præ altero ſe jactat: vel cùm tertius quaſi conſiliarius unum ſuadet, alterum diſſuadet &c. tunc tum intentio, tum finis, tum effectus conſideranda ſunt: nam ſi quis malâ intentione ex odio & malevolentia, aut animo nocendi, aut ſe vindicandi &c. alterum in ſuo lucro ſperato, vel ab officio, quod aliàs obtenturus eſſet, impediat, & arceat, erit peccatum cæteris paribus mortale, ſed contra Charitatem tantùm, proin ſine obligatione reſtituendi, niſi in fine, ſive effectu ipſo (quem propterea conſiderandum dixi) injuſtitia intercedat: quod tunc ſit, ſi non tantùm in lucro ſperato, ſed in re poſſeſſa, aut jure in re, vel ad rem, verè & particulariter quæſito, ſibique competente læſio, vel ablatio fiat: v. g. ſi quis apud Epiſcopum procuret, ut Clerico cuidam ſuum beneficium auferatur, aut præſentatus non recipiatur &c. Ubi tamen rurſus diſcernendum, an hujuſmodi conſilia, præventiones, intruſiones ſui ipſius vel aliorum &c. bona fide & ex juſta cauſa ſaltem opinativè fiant? & tunc non erunt contra juſtitiam: an verò temerè, & vel ex mala intentione, aut privati commodi deſiderio &c.? nam tunc etſi verba, ſive actiones ipſæ contra juſtitiam non ſint, quia tamen effectus, ſcilicet ſpoliatio rei, aut juris ſui contra juſtitiam eſt, & talis ſuaſor, aut promotor ad ejuſmodi effectum concurrit, & cooperatur, ideò peccat contra juſtitiam, atque ad reſtitutionem obligatur, ſaltem in ſubſidium, ſi is, qui principaliùs & directè aliquem ſuo jure privavit, non reſtituat, ſicut omnes, qui indirectè ad furtum, vel injuſtam damnificationem concurrunt &c.

„ Cæterùm, cùm in ſimilibus caſibus frequenter contingere „ poſſit, ut quis dubius hæreat, an verè cauſa extiterit dam- „ ni ſecuti, nec ne? idcircò ulteriùs quæritur, an ita dubius,

Digitized by Google

„ utrùm ſua actione, vel omiſſione ad damnum alterius efficaciter ſit cooperatus, teneatur ad reſtitutionem, ſeu compenſationem damnorum? R. Si poſt diligentem diſcuſſionem, vel inquiſitionem, an quis cauſa damni fuerit, dubium remaneat, ita ut moraliter quis certus non ſit, damnum à ſe datum eſſe, probabiliùs nullam dari obligationem reſtituendi. Ita haud obſcurè docuiſſe videtur S. Thomas *2 2. q. 62. a. 7.* dicens: *Tunc ſolùm tenetur, cùm probabiliter æſtimare poteſt, quòd ab eo actio injuſta proceſſerit.* Ratio eſt inſuper 1. Tum quia in dubiis maximè in materia juſtitiæ melior eſt conditio poſſidentis, *l. Si ob turpem cauſam. ff. de Condictione ob turpem cauſam*: atqui qui poſt diligentem diſcuſſionem, vel inquiſitionem adhuc dubitat, an cauſa damni fuerit, poſſidet ſuam libertatem & pecuniam: ergò melior eſt ejus conditio, ac conſequenter non tenetur reſtituere. Tum quia reus in pari cauſa abſolvitur. *L. 2. c. de Condict. ob turp. cauſ.* 2. Obligatio ad reſtitutionem eſt odioſa & oneroſa: odia autem ſunt reſtringenda, niſi de obligatione contraria certò conſtet. *C. Odia. de Reg. Jur. in 6.* Leſſius *l. 2. c. 13. n. 38.* Pet. Navar. *l. 3. c. 4. n. 58.* Tambur. *l. 1. c. 3 §. 7. verb. reſtit.* & alij communiter.

„ Aliter ſentiendum, ſi moraliter quis certus ſit, ſe damnum intuliſſe, dubitet autem, an id ad æqualitatem compenſaverit; tunc enim non ampliùs poſſeſſio ſtát pro libertate, ſed pro obligatione, utpote quæ certa eſt, dubium autem, an eidem fuerit ſatisfactum. Unde pro regula univerſali ex Suario *de Cenſur. d. 40. ſect. 5. n. 15.* Baldello *tom. 1. l. 4. d. 9. n. 1.* Sanchez, Henriquez & aliis: An libertas, vel lex, aut obligatio legis ſit in poſſeſſione? adeoque an legi vel obligationi debeat ulteriùs ſatisfieri, nec ne? hæc ſtatui poteſt. Si nimirum conſtet de obligatione, dubitetur autem, an eidem ſit ſatisfactum, non libertas, ſed obliga-

Digitized by Google

„ ligatio ſeu præceptum eſt in poſſeſſione. Sic, ſi ſcias, te „ mutuum accepiſſe, dubites autem, an id reddideris, debes „ reddere, quia certus es de obligatione, dubius autem de ſo„ lutione &c. Similiter ſi ſcias, legem eſſe latam & accepta„ tam, dubites autem, an eam adimpleveris, teneris ad„ huc implere. Unde Sacerdos nondum perſolutîs Ve„ ſperîs & Completoriô in Breviario, ac dubitans, an hora „ 12. nocturna jam ſonuerit, tenetur, dictas Horas mox per„ ſolvere, quia certus eſt de lege, dubius autem de exemptio„ ne ab illa. Econtrà ſi dubium ſit, an lex fuerit lata, vel „ acceptata, an currat, an ſe extendat ad talem caſum per „ verba Legis non ſufficienter expreſſum: ſive univerſim, ſi „ dubium ſit, an obligationem incurreris, nec per diligentem „ diſcuſſionem, vel inquiſitionem poſſis te à dubio liberare, in „ poſſeſſione tuæ libertatis es conſtitutus, & tutò in eâdem „ potes perſiſtere, donec moraliter certus fias, te Legi ſubje„ ctum, ejúsque obligatione ſtringi. Exempla facilî nego„ tiô tibimet formare, aut paſſim in AA. invenire poteris, „ præſertim in Tamburini Decalogo *l. 1. c. 3. §. 7.* ubi per in„ tegrum Alphabetum caſus proponit, in quorum dubio „ prævalet poſſeſſio.

CASUS CXXXV.

COnfitetur pœnitens, ſe colloquiis detractoriis interfuiſſe, atque ex ſua quidem parte nihil locutum, quod famam alterius læderet, ſed tamen libenter audiviſſe alios detrahentes &c.

RESOLUTIO.

1. INdagandum: An, qui per ſe non detraxit, ſaltem ad alterius detractionem cooperatus ſit? puta, an interrogando v. g. de complice, admirando, aliáve ſigna complacentiæ

dando

dando cauſa fuerit, ut alter de novo detraheret, aliquid detractorium dicendo, quod aliàs non diceret. Quo caſu juxta Divum Thomam *2. 2. q. 73. a. 4.* & communem DD. non tantùm peccati mortalis reus, ſed etiam ad reſtitutionem obligatus erit, ſaltem ſecundariò, ſi primarius detractor famam non reſtituat: eo modo, quo Caſu 129. de eo, qui ad furtum concurrit, dictum eſt &c.

Quòd ſi 2. poſt detractionem jam completam cum ipſo detractore de ea materia loquatur, rideat, admiretur, de futuris inde eventibus pœnæ, damni, infamiæ &c. diſcurrat, absque tamen eo, ut novi criminis narratio, aut propter novos accedentes auditores nova læſio famæ alteri eveniat, exclusâ quoque delectatione formalì de jactura famæ alienæ (quod eſſet peccatum odij ex genere ſuo mortale, teſte Layman. *l. 3. tr. 3. p. 2. c. 3. n. 14.*) non erit ex hoc gravis peccati arguendus, niſi per accidens, ſi ſpecialiter obligatus fuiſſet, aut infamati honorem & famam defendere (quod rarum eſt, ſaltem ſub obligatione peccati mortalis) aut ipſum detrahentem corrigere, & ne aliis quoque talia referret, monere, uti tenentur Parentes, Superiores, Magiſtri &c. cùm filios, ſubditos, diſcipulos &c. audiunt, ita detractoriè ſibi referre infamia aliorum delicta.

Similiter 3. Quando audiens merè negativè ſe habuit, aut ſi ex curioſitate, narrantis facundiâ, rei novitate &c. aliquam quidem complacentiam habuerit, ſed merè in animo, externè non manifeſtatam, adeoque per hoc non animavit, vel induxit detractorem ad alterius detractionem: talis ſaltem contra juſtitiam non peccavit, nec ad reſtitutionem obligatur. Contra Charitatem tamen, & quidem mortaliter tunc peccâſſe cenſendus eſt, ſi facilè, ſine ſuo notabili incommodo, tum peccatum mortale ex parte detrahentis, tum gravem infamationem ex parte infamati impedire potuiſſet, & tamen

Digitized by Google

men id neglexit: ut cum communi docet Laymannus loc. cit.

Quia verò ordinariè, quid detractor dicturus ſit, non prævidetur, antequam jam dictum; adeoque detractio jam facta ſit: vel certè audienti in mentem non venit, hîc & nunc ex præcepto Charitatis ſe obligari, rarò peccatum mortale committitur, audiendo præcisè detractorem: niſi eo caſu, quando quis hunc detractorem jam antè audivit alio loco & tempore certum quoddam, & infame proximi factum narrantem: tunc enim ſi coram aliis incipit de eadem re loqui, ex charitate tenetur diſcurſum interrumpere, & detractionem impedire, ſi poteſt, ac ſe poſſe, & teneri advertit. (*A.*)

Practicè igitur & breviter talis pœnitens interrogari poterit. Imprimìs an ad detractionem cooperatus ſit, ſive utrùm interrogando, aut complacentiam ſignificando &c. cauſa fuerit, ut alter liberiùs & ulteriùs detraheret? Dein an tunc non in mentem venerit, quòd facilè poſſet, & ex charitate teneretur impedire detractorem, id tamen contra dictamen conſcientiæ omiſerit &c.?

„ (*A.*) Occaſione hujus materiæ quæritur, quid præce-
„ ptum correctionis fraternæ, & quandonam obliget? Cor-
„ rectio proximi duplex eſt: Una judicialis, quæ eſt actus
„ juſtitiæ vindicativæ, à Judice aſſumi ſolita ad plectendum
„ delictum. Altera fraterna, quæ eſt actus miſericordiæ ſpi-
„ ritualis, quo proximum per convenientem ſermonem à ma-
„ lo peccati ad bonum virtutis convertere nitimur: ad quam
„ etiam reducitur correctio paterna. Dari præceptum corre-
„ ctionis fraternæ tum jure naturali, quo membra unius cor-
„ poris ſe mutuò juvare, ac quivis fratri graviter egenti ſuc-
„ currere tenetur &c. tum divino poſitivo Matth. 18. *Si pec-*
„ *caverit in te frater tuus, corripe ipſum &c.* extra controver-
„ ſiam eſt. Porrò materia apta & ſufficiens, ut hoc præce-

Digitized by Google

„ ptum ſub mortali obligare cenſeatur, eſſe poteſt quodvis
„ peccatum mortale, utpote proximum vitâ ſpirituali privans,
„ atque hoc ipſo in gravi neceſſitate, ſeu periculo ſalutis eun-
„ dem conſtituens. Quia verò non negativum, ſed affirma-
„ tivum eſt, ideò non pro ſemper, ſed certis duntaxat occur-
„ rentibus circumſtantiis obligat, quales enumerari ſolent
„ ſequentes. 1. Ut certò conſtet de gravi peccato proximi:
„ tum quòd ſolus Superior indagare teneatur: tum quòd a-
„ liàs temerè adhiberetur correctio. 2. Ut credatur corre-
„ ctio hîc & nunc neceſſaria ad emendationem proximi: elee-
„ moſyna quippe non niſi egenti tribuenda eſt. 3. Ut adſit
„ probabilis ſpes emendationis: ubi enim nullus ſperatur fru-
„ ctus, fruſtra adhibetur remedium. 4. Ut non adſit alius
„ æquè, vel magis idoneus, qui correcturus ſperatur. 5. Si
„ fieri poſſit ſine ipſius corrigentis gravi incommodo, vel pe-
„ riculo vitæ, famæ, honoris, amicitiæ, fortunarum &c. quo
„ etiam reducuntur aliæ circumſtantiæ, ut opportunitas loci,
„ temporis &c. quatenùs correctio ita fiat, ut ſit fructuoſa
„ correpto, nec nociva corripienti. Unde communiter ad-
„ vertunt AA. deficiente unâ ex his conditionibus, non am-
„ pliùs ſaltem ſub mortali obligare hoc præceptum: & quia
„ rariùs contingit, quin una ſaltem ex dictis conditionibus
„ penès homines communes & plebejos deſit, ideò rariùs ii-
„ dem corrigere obligantur, frequentiùs autem Superiores,
„ aliíque in majori authoritate, vel poteſtate conſtituti, ut-
„ pote qui aliquando non ſolùm ex charitate, ſed etiam ju-
„ ſtitia, ac vi ſui officij, adeoque etiam cum ſuo incommo-
„ do ſubditos corrigere tenentur.

„ Cæterùm in correctione fraterna ordo quidam eſt ſervan-
„ dus, ut ſcilicet primò fiat omninò ſecretè: ſecundò coram
„ teſtibus: tertiò cum auxilio Prælati Eccleſiæ, ut ſcilicet fa-
„ mæ proximi omnî meliorî modô conſulatur: quem ordi-

Digitized by Google

„ nem ipſe Chriſtus explicans legem naturalem declaravit,
„ Matth. 18. dicens : *Si peccaverit in te frater tuus, vade,*
„ *& corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si autem te non*
„ *audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos teſtes, ut in*
„ *ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quòd ſi*
„ *non audierit eos, dic Eccleſiæ.* Ab hac tamen regula & or-
„ dine excipiendi ſunt nonnulli caſus, in quibus nimirùm
„ præſtat, vel neceſsè videtur, immediatè rem deferri ad Præ-
„ latum Eccleſiæ, ſeu Superiorem, ut, ſi delictum ſit publi-
„ cum, vergat in damnum tertij, vel communitatis : aut cor-
„ rectio non ſit profutura, niſi Superiori im̃ediatè indicetur &c.

„ Demùm requirit præceptum correctionis fraternæ etiam
„ certum modum & diſcretionem in corrigendo ; nam aliter
„ agendum cùm inferioribus : aliter cum æqualibus : aliter
„ cum Senioribus, vel Superioribus. Quoad hos poſteriores
„ monet nos Apoſt. *1. Timoth. 3. Seniorem ne increpaveris,*
„ *ſed obſecra ut patrem.* Quoad æquales videtur loqui *2. Theſ-*
„ *ſal. 2. Nolite quaſi inimicum reputare, ſed corripite ut fra-*
„ *trem.* Quoad primos verò benè diſcurrit *ad Gal. 6. Si præ-*
„ *occupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales*
„ *eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.*

„ Jam in ſpecie quoad detractiones, ſeu caſum præmiſſum,
„ certum eſt, quemvis teneri vel ex juſtitia, vel ſaltem ex
„ charitate graviter proximo detrahentem corrigere : vel ſi
„ hoc ob circumſtantias aſſignatas non poſſit : ſaltem nullam
„ complacentiam oſtendere, ſed potiùs à diſcurſu diſcedere :
„ vel ſi hoc quoque commodè non poſſit, eundem divertere,
„ facetias proponere, vultum triſtem exhibere &c. juxta illud
„ Proverb. 25. *Ventus Aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis*
„ *linguam detrahentis.* Inſuper à mortali excuſari poterit, ſi
„ vel grave damnum non proveniat ex detractione, vel ex
„ timiditate, verecundia, puſillanimitate &c. hanc obligatio-

Digitized by Google

„ non ſatis advertat, aut minùs ſe idoneum ad corrigendum
„ reputet : ob quas cauſas plerumque omiſſionem, vel negli-
„ gentiam correctionis culpam venialem penès homines ſal-
„ tem communes non excedere obſervat S. Thomas *2. 2.*
„ *q. 33. a. 2. ad 3.*

CASUS CXXXVI.

UNus alteri in faciem objicit crimina commiſſa, vel defectus naturales exprobrat, aut deridet &c. num hoc quoque peccatum mortale, atque reſtitutionis, aut compenſationis obligationem poſt ſe trahit?

RESOLUTIO.

IMprimìs, ſi aliquis proximo in faciem objicit grave & inhoneſtum crimen, etiam nullo alio præſente & audiente (quod contumelia & improperium dicitur) is honorem lædit contra Jus, quod quiſque habet, conſervandi & defendendi honorem ſuum: proinde ad reſtitutionem honoris obligatur. Divus Thomas *2. 2. q. 72. a. 2.*

Secundò. Si coram aliis talem contumeliam faciat, etiam fama & bonum nomen læditur: proin eo caſu duplex reſtitutio injungenda erit, ſcilicet honoris reſpectu inhonorati, & famæ reſpectu audientium &c. Fit autem reſtitutio honoris per deprecationem (qui modus ordinarius eſt inter æquales: vel ſi inferior Superiorem inhonoravit) aut per aliam æquivalentem honorationem, id eſt, reverentiæ, vel reſpectûs conteſtationem, eatenus proportionatam, ut læſus in tantum extraordinariè (ultra communem aliis debitum honorem) honoratus cenſeatur, in quantum antea deſpectus fuit: adeoque ut hìc & nunc honor antea læſus & ablatus iterùm redintegratus, aut compenſatus cenſeri poſſit. Leſſius *L. 2. c. 11. à n. 144.*

Ter-

Tertiò. Qui defectus, etſi non peccaminoſos, tamen infames objicit, æquè honorem, & inſuper, ſi alii audiant, quibus hujuſmodi defectus occulti erant, etiam famam lædit, juxta ea, quæ de detractione ſuprà diximus Caſu 124.

Quartò. Qui defectus apertos, v. g. claudicationem, gibboſitatem, vel etiam paupertatem, ignorantiam exprobrat, uti etiam, ſi inhoneſta agnomina det, etſi ea certum defectum, aut infamem exceſſum non ſignificent, conſideratâ circumſtantiâ perſonarum mortaliter peccabit, ſi gravis contemptus, deſpectus, vel inhonoratio, de qua læſus rationabiliter & graviter invitus ſit, ſignificetur, aut ſequatur. Vide Clavem reg. *l. 11. c. 6. n. 7.*

Univerſim in his 4. caſibus confiteri neceſſè, & ſatis eſt, proximum graviter læſum eſſe, verbîs, vel in honore tantùm, vel in honore & fama ſimul: quo modo, vel quibûs verbîs, aut ſignîs id factum, dicere aut interrogare neceſſè non eſt, per antè dicta caſu 122.

Deriſio, ſubſannatio, illuſio ordinariè etiam lædit honorem, & tunc cum prioribus peccatis coincidit, éſtque læſio honoris verbalis: per ſe tamen loquendo etiam ſine honoris læſione mortale peccatum eſſe poteſt: quia propria malitia deriſionis in eo conſiſtit, quòd in proximo erubeſcentiam, ſeu confuſionem cauſet: id verò, cùm in Viro gravi per ſe ſit notabile malum, ratione cujus graviter & rationabiliter invitus eſſe poteſt, & ſolet, conſequens eſt, quòd irriſio per ſe ex eo ſolo, quòd in proximo ruborem & confuſionem cauſet, graviter contra charitatem, proin peccatum mortale ex ſuo genere ſit. Interim inter plebejos ordinariè tantùm veniale peccatum eſt, ſive propter indeliberationem, & quia non intenditur grave malum proximi, vel etiam & plerumque propter materiæ parvitatem, quia communiter non magni æſtimatur, hominem plebejum erubuiſſe. Divus

Digitized by Google

Thomas *2. 2. q. 75. a. 2.* Bonac. *de Reſtit. q. 5. p. 1. n. 12.* & alii communiter.

„ Q. Quid ſit libellus famoſus: & quænam illius pœnæ? „ Contumelia non tantùm verbo & facto, ſed etiam „ ſcripto contingere poteſt. Quodſi ſcripto fiat animo „ infamandi, vel injuriandi, famoſus libellus in Jure ap„ pellatur: qui eſt ſcriptura continens cujuſdam infa„ miam nondum publicam, ut publica fiat: quo etiam „ reducitur pictio cujuſdam infamiam indicans: vel poſitio „ aut affixio cujuſdam ſigni ſimiliter in notitiam infamiæ „ alterius ducentis, ut ſi quis cornua ad januam alicujus af„ figat, ad indicandum, ipſius conjugem eſſe adulteram, „ prout docent Julius Clarus. Molina & alii. Porrò libel„ lum famoſum animo injuriandi vel diffamandi factum gra„ vem malitiam tam contra charitatem, quàm juſtitiam „ continere, ac poſt ſe obligationem reſtitutionis omnium „ damnorum ſecutorum trahere, dubium non eſt: niſi for„ ſan crimen verum, publicum ac ſcandaloſum in tali li„ bello objiciatur, quòd non niſi hoc medio tolli poſſit, „ quem caſum à culpa excuſat Laym. *l. 3. tr. 3. p. 2. c. 6. n. 3.* „ At quæſtio reſtat, quomodo reſtitutio facienda ſit pro in„ juria per libellum famoſum cauſata? R. Hoc ipſo, quod „ infamia fuerit publica, reſtitutionem quoque eſſe debere „ publicam, quoniam aliàs ſatisfactio non foret ad æquali„ tatem: tenetur itaque ita publicè infamans ad retracta„ tionem publicam, faciendam vel ſcripturâ publicâ, vel „ voce Præconis, vel Concionatoris: ut docent Sayrus. „ Navar. Sa. & alij. Authores ejuſmodi libellorum famo„ ſorum, non modò componentes, vel edentes, ſed etiam „ inventos non comburentes per leges civiles pœna talio„ nis, ſcilicet capitali ſupplicio plecti jubentur, ſuppoſito, „ quòd crimen aliquod dignum morte in famoſo libello

„ con-

Digitized by Google

„ contineatur. *L. 5. §. Si quis ff. de Injuriis. & L. 1. C. de libell.*
„ *famoſ.* quæ tamen pœna talionis hodiedum per deſuetu-
„ dinem in arbitrariam eſt commutata. Per Leges Eccle-
„ ſiaſticas autem jubetur conficiens ejuſmodi libellum ex-
„ communicari *Can. Qui in alterius. 5. q. 11.* Specialiter Ale-
„ xander IV. in Bulla, quæ incipit *Ex alto.* & alia, quæ inci-
„ pit. *Non ſine multa.* tulit excommunicationem Summo
„ Pontifici reſervatam in eos, qui libellos famoſos faciunt
„ contra Statum Ord. Prædicatorum, vel Minorum, qua
„ Bullâ ſeu Privilegio etiam gaudent alii Religioſi, commu-
„ nicantes cum iiſdem in Privilegiis, ut videre eſt apud Cla-
„ vem regiam *l. 12. c. 4. n. 10.* Bonac. *d. 2. q. 4. p. 9. n. 9. &c.*
„ Quod tamen privilegium eſt Religionis, non Religioſo-
„ rum in particulari, ut notant cit. AA. ita ut ſcribens libel-
„ lum famoſum contra quemdam Religioſum in particula-
„ ri dictam pœnam non incurrat, quia pœnæ ſunt ſtrictæ
„ interpretationis.

CASUS CXXXVII.

QUid ſi aliquis tantùm in animo ſuo æſtimationem bonam, quam de alio habuit, & habere debet, deponat, malè de illo ſuſpicando, aut judicando.

RESOLUTIO.

TRiplici modô de altero malum cogitare poſſumus. 1. Solam cogitationẽ ſine aſſenſu habendo: v. g. quid ſi hic, qui mihi obviam venit, eſſet latro? & hæc cogitatio ex ſe peccatum non eſt, hoc ipſo, quia per voluntatem non aſſentior: interim ſi meâ nihil intereſt, corrigenda & deponenda eſt, alioquin ex cogitatione ſuſpicio fiet; quòd ſi autem meâ interſit, puta quia ego ſolus & inermis ſum, adeóque cauſam timendi ha-

beo

beo, ne, ſi fortè latro ſit, mihi noceat, eo caſu non teneor deponere cogitationem, ſed licitum eſt inhærere, atque de defenſione, modo & mediis evadendi cogitare, & actu etiam providere: non quidem judicando, neque etiam abſolutè & poſitivè ſuſpicando, ſed tantum ſub conditione, & in omnem eventum, ſi, quod quidem non ſcio, nec puto &c. eſſet latro &c. qua de re Divus Thomas *2. 2. q. 60. a. 4. ad 3.*

Secundô modô malum de altero cogitare poſſumus cum dubio aſſenſu, quod eſt ſuſpicio, & hoc ſi abſque fundamento rationabili, ſeu cauſa ſuſpicandi fiat, peccatum eſt, quia alter habet jus, ut credatur eſſe bonus, donec conſtet, eum eſſe malum: adeoque nec in dubium vocare, & ſuſpicando contrarium deliberato animo cogitare, aut tali cogitationi voluntariè inhærere licet, ex regula Charitatis: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Interim quia per hoc ordinariè, & per ſe loquendo notabile damnum proximo non fit, neque æſtimatio aut honor etiam in animo ſuſpicionem malam habentis graviter læditur: eo ipſo, quia is non firmiter aſſentitur, ideò ſuſpicio, etſi ſine rationabili cauſa, adeóque temeraria ſit, peccatum mortale non eſt. (*A.*)

Quòd ſi aliqua probabilitas & fundamentum ſuſpicandi intercedat, etſi non valdè ſolidum & concludens, etiam à veniali excuſari poteſt ſuſpicio, ceu non ampliùs temeraria, ſed in cauſa proportionata, & pro aliquali dubitatione ſufficienter fundata. Dixi autem ordinariè loquendo & per ſe, nam ſi quis ex ſuſpicione ad alia procederet, v. g. amovendo famulum ab officio, denegando conjugi affectum conjugalem &c. peccatum mortale erit: non quidem ſuſpicio per ſe, ſed quod ex temeraria ſuſpicione ſine alia cauſa fit in detrimentum notabile alterius &c.

Tertiô modô malum de proximo cogitari poteſt cum ab-

ſoluto

ſoluto & firme propoſito, judicando & æſtimando, ſive habendo aliquem pro fure, adultero &c. & hoc ſi ſine proportionata, atque pro tali abſoluto aſſenſu rationabiliter ſufficiente cauſa fiat in materia gravi, peccatum mortale cenſendum eſt: quia alter graviter in ſua æſtimatione læditur, & rationabiliter, gravitérque invitus eſt, ſe pro tali facinoroſo etiam ab uno homine haberi & judicari: ut cum Divo Thoma ſentit commun. & patet ex illo Matth. 7. & Lucæ 6. *Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini* &c.

„ (*A*) Quæritur. An ſuſpicio aliquando ſaltèm attingere „ poſſit gravitatem peccati mortalis? R. Etſi ſuſpicio, du- „ bium, opinio, & judicium temerarium quandoque con- „ fundi ſoleant, eò quòd omnia quatuor ex levibus duntaxat „ indiciis procedant, reipſa tamen hæc intercedit differentia: „ quòd Suſpicio ſit quædam propenſio judicij in partem de- „ terminatam, nondum tamen perfectus & abſolutus aſſenſus; „ teſte Leſſio *L. 2. c. 29. n. 6.* Dubium vero ſit hæſitatio ani- „ mi in neutram partem determinati. Opinio ſit determina- „ ta quidem animi ſententia, minùs tamen firma, quàm teme- „ rarium judicium, etſi firmior ſuſpicione. Judicium deni- „ que temerarium ſit firma animi ſententia ſeu aſſenſus de ma- „ lo proximi ex levibus indiciis profecta. Et hoc quidem ex „ genere ſuo ſecundùm communem DD. peccatum mortale „ eſt: tum quòd proximum graviter lædat in ſuo jure, quod „ habet ad bonam ſui æſtimationem, donec ſufficienter con- „ ſtet de malo: tum quòd cauſet, vel ſaltem diſponat ad alia „ gravia mala, ut ſunt averſio animi, odium, contemptus &c. „ etſi quandoque à mortali excuſari poſſit vel ob parvitatem „ materiæ, aut imperfectam animi advertentiam, ut commu- „ niter docent DD. Suſpicionem econtrà, opinionem infir- „ mam, & multò magìs dubium, ex genere ſuo peccata ſo-

„ lùm eſſe venialia, docet S. Thomas *2. 2. q. 60. a. 3.* Rati
„ eſt, quòd fama leviter duntaxat per hæc lædatur, nec proi
„ grave damnum proximo inferatur: imò juxta S. Auguſt
„ vita humana ſine his duci nequeat: quæ tamen haud du-
„ biè duci poſſe debet abſque peccato mortali. Loquitu
„ autem S. Pater tract. 90. in Joann. hoc modo: *Quamquàm*
„ *in his rerum humanarum tenebris ſuſpiciones vitare non poſ-*
„ *ſumus, quia homines ſumus, judicia tamen, id eſt, definitas,*
„ *firmáſque ſententias continere debemus, neque ante tempus*
„ *judicare* &c. Nihilominùs Molina *to. 5. d. 16. n. 10.* Leſſi-
„ us *l. 2. c. 29. dub. 3. n. 21.* Lugo *d. 14. n. 14.* & hoc teſte
„ RR. communiter docent, poſſe quandoque crimen eſſe tam
„ enorme ac rationes tam leves, ut non tantùm opinio, ſed
„ etiam ſuſpicio ac dubium cum plena deliberatione, præſer-
„ tim circa perſonas graves & honeſtas, ſint mortale peccatum,
„ ita tamen, ut ſemper leviores rationes ad dubium, quàm
„ ad ſuſpicionem: & leviores ad ſuſpicionem, quàm ad opi-
„ nionem mortaliter peccaminoſam requirantur. Exemplum
„ ponit Sotus: Si cui benè nota foret integerrima Vita
„ Beatiſſimæ Virg. Chriſti, S. Joann. Bapt. aut alterius Sancti,
„ tamen de eorum bonitate & probitate dubitaret, eò quòd in
„ libro quodam hæretico eorundem Sanctitati contraria legiſ-
„ ſet, vel ab aliquo hæretico audiviſſet, talis citra dubium
„ peccaret mortaliter. Similiter Greg. de Valent. illum mor-
„ taliter peccare judicat, qui de perſona proba & honeſta ex
„ levibus indiciis deliberatè dubitat, vel ſuſpicatur, & multò
„ magis ſi opinetur (licèt non adeò firmiter) eam inceſtum in
„ primo gradu cum filia aut ſorore commiſiſſe: eſſe Hæreti-
„ cum: Sodomitam: Patriæ proditorem &c. Ratio eſt, quòd
„ per ejuſmodi ſuſpicionem & dubium plenè deliberatum ac
„ levibus duntaxat indiciis innixum, gravior proximo irro-
„ getur injuria, quàm ſi omninò credatur, aut temerè judi-

„ cetur,

Digitized by Google

„ cetur , eſſe obnoxius pluribus minoribus peccatis , licèt
„ mortalibus. Nec huic opinioni obſtat Authoritas D. Au-
„ guſt. & D. Thomæ priùs allegata : utpotè qui ſolùm volunt,
„ ſuſpicionem , dubium &c. ex genere ſuo , communiter &
„ regulariter loquendo , culpam venialem non excedere , eò
„ quòd vel ſolùm procedant ex motu primo (ſine quibus vi-
„ ta humana ordinariè duci nequit) vel ſaltem bonum famæ
„ proximi graviter non lædant , nec proin quis graviter invi-
„ tus eſſe queat. Quo non obſtante contingere poteſt , ut
„ materia ſuſpicionis ſit tam gravis , ut perſonæ probæ , gra-
„ ves & honeſtæ ejuſmodi ſuſpicionem ſceleris graviſſimi ex
„ levi ſolùm fundamento de ſe ſatìs deliberatè conceptam me-
„ ritò ægerrimè ferre , de ea notabiliter contriſtari , & conſe-
„ quenter etiam graviter & rationabiliter invitæ eſſe poſſint.
„ Unde Viri probi & timorati de hujuſmodi ſuſpicionibus &
„ dubiis gravibus æquè ſibi cavent , quàm de ipſis temerariis
„ judiciis , probè gnari : Quod tibi non vis fieri , præſertim
„ in materia gravi , alij ne feceris.

CASUS CXXXVIII.

Fœmina de plebe ſe accuſat ratione garrulitatis ſuæ : & quod audita de aliis, iiſdem retulerit : itaque inimicitiarum, rixarum cauſa fuerit : attamen hæc mala non intenderit, imò nec præviderit ſecutura.

RESOLUTIO.

NOn facilè à mortali excuſanda eſt talis garrulitas, nam imprimìs ſeminare diſcordias, cauſam dare inimicitiis, odio, & cuicunque peccato mortali, per ſe peccatum mortale eſt ſaltem contra charitatem, (*A.*) ut per ſe notum. Dein quia effectus talis re ipſâ ſecutus eſt, meritò ſupponere poteſt Confeſſarius, abſque alia interrogatione, cauſam pro-

portionatam fuiſſe; ſive talia dicta eſſe, ex quibus mala hujuſmodi gravia velut ex cauſa ſint ſecuta: adeóque etiam in hac ſua cauſa præviſa eſſe, ſive prævideri potuiſſe, ac debuiſſe: proinde non excuſabitur talis garrula ex eo, quòd non intenderit aut prævideritactu tales effectus: dummodò hoc adverterit, ſe illicitè & periculoſè talia recenſere: quia qui dat operam rei illicitæ & periculoſæ, reus eſt omnium malorum inde evenientium, etſi directè non intenderit aut præviderit, potuit tamen prævidere, & tenebatur id omittere, quod cùm per ſe illicitum eſſet; ſimul periculoſum, & cauſa proportionata ad tales effectus erat. Interim abſolutè loquendo, ſicut in omnibus peccatis, ita etiam hìc excuſari poteſt, ſi ſcilicet neque advertatur, dictum & narrationem ſuam illicitam, & periculoſam eſſe: aut ſi rationabiliter cogitetur, non ſecuturum talem effectum diſcordiarum &c. quod vel ex ſubjecta materia, ſi ea non magni momenti ſit, vel ex qualitate perſonæ, cui narrantur de ſe dicta, ſi ea ad effectum peccaminoſum movenda non putatur, rationabiliter cogitari, & judicari quandóque poteſt.

Pro majori reſolutionis hujus intelligentia videri poſſunt omnia hactenùs dicta in materia detractionis, præſertim ad Caſus 126. 132. & ſeq. cum ſuis additionibus & Authoritatibus.

„ (*A.*) Quæritur: quænam vitia charitati opponantur?
„ R. Charitati opponi odium Dei & proximi: item acedi-
„ am, invidiam, diſcordiam (ſub qua continentur conten-
„ tio, ſchiſma, rixa, ſeditio, bellum) & ſcandalum: de qui-
„ bus S. Thomas *2. 2. à q. 34. uſque ad 44.*

„ Quamvìs autem omnia peccata mortalia, ut ſunt of-
„ fenſa Dei, charitati repugnent, ſpecialem tamen oppo-
„ ſitionem cum actibus charitatis tantùm habent vitia pri-
„ mùm recenſita. Nam odium opponitur actui primario,

„ qu

„ qui eſt dilectio Dei & proximi. Porrò odium Dei peccatum graviſſimum eſt, nec unquam ob parvitatem materiæ à culpa mortali excuſabile, ut docet Bonac. *de præcept. Decal. d. 3. q. 4. punct. ult. & jam dictum caſu 16.* Odium proximi duplex eſt. Unum dicitur odium *perſonæ*, ſeu odium inimicitiæ, quô perſonæ cuidam malum volumus, quatenùs abſolutè ipſi malum. Alterum vocatur odium *qualitatis*, ſive odium abominationis, quô perſonam averſamur non ſecundùm ſe ipſam, ſed ſecundùm malum ipſi adjacens, quatenùs id vel nobis, vel alteri, vel communitati repugnat, ut deſcribit Laym. *l. 2. tr. 3. c. 8.* Etiamſi autem odium inimicitiæ intrinſecè malum, & ex genere ſuo ſemper peccatum mortale (niſi imperfectus animi conſenſus, vel parvitas materiæ excuſet) ſit: odium tamen abominationis erga proximum quandóque culpâ vacare, imò laudabile eſſe poteſt: ut ſi quis exoptet, fures ſuſpendi, præciſè ut juſtitia adminiſtretur, & communitas indemnis conſervetur &c. Ratio eſt, quòd ejuſmodi actus procedat ex motivo licito, honeſto & bono, adeóque etiam in genere moris ſit licitus & honeſtus. Videantur dicta ad Caſum 87. & 88. Acedia propriè dicta, & prout ſpeciale conſtituit vitium, eſt *Triſtitia de Bono Divino*: de quo alioquin charitas gaudet. Eſt ex genere ſuo peccatum mortale, quia directè repugnat charitati Dei: & à S. Gregorio *l. 31. moral. c. 31.* inter vitia capitalia numeratur: eò quòd ex tœdio & triſtitia circa Bonum Divinum homines ad multa mala perpetranda impellantur. Quòdſi Acedia generaliter ſumatur pro omni torpore animi, bona facere negligentis, tunc ſolùm erit mortalis, quando propter eam opus ſub mortali præceptum, vel prohibitum, omittitur vel committitur. Invidia à nimis videndo dicta opponitur gaudio de bono proximi, & definitur à S.

„ Thoma *2. 2. q. 36. a. 1.* quòd ſit *Triſtitia de bono alterius, in*
„ *quantum eſt diminutivum propriæ excellentiæ.* In his quip-
„ pe potiſſimùm aliis invidemus, in quibus eos præ nobis ex-
„ cellere videmus. Eſt ex genere ſuo peccatum mortale re-
„ pugnans Charitati, quæ gaudet de bono ac proſperitate pro-
„ ximi, ut docet Laym. *loc. cit. c. 10. n. 1.* poteſt nihilominùs
„ invidia, velut etiam acedia & diſcordia ſolùm eſſe culpa ve-
„ nialis, tum ob parvitatem materiæ, tum ob defectum ſuffi-
„ cientis deliberationis. Numeratur invidiæ quoque vitium
„ à S. Greg. loc. cit. inter peccata capitalia: eò quòd ſit fons
„ & origo multorum aliorum ſcelerum à D. Antonin. *p. 2. tit.*
„ *8. c. 1. ∂. 4.* Valent. & aliis recenſitorum. Cùm invidia ali-
„ qualem analogiam ſeu ſimilitudinem gerit æmulatio ſive
„ Zelus, quatenùs triſtamur de bono alterius, non prout ipſi
„ bonum eſt, ſed quia nos talî bonô caremus. Et ejuſmodi
„ Zelus ſeu æmulatio, ſi verſetur circa dotes animi, ſcientias,
„ virtutes &c. omninò bonus ac laudabilis eſt, juxta illud D.
„ Pauli *1. ad Corinth. 12. Æmulamini chariſmata meliora.* Imò
„ nec illicitus erit, ſi verſetur circa bona temporalia, modò
„ procedat ex motivo licito & honeſto: ſecùs ſi ex motivo ma-
„ lo & inhoneſto e. g. avaritiæ, odij, inimicitiæ, invidiæ &c.
„ Laym. & alij. Sed de hac materia ſpecialiter Caſu 145.
„ Diſcordia unà cum reliquis ſub ſe contentis contrariatur pa-
„ ci ac charitati, ſiquidem aliud non eſt, quàm diſſenſio quæ-
„ dam voluntatis à voluntate proximi circa bonum quoddam,
„ circa quod aliquis conſentire deberet, ſeu ut loquitur D.
„ Thomas *a. 2.* quod ex charitate velle debemus: atque ex ge-
„ nere ſuo peccatum mortale eſt, quia charitatem tollere po-
„ teſt, ut cum communi docet Bonac. *loc. cit. ∂. 4. n. 2.* Di-
„ ctum fuit imprimìs *circa bonum,* quia eſſe diſcordem, ſeu
„ diſſentire in malo, non vitioſum, ſed laudabile eſt. Dein
„ quod velle *debemus*: nam ſi diſcordes ſimus cum proximo

„ in

Digitized by Google

„ in bono quodam, quod facere ſeu velle ex charitate non te-
„ nemur, non peccamus, hoc ipſo, quòd nulla obligatione
„ ſtringamur, ut benè obſervat cit. D. Thomas, Navarr. & alij.
„ Quòd ſi diſcordia manifeſtetur ore, dicitur contentio: ſi ipſò
„ opere monſtretur, eſt vel rixa, vel ſchiſma, vel ſeditio, vel
„ bellum, juxta diverſum modum, quo ipſo opere diſſenſio
„ voluntatis perficitur. De quibus paſſim Summiſtæ. Scan-
„ dalum denique etiam opponitur charitati, ſed de hoc Ca-
„ ſu 140. ſpecialiter.

CASUS CXXXIX.

REligioſus in Monaſterio malè de altero dicta eidem refert, non animô ſeminandi diſcordias, ſed propter amorem vel affectionem, aut propter intereſſe illius, ut ſcilicet ſuam famam defendere poſſit.

RESOLUTIO.

NEque hoc facilè à mortali excuſandum, ſi materia gravis, & talis ſit, ut vel actualiter graves diſcordiæ oriantur, & ſequantur; vel ſecuturæ rationabiliter cogitari & timeri poterant. Affectio & prætextus charitatis nihil excuſat, quia talis inordinata eſt & vitioſa; nam ordinata charitas imprimis dictat, eum, qui diligitur, non inducere ad malum peccati, quod in propoſito ſit, aut fieri poſſe prævidetur: puta ad averſionem, odium, rixas &c. deinde Religioſa Charitas non unum tantùm, ſed omnes Confratres diligere mandat, adeóque tam illi, qui malè locutus eſt, benè velle, & malum illius præcavere, quàm alteri, de quo locutus eſt. Si ſecùs fiat, ex vitioſa ſingularitate, non ex ſancta Charitate id fieri neceſſe eſt.

Duo tamen in propoſito licita, imò aliquoties neceſſaria ſunt: ſcilicet defenſio innocentis, de quo alius malè loquitur, & correctio fraterna ejus, qui ma è de alio loquitur. (*A.*) Unde abſolutè loquendo, ſi aliquo caſu læſus ali-

Digitized by Google

ter defendi non poſſet, niſi ei referendo de ſe dicta, quatenùs ſe modo juſto (citra privatas contentiones, diſcordias &c.) defendere, & famam ſuam tueri valeat, concedendum eſt: tali caſu potiorem rationem habendam innocenter læſi, quàm alterius injuſtè lædentis, ſicut in materia homicidij dictum Caſu 87. Interim hic caſus inter Religioſos locum habere vix poteſt, quia alia media defendendi faciliùs, & ſine tali incommodo aut periculo diſcordiarum in promptu ſunt. Vel enim is, qui loquentem audit, poteſt tunc modeſtè contradicere, itaque eâdem operâ defendere abſentem, & detrahentem corrigere: vel ex poſtfacto poterit detrahentem monere, quatenùs revocet, & reſtituat famam abſentis læſam: & rurſùs utrique conſultum erit: vel certè Superiori indicare, qui non minùs utrumque agere ſciet, ut ſcilicet unus corrigatur, alter indemnis ſervetur.

„ (*A.*) Vide dicta de correctione fraternâ ad Caſum 135.

CASUS CXL.

IDem ad Superiorem detulit, quod Confrater ſuus contra eundem Superiorem, vel ex paſſione, vel ex conſueto more, & habituato vitio murmurandi, tum ſibi ſoli, tum aliis locutus eſt: unde ex parte Superioris averſio, vindicandi & puniendi intentio ſecuta eſt: dubitat, an peccaverit ex hoc?

RESOLUTIO.

GEneraliter & per ſe loquendo cauſam dare & concurrere ad peccatum, ſcilicet averſionis, odii & vindictæ &c. ut in Caſu ſupponitur, peccatum eſt mortale aut veniale, prout ipſa averſio odium, & vindicta gravis aut levis eſt. Deinde licèt ſupponatur Superiorem eſſe tantæ perfectionis,

nis, ut non ſit movendus ad odium aliúdve peccatum mortale: tamen cauſare malum, ſcilicet damnum proximi, puta facere Superiorem in- vel offenſum malum & peccatum eſt gravius & levius, prout damnum cauſatum magnum aut modicum eſt.

Econtrà defendere innocentem maximè Superiorem, item corrigere peccantem, ſeu malè de Superiore loquentem, item præcavere in aliis ſcandalum, aut nocumentum Communitatis & Monaſterij inde emergens, ſi Superior in contemptum veniret, vel aliis exoſus aut de crimine ſuſpectus redderetur, id licitum imò neceſſarium eſt: in particularibus verò caſibus & practicè.

Tertiò conſideranda ſunt: Intentio, Materia, & Ordo. Circa 1.mum examinandum, quòd re ipſa in Conſcientia & coram Deo moveat talem delatorem ad deferendum: nam ſi oculus nequam, intentio non ſincera, nec propter unam ex prædictis Cauſis, defenſionis, correctionis, vel majoris mali præcavendi &c. ſed vel ex garrulitate vel malignitate talis delatio fiat, ex ſe illicita eſt, & ſi inde grave malum ſequatur, puta odium, vindicta ex parte Superioris, aut notabile incommodum illius, qui propter talem delationem Superiorem infenſum habere, & pati deberet, à graviori & mortali peccato excuſari non poteſt talis delator.

Quoad 2.dum conſiderandum eſt ex parte Materiæ, quid de Superiore dictum ſit, vel ex parte Materiæ, quo modo vel affectu &c. nam ſi aliquis Confrater citra affirmationem, unde apud alios ſcandalum ſuſpicio, aut deſpectus Superioris &c. naſci poſſet: ſed tantùm ex ſubitaneo paſſionis motu, imprecando, inhoneſtè nominando, de Superiore malè loquatur, nulla ratio eſt, id Superiori, cum ipſius Superioris commotione, aut nocumento ex commotione alteri ſequente indicare: niſi (quod ſtudio in caſu notatum) alter ex conſue-

Digitized by Google

tudine & vitio habituato frequenter ita malè diceret, aut murmuraret contra Superiorem: tunc enim juſta cauſa ſubeſſet ipſum corrigendi, & in aliis malum exemplum, ac ſcandalum (*A.*) vel ne Superior in contemptum veniret, præcavendi.

Tertiò tamen Ordo ſervandus eſt, ut minorî, quantùm fieri poteſt, incommodô peccantis correctio vel averſio ſcandali, aliorúmve malorum fiat, de quo in Evangelio cautum: ut primò peccans ſolus, deinde coram duobus aut tribus teſtibus corrigatur; ac demùm, ſi non audîerit privatas admonitiones, Eccleſiæ, ſcilicet Superioribus, dicatur. Generaliter locum habet hîc illa regula Charitatis: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; proin nullus prudens & bonus Religioſus rationabiliter invitus eſſe cenſeatur, peccata ſua corrigi: tamen rationabiliter quiſque cenſeri poteſt invitus, ea, quæ ſubitaneo motu contra Superiorem effudit, ad eundem deferri, ſi alius modus Superiorem defendendi, ſcandalum, aliáve mala præcavendi in promptu erant. Unde etſi prudenter talis delator cogitare potuit, privatam ſuam monitionem non æquô animô acceptandam, minùs ſi cum teſtibus alterum conveniret: tamen ſi in Monaſterio duo Superiores ſint e.g. Abbas & Prior, Ordo Charitatis poſtulat ſaltem regulariter, ut non illi, qui offenſus & læſus eſt, ſed alteri malè dicta revelentur. Sed quæres: An ſit mortale peccatum, violare Ordinem, & tranſilire gradus correctionis in Evangelio præſcriptos? R. Si quis Ordinem Evangelicum ſine ſuo incommodo, & tamen cum probabili ſpe effectûs ſeu emendationis ſervare, & ſimul prævidere poteſt, quòd propter transgreſſionem ordinis hujus vel grave peccatum in Superiore, vel grave nocumentum in illo, qui corrigendus erat, ſecuturum ſit, tunc eſſe mortale: ſecùs ſi materia non valdè gravis, offenſio vel averſio Superioris non diuturna aut damnoſa alteri &c. veniale erit: maximè ſi probabiliter cogitari

poteſt,

Digitized by Google

poteſt, privatam correctionem non admittendam, aut mala ſecutura non ſatis per eam præcaveri poſſe &c., quod tum in Caſu præſenti, tum ſequenti, & univerſim in omni Caſu Correctionis fraternæ locum habet &c.

„ (*A.*) Quid & quale peccatum ſit Scandalum?

„ R. Scandalum definiri communiter ex D. Thoma *2. 2.* „ *q. 43. a. 1.* quòd ſit dictum vel factum minùs rectum (vel „ etiam horum omiſſio minùs recta) præbens alteri occaſio- „ nem ſpiritualis ruinæ. Opponitur Charitati beneficentiæ, „ ſeu fraternæ correctioni: veluti enim correctione fraternâ „ ſaluti proximi conſulitur, quatenùs is per eam à peccato re- „ trahitur, ita per ſcandalum ſaluti proximi nocetur, quatenùs „ per id ad peccatum inducitur. Porrò Scandalum ut ſic di- „ viditur in activum & paſſivum. Illud eſt, quod primùm „ deſcripſi: & aliud dicitur per ſe tale, aliud ſolùm per acci- „ dens. Scandalum activum per ſe eſt, quando directè in- „ tenditur ruina ſpiritualis alterius, ſeu quando aliquid fit, „ ut quis inducatur ad peccandum, ut ſi quis puellam ſolli- „ citet ad peccandum ſecum. Per accidens, ſeu impropriè „ activum dicitur, quando quædam actio ponitur, quæ qui- „ dem ſuâpte naturâ eſt apta alteri occaſionem ad peccandum „ præbere, quin tamen ipſum peccatum intendatur, ut ſi quis „ die vetito coram aliis comedat carnes, reticens licentiam „ comedendi, quam habet: interim prævidens alios ſe ſecu- „ turos. Unde ad peccatum ſcandali opus non eſt, ut ruina „ ſpiritualis proximi re ipſa ſemper ſequatur, ſed ſufficit, quòd „ ex opere poſito ſuâpte naturâ ſequi poſſit, aut probabiliter ſe- „ cuturum prævideatur, ut benè obſervat D. Thomas *loc. cit. a. 2.*

„ Scandalum merè paſſivum eſt, quod ſequitur quidem ex „ facto alterius, præter intentionem tamen tam operantis, „ quàm naturam ipſius operis: ſed vel ex fragilitate aut igno- „ rantiâ hominis, & tunc dicitur ſcandalum puſillorum: vel

Digitized by Google

„ ex mera malitia illius, qui ſcandalizatur, & tunc vocatur
„ ſcandalum Phariſaicum, quô modô frequentiùs leguntur in
„ Sacris Literis Phariſæi ſcandalizati ad Opera Chriſti, ex me-
„ ra ſcilicet ſua malitia & invidia erga Chriſtum. Peccatum
„ ſcandali gravitatem ſuam & levitatem in ratione malitiæ
„ deſumit à probabiliter prævíſa ruina proximi, unde morta-
„ lis culpa eſt, ſi dicta ruina ſit gravis: venialis, ſi ruina in-
„ tenta, vel prævíſa, ſit levis, ut communis docet DD. Si
„ ſcandalizans directè intendat ruinam proximi, non ſolùm
„ peccat peccatô ſcandali, ſed etiam fit reus peccati illius ſpe-
„ ciei, ad quod alium induxit, tenetúrque in Confeſſione di-
„ ctam ſpeciem exprimere cum numero actu inductorum, vel
„ quos probabiliter inducendos prævidit. Ratio eſt facilis,
„ quia non ſolùm peccat contra charitatem ratione ſcandali
„ dati, ſeu inductionis, & ſecutæ ruinæ ſpiritualis: ſed etiam
„ verè fit cauſa peccati illius, ad quod alterum induxit: adeo-
„ que & hoc debet in Confeſſione exprimere. Etſi autem
„ certum ſit ſecundùm omnes, nunquam licere directè ali-
„ quem ad peccatum inducere e. g. conſulendo, jubendo &c.
„ Scandalum tamen impropriè activum, ſeu per accidens non
„ ſemper vitandum eſt, ſed quandoque permitti poteſt; ſi
„ nimirùm opus, quod ponitur, de ſe non ſit malum, adſit-
„ que juſta, ac ſufficiens cauſa, id ponendi, nec aliundè de-
„ tur obligatio peccatum proximi impediendi. Tale, inquam,
„ opus facere licitum eſt, etſi prævideatur ſcandalum inde ſe-
„ cuturum, dummodò hoc nullatenùs intendatur. Ita Laym.
„ Bonac. ac paſſim DD. Ratio eſt, quòd taliter operans nec
„ peccato alterius cenſeatur cooperari, nec illud velle, ſed
„ jure ſuo utendo illud duntaxat permittere. Unde abſque
„ cauſa licitum quidem non eſt petere mutuum ab uſurario,
„ vel juramentum ab infideli per falſos Deos, vel à concubi-
„ nario adminiſtrationem Sacramenti &c., in caſu tamen ne-

„ ceſſi-

Digitized by Google

„ ceſſitatis talia licitè peti, & ut peccaminoſa permitti poſſunt. „ Ratio eſt, quòd omnia prædicta abſolutè abſque peccato „ fieri queant, ſufficiénsque cauſa adſit ea petendi: adeoque „ ſolùm illorũ malitiæ, qui hæc præſtant, adſcribendum ſit, quòd „ peccaminosè hîc & nunc agant, dum benè agere poſſent, „ ſi vellent. Benè tamen præcitati Authores advertunt, ma- „ jorem neceſſitatem & cauſam requiri, ut permittatur ſcan- „ dalum puſillorum, quàm Phariſaicum: item majorem, ſi „ plures ſint ſcandalizandi, ſi timeatur peccatum grave, & „ denique ſi certò prævideatur, quàm ſi incertò: item ſi a- „ ctio omninò propinquè ſit connexa cum peccato futuro, „ quàm ſi minùs propinquè ſit connexa. Unde meritò tum „ ob defectum ſufficientis neceſſitatis & cauſæ, tum ob nimi- „ am propinquitatem cum malo ſecuturo damnata eſt ab In- „ nocentio XI. ſequens propoſitio. Ord. 51. *Famulus, qui* „ *ſubmiſsîs humeris ſcienter adjuvat Herum ſuum aſcendere per* „ *feneſtras ad ſtuprandum Virginem, & multoties eidem ſub-* „ *ſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile* „ *cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabi-* „ *lis detrimenti, puta, ne à Domino malè tractetur, ne torvîs* „ *oculîs aſpiciatur, ne domô expellatur.* Plura circa hanc ma- „ teriam exempla videre poteris in Laym. *L. 2 tr. 3. c. 13. n. 4.* „ *& ſeq.* Bonac. *De peccatis d. 2. q. 4. punct. 2.* Illſung. *Tract. 3.* „ *n. 11.* & aliis ab his relatis.

CASUS CXLI.

OCcaſione præmiſſorum dubium oritur eidem Religioſo, an & quantum peccatum ſit, alia malè facta, aut dicta in Monaſterio retuliſſe, ſeu ut vocant, prodidiſſe Superiori, quæ Superiorem non concernunt, adeóque ad averſionem aut vindictam non provocant?

Digitized by Google

RESOLUTIO.

QUod in republica & quacunque communitate ſæcularium honeſtè & licitè revelari, denunciari, vel ad Superiorem deferri poteſt, & quandoque debet, id etiam in Communitate Religioſa fieri poteſt, ac debet eò magìs, quòd in Religione ordinariè tantùm de correctione fraternâ, aut leviori & medicinali pœnitentiâ agatur.

Unde 1. ſicut coram judice ſæculari ſubditus reſpondere, & veritatem dicere tenetur, ſive tanquam teſtis ab alio nominatus, ſive à judice per viam inquiſitionis procedente vocatus & interrogatus ſit, ut communis tenet DD. (ac propterea damnatæ ſint ab Innocentio XI. tres ſequentes propoſitiones Ordine *26. 27. & 28. Si quis vel ſolus, vel coram aliis interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis causâ, ſive quocunque alio fine jures, ſe non feciſſe aliquid, quod reverà fecit: intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec eſt perjurus.* Item. *Cauſa juſta utendi hìs amphibologiîs eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens & ſtudioſa.* Item. *Qui mediante commendatione, vel munere, ad magiſtratum vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum* &c.) ita etiam Religioſus inquirente Superiore, ſive in genere, ſive circa ſpecialem perſonam, non tantùm poteſt, ſed tenetur ex juſtitia dicere veritatem: ſecùs, ſi vel neſcire, vel non audiviſſe, non attendiſſe &c. falsò dicat, peccabit contra hoc 8. Præceptum: Non falſum teſtimonium dices.

Secun-

Digitized by Google

Secundò. Uti propter intereſſe reipublicæ (in eo conſiſtens, ne delicta maneant impunita, ideóque ſæpiùs reiterentur, vel ad ſimilia patranda alij animentur) licitum eſt accuſare, & denunciare facinoroſos, fures, latrones &c. non obſtante, quod delato damnum graviſſimum, vel etiam ultimum ſupplicium immineat: ita quoque in Communitate Religioſa, ſi vel in tali delinquente reiteratio delicti, vel in aliis malum exemplum, vel in communitate ipſa infamia, diſſolutio diſciplinæ, vel damnum quodcunque ſive in temporalibus ſive in ſpiritualibus timendum ſit, quilibet tanquam pars communitatis poteſt, imò tenetur ad avertendum tale malum (ſiquidem non aliunde avertendum videt, & ipſe privatâ correctione commodè ac certò avertere non poteſt) accuſare vel denunciare Superiori: quia bonum commune recto charitatis ordine præferendum eſt privato alicujus incommodo, quod ſuâ culpâ incurrit, adeóque ipſemet delinquens, non denunciator, cauſa ſui mali ſeu pœnæ eſt.

3.tiò. Similiter ſi delictum verbo aut opere comiſſum cedat in damnum tertij innocentis, puta, quia is ab officio amovendus, apud Superiorem, vel aliàs ſuſpectus, aut in malam æſtimationem venturus prævidetur, tunc rurſùs pro illius defenſione, ſcilicet ad præcavendum damnum quodcunque aliàs innocenti ſecuturum, licitè defertur res ad Superiorem (ſi aliàs facilior modus commodè & plenè præcavendi talia mala in promptu non eſt, per dicta Caſu præcedenti) quia ordinata charitas exigit potiùs innocentis, quàm nocentis habere rationem, & potiùs avertere malum, quod illi ex culpa aliena, quàm huic ex propria ſequi prævidetur. Dixi autem licitè poſſe denunciari: an etiam id neceſſe, adeóque non denunciare peccatum ſit, ex eo pendet, an neceſſitas defendendi valde gravis aut ſpecialis, ſimúlque

etiam

etiam medium defendendi facile ſit ſine proprio gravi incommodo, eô modô, quo de defenſione vitæ alienæ dictum eſt, ſuprà Caſu 86. & 87.

Cæterùm ubi talis cauſa præcavendi, aut corrigendi mala emergentia non ſubeſt, deferre ad Superiorem aliorum dicta aut facta v.g. dudum præterita, & quæ jam nullâ correctione aut cautelâ indigent, peccatum eſt, grave vel leve pro gravitate materiæ: imò quandóque graviùs ipſa detractione coram aliis de communitate factâ: quia quilibet rationabiliter magìs invitus eſt, & graviùs ſe læſum æſtimat, ſi apud Superiorem, quàm apud æqualem infametur, aut in malam opinionem veniat: maximè quia ſemper timere poteſt, ne etiam in effectu aliquod diſpendium, vel damnum ſibi ſequatur ex tali denigratione.

Denique cavendum ſedulò omni denunciatori aut delatori, etiamſi ex juſta cauſa deferat (multò magìs ſi ex garrulitate tantùm) ut dicta aut facta ſincerè referat, non exaggerando, non ſiniſtrè interpretando, nec addendo, neque etiam omittendo circumſtantias minuentes, ſcilicet excuſantes, & extenuantes delictum: ſecùs contra octavum præceptum directè, & ſi materia gravis ſit, graviter ac mortaliter peccabit. Vid. D. Thomas *2. 2. q. 33. a. 7.* Clavis Reg. *p. 2. l. 12. c. 10.* Laym. *l. 3. tr. 3 p. 2. c. 4. & alij.*

„ Quær. Quid ſentiendum de quorumdam Religioſo-
„ rum conſtitutionibus, vi quarum occultum fratris cri-
„ men immediatè denunciatur Prælato tanquam Patri, nul-
„ lâ præmiſſâ correctione fraternâ? R. Ejuſmodi conſti-
„ tutiones quandóque non tantùm licitas, ſed etiam utiles,
„ ac laudabiles eſſe poſſe. Ita Greg. de Val. *t. 3. d. 3. q. 10.*
„ *punct. 5.* Dominic. Bannez *in 2. 2. q. 33. a. 8. dub. 2. ad 7.* &c.
„ Ratio eſt. Quod ex una parte multùm conducere poſſint
„ ad bonum commune ipſius Religionis, ejúſque conſerva-

„ tio-

„ tionem & augmentum, quatenùs per paternam Prælatorum „ correctionem vitia ordinariè efficaciùs emendantur, occa- „ ſionéſque recidendi tolluntur, quàm per alios. Ex altera „ verò parte dictæ conſtitutiones nec obſtent juri naturali, „ quod quiſque habet ad ſuam famam illæsè conſervandam: „ nec Præcepto Chriſti, & Legi Evangelicæ præcipienti cor- „ rectionem fraternam & adhibitionem teſtium, antequam „ crimen occultum fratris denuncietur Eccleſiæ. Non qui- „ dem juri naturali: nam hoc ipſo, quòd quis petîerit in ta- „ lem cœtum admitti, in quo ſimilis conſtitutio viget, etiam „ cenſetur in eam conſenſiſſe, adeoque liberè ceſſiſſe juri ſuo, „ & conſequenter nulla ei utpote ſcienti & volenti ampliùs fit „ injuria: *Argument. reg. ſcient. &c. de Reg. Jur. in 6.* Sed „ nec præcepto Chriſti, quia Chriſtus ordinem corrigendi „ inſtituit conformiter legi naturali, ut ſcilicet in tantum „ parcatur famæ delinquentis, ne ei fiat injuria: atqui in da- „ to caſu nulla ampliùs fit injuria; eò quòd delinquens per „ ingreſſum in Cœtum Religioſum, in quo talis conſtitutio „ viget, ultro juri ſuo renunciaverit, ut dictum: ergò eti- „ am nihil fit contra præceptum Chriſti. Deinde ſic argu- „ mentatur Suarez *de Charit. d. 8. ſect. 6. n. 12.* Vel pecca- „ tum Religioſi leve eſt, vel grave? Si leve, utilitas denun- „ ciationis plerumque erit major: & ſic delinquens non cen- „ ſetur rationabiliter invitus. Si grave, tunc vix fieri pote- „ rit, ut non etiam noceat aliis propter communicationem, „ ſcandalum &c.: vel ipſi Religioni propter periculum infa- „ miæ, aliorumque damnorum: & tunc denunciari poterit, „ aut omninò debebit tanquam pernicioſum &c. Hoc ſal- „ tem certum videtur, denunciandum eſſe magìs Præpoſito, „ quàm aliis de Cœtu, tum quia is ut pius ac ſpiritualis Pater præ- „ ſumitur magìs idoneus, ad emendandum & ad juvandum fra- „ trem, quàm alius: tum quia de ratione ipſius officij eſt corri- „ gere & emendare.

Digitized by Google

„ Dixi tamen *quandoque* licitas ac laudabiles eſſe poſſe: „ non negando, quòd contingere poſſit, ut in Cœtu quodam „ vel Congregatione particulari ex circumſtantiis & qualitate „ ſubditorum vel etiam Prælatorum magìs noxiæ, quàm ſa- „ lubres ſint: ſed hoc per accidens eſt. Unde etiam D. „ Thomas *Quodlib. 11. a. 13.* aſſerit: In hac materia, *non poſ-* „ *ſe dari generale judicium, niſi quòd in omnibus ſemper ſer-* „ *vanda eſt Charitas, & quòd magìs expedire videtur.*

CIRCA PRÆCEPTUM NONUM.

Non concupiſces uxorem proximi tui. Exod. 20. Deuter. 5.

POſtquàm Divina Sapientia peccata oris ſeu vitia linguæ octavô præceptô coercuit, ad peccata cordis deſcendit, dicens: *Non concupiſces.* Et meritò. Nam quantorum malorum cauſa & origo ſit prava concupiſcentia, S. Joan. declarat in ſua *epiſt. 1. c. 2. Quoniam omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt: & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Poteſt autem in præſentiarum quadruplex diſtingui concupiſcentia: naturæ ſcilicet, ſpiritûs, carnis, & ea, quæ hôc præceptô prohibetur. Quarum prima à Deo ut Authore naturæ nobis eſt indita, qualis eſt appetitus edendi, conſervandi ſeipſum &c. & hæc ſi limites ſuos non excedat, recta ac bona eſt. Altera repugnat deſideriis carnis & ſanguinis, ac propterea etiam ex Deo eſt, ut Authore Supernaturali, ad ſalutem animæ compri-

primis conducibilis, imò neceſſaria: adhortante nos ad eam S. Script. Sap. 5. & 6. *Concupiſcite ſermones meos.* Et Eccleſ. 24. *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me.* Tertia eſt fomes peccati ex originali labe reſiduus: & hic quia nobis non voluntarius, idcircò de ſe (niſi ſcilicet voluntatis conſenſus accedat) peccaminoſus quoque non eſt, atteſtante id expreſsè S. Concil. Trid. Seſs. 5. *Manere autem in Baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem, hæc S. Synodus fatetur, & ſentit: quæ cùm ad agonem relicta ſit nocere non conſentientibus, ſed utiliter per Chriſti gratiam repugnantibus, non valet.* Nomine quartæ demum aliud non intelligitur, niſi motus animi, ſeu voluntarium ac deliberatum deſiderium carnalium voluptatum; quod quia in noſtra poteſtate eſt, ac graviter repugnat rectæ rationi, ipſique primæ regulæ honeſtatis, ideò etiam extra omnem controverſiam grave peccatum, & quidem ſpecie diſtinctum à ſimplici, ſeu moroſâ præcisè delectatione conſtituit: ac proinde à Domino Deo gravi quoque ac ſpeciali præcepto, in tribunali Sacro exprimendo meruit prohiberi. De quo breviter ſequentia.

CASUS CXLII.

POEnitens ait ſe ante annum concupiviſſe uxorem proximi, & tantùm ac ſolummodò confeſſum eſſe, quòd contra 6. Præceptum Decalogi peccaverit, non exprimendo, quòd circa conjugatam cogitaverit, & delectatus ſit, adeóque contra nonum Præceptum peccaverit; quid judicare vel interrogare habet Confeſſarius?

RESOLUTIO.

INterrogandus eſt, an concupiſcentia illa circa conjugatam fuerit cum propoſito peccandi, ſi poſſet, vel cum aliquo affectu externo, quærendo occaſiones & media eandem inducen-

ducendi ad peccatum; hoc enim propriè eſt concupiſcere uxorem proximi, ſcilicet intendere, velle, ac proponere cum ea peccare. Atque omninò neceſſarium in Confeſſione exprimere hanc circumſtantiam conjugij, ut unanimis tenet Sententia Theologorum, quia ſicut peccare cum conjugata aliud ſpecie peccatum eſt, quàm cum ſoluta, ita etiam proponere & velle peccare cum conjugata, novum & majus eſt peccatum ad ſpeciem adulterij pertinens; nimirùm propoſitum utpote actus efficax deſumit malitiam ab objecto externo, in quod tendit.

Aliud ſentiendum, ſi tantùm interna licèt moroſa delectatio fuerit, hæc enim utpote actus inefficax in ſolo animo delectantis perfectus, neque in objectum externum tendens, ejuſdem ſpeciei eſt, ſive occaſione conjugatæ ſive ſolutæ oriatur, per ea quæ fuſiùs Caſu 94. dicta ſunt. Igitur ſi Confeſſarius advertat tantùm ſimplicem delectationem veneream ante annum admiſſam eſſe, poteſt diſſimulare, niſi ſpecialiter ſuſpicetur, aut defactò propter conſcientiam erroneam graviter peccatum eſſe, omittendo vel in prima, vel in ſubſequentibus poſt annum confeſſionibus factis hanc circumſtantiam, quam ipſe neceſſariò aperiendam judicavit erroneè, aut impoſterùm periculum eſſe ex hoc errore graviùs peccandi.

Quòd ſi verò advertat etiam propoſitum interceſſiſſe, ulteriùs inquirendum, qua mente reticuerit, an ex verecundia, an ex oblivione & quidem tali, ut nunquam intra annum nec in prima, nec in poſterioribus ſuis Confeſſionibus in mentem venerit, hoc peccatum in ſua ſpecie, ſive hanc circumſtantiam ſpeciem mutantem nondum ſe eſſe confeſſum, quô indagatô ad repetitionem Confeſſionum, (*A.*) earum ſcilicet, quæ ſcienter imperfectæ, adeóque nullæ fuerunt, procedet. Videantur dicta ad Caſum 90. ac præſertim 93. 94. 95.

» (*A.*)

Digitized by Google

„ (*A.*) Quomodo repetitio Confeſſionum inſtituenda ſit, „ dictum eſt in Append. 1. p. dub. 6. &c.

CASUS CXLIII.

FAmulus mercatoris vel opificis confitetur, quòd uxorem Domini aut Magiſtri ſui ducere concupî-erit, idque tam inordinatè, ut Dominum ſuum aut Magi-ſtrum citò mori optaverit, cum ſerio propoſito ducendi vi-duam relictam.

RESOLUTIO.

DUæ hîc concupiſcentiæ, ſeu deſideria pœnitentis conſide-randæ & rurſus inter actus efficaces accuratè diſtinguen-dum eſt. Prima concupiſcentia circa Uxorem Domini eſt, de qua inquirendum primò: An tantùm ſub dicta intentio-ne, & in eventum, quando vidua erit, habuerit propoſitum eandem ducendi? an verò etiam de præſenti intentionem ali-quam cum eadem peccandi, ſi poſſet? vel ſaltem an occa-ſione ſui conditionati propoſiti de præſenti venereas commo-tiones & delectationes advertenter & moroſè ſeu voluntariè in animo habuerit?

Prima concupiſcentia ſeu propoſitum ducendi in caſum mortui moderni mariti ſe ſola culpâ caret: quia propoſitum eſt efficax actus deſumens vel honeſtatem, vel malitiam ab objecto externo, in quod tendit: atqui objectum, in quod propoſitum hoc tendit, ſcilicet ducere hanc fœminam, cùm licitè duci poteſt, ſcilicet mortuo marito, honeſtum & lici-tum eſt: ergò etiam id proponere, intendere, aut ſeriò vel-le non illicitum eſt, quod enim licet facere, licet etiam vel-le & proponere.

Quòd ſi verò occaſione hujus propoſiti ex ſe honeſtioria-tur, & voluntariè ſeu moroſè tolleretur delectatio & vo-

luptas interna venerea, hoc peccatum eſt, ſicut univerſim conſenſus in delectationem veneream, ut ut ea ex actione honeſta oriatur v. g. ex Studio Caſiſtico ex Confeſſionum exceptione &c. ſemper peccatum mortale eſt, juxta dicta Caſu 90. Idque per rationem ſæpiùs allatam, quòd actus inefficax non ab objecto externo, ſed à fine internè animum movente & occupante, quod in propoſito eſt turpis & libidinoſa voluptas, ſpeciem & malitiam deſumat, uti explicatum eſt Caſu 94. & 95.

Altera concupiſcentia interceſſit de morte mariti, ideò examinanda, quia ſatìs probabiliter peccatum mortale latere poteſt. Interrogandus igitur erit pœnitens, an tantùm ſimplex deſiderium, inefficacem appetitum ſeu complacentiam, ſi moreretur maritus &c., habuerit? an verò etiam aliquô modô licèt remotè cooperatus ſit, vel aliquid fecerit, aut omiſerit ea intentione, ut ille citiùs moreretur? hoc poſteriori caſu quia actus efficax interceſſit, erit peccatum mortale, non item priori caſu per antè dicta Caſu 88. Plura, quæ circa concupiſcentias carnales ſcienda, & in Confeſſionali interroganda, ſuprà ad 6. Præceptum explicata ſunt: & in praxi non ſeparanda, ſed ubi neceſſitas poſtulat ex ordine decalogi inſtitui, conjungenda ſunt ad 6. & 9. Præceptum, atque uno contextu de cogitationibus & concupiſcentiis, verbis & operibus carnalibus pœnitens monendus & examinandus erit: nec proin ulteriori explanationi hujus Præcepti, utpote in 6.to potiſſimùm jam contenti, immoramur.

CIR-

CIRCA DECIMUM ET ULTIMUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

Non domum, non agrum, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, & univerſa quæ illius ſunt. Exod. 20. & Deuter. c. 5.

UTrôque ultimô Præceptô peccata cordis inhibuit Divina Sapientia: prius tamen deſiderium ſeu concupiſcentiam thori alieni, aliarúmque internarum voluptatum carnalium, quàm divitiarum, ſeu bonorum fortunæ in Decalogo ſeu ſerie ſuorum præceptorum expreſſit: tum quia graviùs peccatur concupiſcentiâ thori alieni, quàm rerum externarum: tum quia genus humanum naturaliter magìs proclive eſt ad prius, quàm poſterius. Quò tamen efficaciùs fugam utriuſque inculcaret, non unó, ſed duplicî ſpeciali & expreſsô præceptô hæc mala cordis deſideria coercere voluit: *Non concupiſces uxorem proximi tui. Non domum, non agrum* &c. Non obſtante, quòd implicitè, ſeu indirectè in Præcepto 6. & 7. comprehendantur. Sit proin

CASUS CXLIV.

HOmo plebejus ex ordine Decalogi confeſſionem perficiens, ultimô locô confitetur, ſe contra decimum Præceptum concupiviſſe rem proximi ſui, idque ſeriò, & in materia gravi, nempe agrum, domum &c. adeóque

que ſecundi peccati mortalis & capitalis, ſcilicet avaritiæ, ſe reum eſſe.

RESOLUTIO.

INterrogandus breviter, an ita affectus fuerit, ut, ſi poſſet, aut occaſionem haberet bona proximi ſibi procurare, voluiſſet, etiam injuſtô & illicitô modô cum offenſa Dei? hoc ſi affirmet, absque controverſia peccati mortalis arguendus. Sed ulteriùs quærendum, an actuale propoſitum auferendi, vel injuſtè obtinendi rem alterius habuerit? hoc enim novam ſpeciem peccati faceret, ſcilicet propoſitum furandi &c. Abs his ſi tantùm inefficaciter per ſimplicem complacentiam rem proximi concupivit (tametſi inordinatè, adeóque per avaritiam) non niſi venialiter peccâſſe cenſendus eſt.

Inſtruendus tamen, ſi ſcrupulô vel erroneâ conſcientiâ laborare videtur, quia homo plebejus, vel etiam Confeſſarius minùs doctus facilè in his errare, atque ex eo, quòd in Cathechiſmo ſeu rudimentis Fidei avaritia ponatur inter 7. peccata capitalia ſeu mortalia (ut intitulantur) ſibi perſuadere poſſet, concupiſcentiam hanc ſeu avaritiam, eatenùs ex toto genere mortalem eſſe, ut ſolummodò indeliberatio actûs & parvitas materiæ à reatu peccati mortalis excuſare poſſit, ſicut in aliis, quæ intrinſecè mala, & ex ſuo genere peccata mortalia ſunt, pro regula traditur; quod tamen in propoſita materia non ita eſt, ſed etiamſi aliquis deliberatô animô ingentes divitias, domos, agros, imò integra regna, aut totius orbis monarchiam deſideret, affectet, & ſibi optet, non peccabit mortaliter, dummodò tacitam conditionem in mente retineat, ſi ſcilicet *licitô modô fieri poteſt.* Item ſi inefficaciter & ſimplicî complacentiâ tantùm, non intendendo damnũ proximi ſed abſtrahẽdo (uti in ejuſmodi actibus inefficacibus fieri ſolet) bona penès alios viſa ſibi optet, & cupiat, ut ut materia gravis & deliberatio ſufficiens adſit, tamen Charitas DEI aut proximi

ximi graviter non lædetur: conſequenter mortaliter non peccabitur. Ad rationem dubij ſeu ſcrupuli propoſitam

R. Concupiſcentiam rei alienæ meritò in Decalogo prohiberi, item avaritiam, rectiſſimè inter peccata capitalia numerari, quia caput radix & cauſa eſt, unde maxima & peccata mortalia paſſim naſcuntur, v. g. furta, rapinæ, fraudes, calumniæ, bella injuſta &c. attamen per ſe & priusquam effectus hujuſmodi mali ſequantur, peccatum mortale non eſſe, niſi in terminis habilibus & genere ſubalterno, cum ſcilicet concupiſcentia vel avaritia Charitati erga DEUM vel proximum graviter adverſetur; quod tunc ſit, cùm affectio & intentio tam perverſa eſt, ut quis ſine reſpectu conſcientiæ aut juſtitiæ per fas & nefas bona aliena ſibi arrogare paratus, ac deliberatè reſolutus eſt, de quo propterea pœnitens, qui de avaritia vel concupiſcentia rei alienæ ſe accuſat, unicè examinandus erit. Porrò quod de avaritia dictum, etiam notandum pro aliis peccatis, quæ capitalia ſeu mortalia nominantur; quæ quidem ſunt capita ſeu principia & cauſæ peccatorum mortalium, attamen ex ſe rarò mortalia ſunt (*A.*) niſi vel ex affectu nimìs perverſo prodeant, ut modò dictum: vel ultra proprios & communes terminos ſingularem malitiam, ſcilicet Superbia contemptum DEI & proximi, Invidia odium aut malevolentiam, Gula rationis privationem, Ira intentionem vindictæ injuſtæ, Acedia neglectum præcepti graviter obligantis &c. ſecum ferant, vel poſt ſe trahant.

„(*A.*) Quandonam Avaritia peccatum mortale? Avaritia eſt immoderatus appetitus habendi pecunias, aliasve „res externas pecuniâ æſtimabiles. Opponitur non tantùm „liberalitati, ſed etiam quandoque juſtitiæ adverſatur, ut „docet D. Thomas *22. q. 118.* Quamvìs autem, prout opponitur liberalitati, ex genere ſuo ſolum peccatum veniale „ſit: niſi ſcilicet amor divitiarum, rerúmque externarum in

„ tantum excedat, ut quis in iis vel rationem ultimi finis po-
„ nat, vel Charitati Dei aut proximi hîc & nunc graviter ob-
„ liganti præponat, ut dum pauperi in extrema neceſſitate
„ conſtituto non ſuccurritur &c. Quatenùs tamen avaritia
„ virtuti Juſtitiæ opponitur, ex genere ſuo peccatum mortale
„ eſt, niſi imperfectio actûs, vel parvitas materiæ excuſet, ut
„ expreſsè tradit D. Thomas loc. cit. *a. 4. in c.* Adeoque ra-
„ tione avaritiæ ſemper peccabitur mortaliter, quotiescunque
„ bona alia appetuntur cum damno proximi, ſeu contra ju-
„ ſtitiæ æquitatem, cuique ſuum tribuentis, niſi ſcilicet par-
„ vitas materiæ, vel actûs imperfectio excuſet.

CASUS CXLV.

PErgit, & ſe de Invidia quoque accuſat, ſpecialiter ſemel optâſſe, aut cum complacentia audiviſſe, aliorum ſegetes grandine contritas eſſe, ſuis in ſalvo manentibus &c.

RESOLUTIO.

IN praxi vix aliud ab homine plebejo indagandum, quàm utrùm ex odio aut malevolentia magnum malum proximo vel ipſe inferre intenderit, vel aliundè inferendum aut illatum eſſe deliberatè voluerit, & complacuerit. Quamvis enim exiſtimem invidiam per ſe, etiam excluſô odiô, poſſe eſſe mortale peccatum, ut mox declarabo, quia tamen id rariſſimè, imò ex quorumdam DD. Sententia nunquam contingere poteſt, non erit pœnitens ulteriùs examinandus, quia in Confeſſionali interrogatoria facienda ſunt de iis, quæ communiter fiunt, & probabiliter facta judicantur. Pro intellectu hujus materiæ, de Invidia quæ communiter, ſed incompletè definitur *Triſtitia ſive dolor de bono proximi*: ſciendum eſt diverſimodè de bono alterius dolere, & diverſa ſpecie peccata ex hoc com-

committi poſſe ; nam ut nihil dicam de æmulatione, quæ non dolor de bono alterius (ideóque extra caſum propoſitum) ſed dolor eſt de defectu proprio, ſeu de carentia illius boni, quod quivis in proximo ſuſpicit ; proin dolet, non quòd proximus illud habeat, ſed dolet, quòd etiam ipſe non habeat : hæc æmulatio ſi circa bonum laudabile & honeſtum ſit, laudabilis eſt, ſi circa bona fortunæ tamdiu inculpata, quamdiu non inordinatâ, ſeu cupiditatem avaritiæ importans eſt, ut aliàs jam dictum fuit : propriè autem de bono proximi, ſive propter hoc, quòd proximus benè habeat. Dolere poſſumus tripliciter. Primò : quia ex bono & fortuna proximi prævidetur ſecuturum, vel timetur nocumentum proprium : ita quandoque dolent Principes vicinos ſuos fieri potentes : ita Mercatores, Opifices dolent alios æſtimationem, acceſſum, lucrum ſortiri ; id, quod vulgariter & abuſivè Invidia nominatur, attamen non eſt invidia, ſed Charitas à ſe ipſo incipiens, quæ quidem facilè in vitium & peccatum degenerare poteſt, propter exceſſum & inordinationem, uti ſemper amor ſui periculis obnoxius eſt : at mortale peccatum non erit, niſi aliud accedat, quod ſpeciem novam conſtituat, v. g. Intentio injuſtè impediendi, abſolutè vel conditionatè ſi poſſet, &c.

Secundò dolere poſſumus de bono proximi abſque noſtro intereſſe ex eo tantùm, quia proximi bonum eſt, cui non bonum ſed malum volumus, & optamus, & hoc odium, atque vel maximè contra charitatem ; proin ſi materia gravis, & animus deliberatus ſit, peccatum mortale eſt, ut cum D. Thoma communis tenet Theologorum, nec infrequens inter plebejos ; ideò pœnitentes, qui ſe accuſant de invidia, quam probabiliter neſciunt ab odio diſtinguere, de hoc examinandos dixi.

Tertius dolor, qui propriè invidiam conſtituit, eſt, cùm

nec propter intereſſe noſtrum reale, ſeu propterea, quòd re ipſa nobis aliquid per fortunam aut bonum proximi decedat, triſtamur, & dolemus: neque etiam ex odio, ſive ex eo, quòd proximo malum per ſe velimus, verum propter imaginarium ſolùm intereſſe, & perperam apprehenſum proprium nocumentum ex bono proximi, quæ apprehenſio vel imaginatio communiter ex duabus impreſſionibus provenit; ſcilicet quia vel imaginamur ſolatium eſſe, habere ſocios malorum, quomodo pauperes divitibus invident, dolendo non etiam eos eſſe ſui ſimiles, vel quia imaginamur glorioſum eſſe habere ſingulariter, & alterum non habere bona, quæ nos habemus: quomodo invident, qui excellere in arte ambiunt. Item qui nomen ſingularis potentiæ, prudentiæ, fortunæ affectant, ideóque dolent, ſi alium ſibi ſimilem, aut ſuperiorem eſſe intelligunt, etſi re ipſa nihil interſit, v. g. Pictor vel Muſicus Italus dolet, quando audit in Germania inveniri alium ſe excellentiorem &c. hæc invidia peccatum capitale eſt, quia caput & origo gravium malorum & mortalium peccatorum: ſic enim invidiâ Diaboli mors intravit in orbem, & inter homines facillimè ex hac invidia ſequuntur odia, doli, propoſita vel actualia nocumenta contra Juſtitiam & Charitatem &c.

Ex ſe autem niſi talis affectus malus ſequatur, aut odium jungatur, invidia ſive dolor ob bonum proximi, quod & quia apprehenditur tanquam derogativum propriæ fortunæ, conditioni aut excellentiæ, non facilè eſt mortale: nam talis dolor vel triſtitia, ex imaginatione vana proveniens, non graviter contra charitatem proximi, ſed magìs eſt inordinata charitas erga ſe ipſum, quia invidus ita ſe amat, ut propter reſpectum vel commodum, aut bonum etiam imaginarium, & tantùm in aliqua apprehenſione fundatum doleat de bono proximi, aut gaudeat de bono ipſius, quod utique inordinata chari-

charitas ſui, ideóque vitium & peccatum invidiæ eſt: ſed mortale non eſt, niſi in caſu raro, eo videlicet, ſi tanta inordinatio & perverſitas intercedit voluntatis, ut quis amico, quem cæteroquin non odit, adeóque erga quem odium non intercedit, tamen deliberatô animô præcisè propter reſpectum aliquem, quem imaginarium ſolùm & ſine fundamento eſſe agnoſcit, ſeriò vult, & morosè optat, magnum malum evenire, aut magnum bonum decedere, quem affectum, licèt odium non ſit, tamen graviter contra charitatem, ideóque peccatum mortale invidiæ judico.

Quod particulariter in caſu poſitum eſt de eo, qui optat, vel gaudet vicini ſegetes contritas eſſe, ex præmiſſis reſolvitur: ſcilicet ſi ideò gaudet, vel optat (inefficaciter ſeu ſimplicî complacentiâ) quia indè commodum ſperat chariùs vendendi ſuum frumentum &c. non peccat, niſi fortè propter inordinationem & exceſſum venialiter: ſi gaudet, quia vicino malè vult, & malum ut *malum* optat, odium erit, & peccatum mortale. Si verò gaudet propter imaginarium aliquem reſpectum, quia glorioſum videtur, ſe magìs fortunatum, ſeu impoſterùm majoris conſiderationis, opulentiæ, aut qualiſcunque excellentiæ præ vicino futurum, peccatum invidiæ erit, quia idem eſt de bono proximi dolere, ac de malo ejuſdem gaudere; quod cùm fiat ex improportionata & tantùm imaginaria cauſa peccatum eſt, ſed ordinariè tantùm veniale, niſi antedictô modô tanta inordinatio & perverſitas voluntatis intercedat, ut Charitas graviter lædatur. Vide Laym. *L. 2. tr. 3. c. 10.* Buſenbaum *L. 5. c. 3. d. 4.* & alios.

CASUS CXLVI.

PAuper quidam civis, aut opifex confitetur, quòd ſæpè aleìs & chartifoliìs luſerit ex concupiſcentia lucrandi pecunias proximi, id ordinariè pro moderata quantitate,

titate, ſemel autem pro immodica ſumma, quam quia perdidit, nunc cum familia egere debet.

RESOLUTIO.

CIrca luſum, de quo præſentî & ſequentibûs tribûs Caſibûs ſermo erit, generaliter præſciendum eſt, luſum eſſe contractum ſeu certam conventionem, ut pecunia depoſita ei cedat, qui juxta leges luſûs victor fuerit. Leſſius & alij communiter.

Differt verò ab aliis contractibus, quòd ex intentione & naturâ, ſeu fine intrinſeco luſûs, unus tantùm commodum & lucrum, alter verò damnum & jacturam pecuniæ ſuæ ſentiat, cùm econtrà in aliis contractibus communiter uterque contrahentium commoditatem & utilitatem ſuam percipiat, v.g. in emptione & venditione, locatione & conductione &c. vel certè ubi contractus in alterutrius tantùm utilitatem cedit, ut fit in commodato & depoſito, alter ſaltem damnum non patiatur, etſi gratìs tanquam amicus amico gratificet. Unde non eadem ratio honeſti & liciti eſt in luſu, quæ in aliis contractibus, quia finis non æquè bonus & honeſtus, ſed in jure improbatus eſt, ſcilicet cum alterius damno locupletari eo ferè modo, quantùm ad intentionem lucri & fœnoris, ſicut in uſurariis contractibus contingit; attamen hæc ratio mali ex alio principio corrigi poteſt, videlicet quia volenti non fit injuria: neque enim contra voluntatem neceſſitate aliqua adigente (ut in uſuris fit) alteruter ludere compellitur. Cùm igitur rei ſuæ quisque arbiter ſit, & gratuitò donare poſſet, multò magìs ſub conditione & ſpe lucri reciproci exponere pecunias ſuas licet; proinde luſus, quatenùs partim contractus, partim conditionata donatio eſt, tanquam licitus & honeſtus defendi poteſt: ſiquidem inſuper propter finem extrinſecum bonum inſtitutus eſt, ſcilicet propter rationabilem diſtractionem aut recreationem, vel in gratiam amici, aut

Digitized by Google

aut pro ſolatio ægrotantis &c. quòd ſi verò in aliquo præmiſſarum defectus ſit, vitioſus efficitur & illicitus. S. Thomas *2. 2. q. 168. a. 2.* Clavis reg. *L. 11. c. 12.* Laym. *L. 3. tr. 4. c. 21.*

Unde primò ſi ludens præciſè intendat cum alterius damno lucrari abſque eo, quòd ſub conditione ſuas pecunias liberè & bona voluntate donare ſocio, ſi ille victor evadat, paratus ſit: qualem intentionem produnt ij latentem in animo, qui, cùm perdunt, in iram & indignationem erumpunt; talis non licitè ludit, ſed propter intentionem non rectam & affectum inordinatum ad lucrum, ſaltem venialiter peccat, ut docent Navar. *c. 20. n. 7. & 8.* Azor & alij.

Secundò. Qui contrahere cum altero non poteſt, etiam ludere, ſeu pecunias, aliáſve res ludendo exponere non poteſt, v. g. Filiusfamilias, Religioſus &c. nam luſus eſt contractus & alienatio rei expoſitæ. Leſs. loc. cit. Laym. *n. 5.*

Tertiò ſimiliter ludere non poſſunt, qui licèt contrahere, tamen donare non poſſunt, v. g. Adminiſtratores, Tutores, Procuratores intelligendo de rebus, quas adminiſtrant; quia luſus, ut licitus & honeſtus ſit, involvere debet liberalem intentionem donandi ſub conditione victoriæ & fortunæ, ut dictum eſt.

Demùm niſi honeſto fine fiat luſus, licitus abſolutè & à veniali ſaltem culpa immunis non erit: cùm enim finis intrinſecus luſûs non abſolutè bonus & utilis ſit, ſed quantùm uni utilis, tantum alteri damnum adferat, neceſſè eſt, ut fine extrinſeco honeſtetur, aliàs ſaltem actio otioſa, ſeu compenſando lucrum unius cum damno alterius inutilis, atque vel ideò mala erit, quia tempus & pecunias inutiliter abſumit, ac temerè certum pro incerto non ſine nota prodigalitatis exponit.

Ex

Ex his præmiſſis ſequitur reſolutio Caſûs poſiti, nimirum in homine paupere & opifice improbandam & vitioſam eſſe conſuetudinem ludendi tum propter finem, quia hujuſmodi homines non quærere recreationes & diſtractiones, quò luſus ſpectat (niſi fortè rarò diebûs feriatîs) verùm pro alenda familia laborare debent; tum quia egente familiâ pecunias prodigere, donare, vel periculo amittendi exponere ſine peccato non poſſunt.

Sed quæſtio manet, an & quomodo mortaliter peccet talis opifex? ubi dicendum, ex eo præciſè, quòd tempus & pecunias prodigat, tantùm venialiter peccare; & tametſi de uxoris & liberorum intereſſe agatur, quia tamen id ſolùm prodigit, quod ſuo labore lucratus eſt, & citra culpam ſaltem mortalem non lucrari, ſive non laborare potuiſſet: inſuper ordinariè tum ipſe inter ludendum cogitare, tum in Confeſſionali Confeſſarius præſumere poteſt talem opificem id ipſum, quod ludendô perdidit, rurſus laborandô compenſare poſſe, peccati mortalis arguendus non eſt, exceptîs duobûs caſibûs extraordinariîs. 1mò. Si experientia doctus, vel aliàs certus eſt, & tempore luſûs prævidit, ſi pecuniam expoſitam perdat, uxorem vel liberos aliquot diebûs nec panem aut ſuſtentationem neceſſariam habituros, adeóque ſine gravi damno, aut periculo eorum ſe pecunias exponere non poſſe, tunc enim exponendo graviter contra charitatem & obligationem alendi familiam peccaret. Sanc. Trul. *c. 27. d. 1.* & alij.

Secundò. Si non tantùm pecunias ſuas & ſuo labore acquiſitas in luſu exponat, ſed etiam dotales & parapharnales, vel bona à priore conjuge acquiſita, quorum tantùm uſum fructum habet (proprietate ad liberos prioris matrimonij in pœnam ſecundarum nuptiarum devolutâ) cùm enim talia bona nec contrahendo alienare pro libitu, nec

dona-

donare poſſit; utique etiam ludendo perdere, vel exponere non poteſt: & à Confeſſario non ſolùm peccati mortalis contra juſtitiam, propter injuſtam uſurpationem rei alienæ arguendus, verùm inſuper de reſtitutione ſeu compenſatione, vel per intenſiorem laborem, vel parciùs vivendo, aut aliis mediis poſſibilibus facienda monendus, & inſtruendus erit.

„ Q. In quibus potiſſimùm circumſtantiis luſus graviter „ ſit prohibitus?

„ Etſi luſus ex natura ſua & generaliter ſumptus non ſit „ illicitus: imò ſi debitô modô inſtituatur, etiam opus du- „ plicis virtutis, ſcilicet Eutropeliæ ſeu Jucunditatis, & Ju- „ ſtitiæ à D. Thoma *2. 2. q. 168. a. 2.* dicatur &c., dubium ta- „ men non eſt, ex variis circumſtantiis vitiari ac illicitum „ reddi poſſe. Primò igitur luſus fieri poteſt illicitus, gra- „ vitérque peccaminoſus, quatenùs eſt occaſio, vel cauſa alio- „ rum malorum, v. g. Blasphemiarum, perjuriorum, convi- „ tiorum, dilapidationum &c. ob quas cauſas luſus alearum, „ ſeu taxillorum non tantùm Perſonis Eccleſiaſticis *c. 1. diſt.* „ *35.*, ſed generaliter etiam Laicis eſt prohibitus, adeò, *Ut* „ *nulli liceat in publicis, vel privatis domibus, vel locis lude-* „ *re, neque inſpicere: & ſi contrà factum fuerit, nulla ſequa-* „ *tur condemnatio, ſed ſolidum reddatur, & actionibûs compe-* „ *tentibûs repetatur ab iis, qui dederunt. L. Alearum. C. Re-* „ *lig. & ſumpt. fun.* quæ ſalubris conſtitutio ut magìs in vi- „ gore eſſet, omninò exoptandum foret. 2. Ratione ſcan- „ dali ob circumſtantiam temporis vel Loci ſacri, vel etiam „ ipſarum Perſonarum: qua ratione vel maximè peccare poſ- „ ſunt Clerici & Prælati, præſertim ſi ſe exerceant in ludis „ prohibitis, ut notat Clavis reg. *L. 11. c. 12. n. 3.* 3. Ratio- „ ne materiæ aut finis, ſi nimirùm intendantur, vel ſaltem „ immiſceantur ludis ac luſibus obſcœna & irreligioſa: de „ quibus in S. Scriptura Exod. 32. *Sedit populus manducare*

„ *& bibere, & ſurrexerunt ludere &c.* Thob. verò 4. *Nun-*
„ *quam cum ludentibus miſcui me.* 4. Ex nimio ad luſum
„ affectu, ut ſi ludens ob amorem luſûs non curet Sacrum
„ die feſto omittere, aliúdve præceptum transgredi, vel ad
„ id obſervandum ſe ineptum reddere. 5. Si quis dolo,
„ vi aut metu alium ad ludendum inducat: vel fraudibûs
„ contra leges luſûs utatur: quibûs caſibûs etiam onus re-
„ ſtitutionis orietur ſub gravi vel levi peccato juxta pro-
„ portionem materiæ & damni dati. 6. Ratione pericu-
„ li, ne notabile quoddam nocumentum in tertiam perſo-
„ nam redundet, ut in præfixo Caſu declaratum. 7. De-
„ mùm, an ludens præciſè propter lucrum ſuppoſitâ ſuffi-
„ cienti quantitate materiæ graviter, vel leviter duntaxat?
„ diſputant AA. Gabriel Abulens. aliique, quos refert
„ Lugo *d. 31. de Juſt. & Jur. ſect. 113.* volunt, graviter eos
„ peccare, eò quòd deſiderent, & intendant principaliter
„ damnum grave proximi contra hoc decimum Præceptum.
„ *Non concupiſces rem proximi tui.* Probabiliùs tamen ſen-
„ tiunt Navar. *in Man. c. 20. n. 7. & 8.* Bonac. Azor. & alij,
„ tales vel omninò non peccare, eò quòd non deſiderent
„ rem proximi modô illicitô, ſed per luſum tanquam con-
„ tractum licitum & non prohibitum: vel leviter ſolùm
„ delinquere propter inordinationem quandam ſaltem le-
„ vem ordinariè fermè intercurrentem: quibus etiam con-
„ cordant dicta in Caſu. Plura alia ſubintelliges per Ca-
„ ſus ſubſequentes.

CASUS CXLVII.

QUid judicandum de luſu filiorumfamilias, famulorum, fœminarum invito Patre, Domino, marito &c. ludentium: item de aliis, qui cùm ſui juris ſint,

Digitized by Google

ſint, cum prædictis ludunt: an peccatum mortale judicandum, & onus reſtitutionis injungendum?

RESOLUTIO.

Ex principiis & fundamentis præcedenti Caſu poſitis, hic præſens & omnes alij Caſus circa Luſum haud dubiè reſolvi poſſunt. Nimirum

Primò omnes illi, qui & quatenus non poſſunt bona ſua alienare tam per contractum, quàm etiam per liberalem donationem, ij communiter, nec ad luſum exponere poſſunt ſive pecunias, ſive alias res: quia luſus utrumque involvit contractum & donationem conditionatam, ut dictum.

Secundò in conſequentiam etiam illi peccant, qui cum talibus perſonis ludunt pro rebus aut pecuniis, quas ſciunt illos non poſſe ad luſum deponere, idque dupliciter tum propter ſcandalum, quia iis, quibuscum ludunt, occaſionem peccandi dant, cujus communiter participes fiunt: tum etiam contra juſtitiam, quia intendunt rem lucrari, quam alter alienare non poteſt, adeóque ſcienter rem alienam affectant, & invadunt; nam perinde eſt, rem accepiſſe ab eo, qui dare non poteſt, atque per ſeipſum rem alienam ſibi uſurpâſſe.

Tertiò. Ex quo ulteriùs ſequitur obligatio reſtituendi tam ratione rei acceptæ, quàm ratione injuſtæ acceptionis, hæcque ſub peccato mortali, ſi materia gravis & tanta ſit, ut nullo modo cogitari poſſet Patrem, maritum &c. donaturum aut rationabiliter invitum non eſſe &c. Clavis reg. *l. 11. c. 12. n. 7.*

Quartò. Eodem modo (quamvìs ex alio capite & cauſa) in eventu contrario ſi filiusfamilias &c. nihil perdat, ſed ab alio, qui ſui juris eſt, lucretur, ordinariè ad reſtitutionem obligandus eſt, propterea quia alter non voluit vel per donationem, vel per contractum rem aut pecuniam ſuam exponere, aut victori cedere, niſi etiam colluſor tantundem de-

Digitized by Google

ponat pari lege & periculo jacturæ ; hæc enim lex & materia luſûs eſt juxta datam definitionem : hac ergò conditione ceſſante, ceſſat intentio donandi, & transferendi dominium in victorem &c. Conſequenter filiusfamilias tale lucrum non ſibi acquirit, ſed velut rem alienam detinet, obligatus ad reſtitutionem non ſecùs, ac ſi monetâ nullius valoris rem emiſſet, venditore decepto &c.

Quintò. Dixi autem ordinariè : nam ſi quis ſciens cum aliquo ludat, quem ſcit non poſſe alienare, aut ludendo rem ſuam perdere, ſicut etiamſi cùm aliquo ludat, quem prorſus nihil habere, nec ſolvere poſſe prænoſcit, talis luſus irregularis erit, & nihil de contractu, ſed puræ ſpeciem donationis conditionatæ haberet, proin alter ſi victor evadat, licitè & ſine onere reſtitutionis lucrum accipit, tanquam ſub hac conditione donatum, citra requiſitionem, ut viciſſim aliquid ad luſum reponat &c. eô modô, quo frequenter ſolent Domini, Parentes, aliíque pro ludis equeſtribus, aut aliàs pro recreatione exponere certas res aut pecunias victori ceſſuras absque eo, quòd alij viciſſim quidquam deponant. Molin. *d. 518.* Bonac. *de Reſt. d. 2. q. 3. p. 2. n. 15.* Leſs. Filliuc. & alij.

Practicè ſi juxta caſum poſitum filiusfamilias, pupillus, uxor, in Confeſſionali de luſu mentionem faciant, ſine laborioſa diſcuſſione, an peculium luſu perditum, vel periculo perdendi expoſitum fuerit profectitium, adventitium, caſtrenſe, vel quaſi, aut reſpectu uxoris? an paraphernale, vel liberæ diſpoſitioni in contractu dotali reſervatum &c.? Primò ſed generaliter id unicè quærendum, an luſor circa talem pecuniam, quam ad luſum expoſuit, liberam diſpoſitionem habuerit, ita ut gratìs alteri donare, vel in alios uſus etiam inutiles expendere v. g. compotando abſumere, vel pauperi aut amico donare potuiſſet, ex quo tota cauſæ deciſio, & Caſûs reſolutio dependet, ut Caſu 149. magìs declarabitur.

CA-

CASUS CXLVIII.

LUdens chartifoliîs circumvenit colluſorem ſuum, mutando aut ſubtrahendo folia: item cùm omninò certus eſſet de victoria, per ſimulationem aut mendacia induxit alterum, ut quaſi in re dubia magnam ſummam exponeret &c. vel cùm alter in tempore deſiſtere vellet, coegit in luſu pergere, itaque cauſa fuit, ut alter multum ludendo perderet, ex qua inſuper rixæ, blasphemiæ conſequuntur.

RESOLUTIO.

ILlæ circumventiones, quæ contractui, ſive reciprocæ conventioni ludendi certum luſum ſub certis regulis & conſuetis legibus adverſantur, conſequenter in altero intentionem contrahendi, ſuamque rem exponendi, item etiam conditionem, ſub qua donare intendit, ſcilicet ſi colluſor favente fortunâ & ſervatâ formâ luſûs victor evadat, tollunt; illæ, inquam, peccatum ſunt, & quidem ſi materia gravis ſit mortale, atque lucrum tale tanquam rei alienæ contrectatio reſtitutioni obnoxium eſt, non ſecùs, ac ſi in emptione ac venditione, aliíſque contractibus error aut dolus cauſam contractui dant, hujuſmodi circumventiones cenſendæ ſunt, ſi unus chartifolia ſubdolè contra morem luſûs ſubtrahat, vel expracticet; item ſi eadem folia à tergo certîs ſignîs notet, aut ſi in ponendo pecunias infideliter agat &c. Bonac. loc. priùs cit. *n. 6.* Navar. *c. 19. n. 17.*

Econtrà contractum & conditionem donandi non tollunt, quæcunque vel vidente & diſſimulante colluſore fiunt, vel ab utroque æqualiter fiunt, v. g. inſpicere chartas &c. imò ſi quis ſcit ſocium ſolere in mutandis foliis, ſi poſſit, vel alio modo doloſum eſſe, poteſt pari erga eum jure uti, neque contractus vitiabitur, utpote manente æqualitate: multò magìs ea licent, quæ communiter à luſoribus practicantur,

 maxi-

maximè ſi occulta non maneant, ſed ex poſtfacto publicentur, & tamen communiter non contradicatur, v. g. terrere alterum, vel timorem fingere, aut ſimulare ſe in manu habere, quod non habent, neque hæc mendacia, ſed joci inter amicos ad finem propoſitum facientes ſunt, ſcilicet ut major recreatio, riſus & jucunditas nunc ex una, ex alia parte aliâ vice reſultet. Clavis reg. *l. 11. c. 12. n. 21.*

De coactione ad luſum eo modo ſentiendum, ſicut ſi ad alium contractum v. g. ad venditiones, donationem equi inter pocula aut aliô licèt importunô, tamen amicô modô ſine violentia gravi aut metu, in virum conſtantem cadente aliquis inducatur: uti enim talis inductio, & abuſivè dicta coactio non tollit libertatem, ita nec contractus vel donationes irritas facit, conſequenter nec luſum, qui partim contractus, partim conditionata donatio eſt, ut ſæpiùs dictum.

Quòd ſi taliter inductus ex poſtfacto iram vel indignationem concipit, unde ulteriùs rixæ, contumeliæ, blasphemiæ &c. aliaque mala & incommoda ſequuntur, non factæ coactioni, ſeu inductioni ad ludendum, ſed ſuæ imprudentiæ adſcribat, quòd non re adhuc integra talem, aut multò leviorem averſionem, iram vel indignationem oſtenderit, quo facto utique alter à coactione deſtitiſſet. Accedit, quòd in luſu tam ille, qui cogit, quàm coactus de jactura aut lucro incertus, proin non coactio, ſed mala fortuna damni ſequentis cauſa ſit.

„ Quær. Quid ſentiendum de voto vel juramento non „ ampliùs ludendi?

„ Imprimis benè ponderandum, an verum ſit votum vel „ juramentum, aut ſimplex duntaxat propoſitum, quod licèt firmum ac deliberatum ſit, nullam tamen ex ſe inducit „ obligationem, ut unanimis docet Theologorum Sententia. „ Dein inquirendum, an ejuſmodi votum vel juramentum

„ ſatis-

Digitized by Google

„ ſatisfuerit deliberatum, tantâ ſcilicet animi advertentiâ &
„ deliberatione factum, quanta ſufficit, & requiritur ad peccatum mortale committendum, juxta dicta Caſu 41.
„ Tertiò demùm etiam inſpicienda intentio voventis: an e.g.
„ voverit, vel juraverit, abſtinere à luſu non tantùm illicito,
„ ſed etiam licito & honeſto? an æquè ſi ponatur in luſu levis
„ quàm gravis materia &c.? cùm enim votum & juramentum ſint privata quædam lex, quam quisque ſibi propter
„ Deum imponit, eatenùs & in tantum etiam quisque obligatur, in quantum ſeipſum intendit obligare. His ſuppoſitis

„ R. 1mò. Votum de non ludendo de ſe validum eſſe, ac
„ obligare. Ita Sanchez *L. 3. c. 18.* Bonac. *d. 4. q. 1. p. 16.* & alij.
„ Etſi enim luſus de ſe ſit res indifferens, imò honeſtæ recreationis causâ ſuſceptus etiam actus virtutis Eutropeliæ, nihilominùs ejus omiſſio eſt melior, tum quòd luſus animum trahat ad profana; tum quòd ordinariè ſit cauſa vel
„ ſaltem occaſio leviorum quorumdam exceſſuum, ſeu peccatorum: tum demùm, quòd votum vel juramentum de
„ matrimonio non ineundo etiam ſit validum, non obſtante,
„ quòd ſit Sacramentum, res bona, ac licita.

„ R. 2dò. Si non ſatis conſtat de intentione ipſius voventis aut jurantis, an ſcilicet voverit, vel juraverit abſtinentiam ab omni luſu tam licito, quàm illicito, tam recreationis causâ, quàm lucri gratiâ ſuſcepto &c.? votum interpretandum erit in partem benigniorem, ut ſcilicet vovens vel
„ jurans ſolùm obligatus ſit ad abſtinendum à luſu illicito,
„ & non merè honeſtæ recreationis gratiâ ſuſcepto. Ratio
„ eſt, quòd hæc cenſeatur fuiſſe benigna voventis vel jurantis intentio, & vota ac juramenta reſtringenda ſint, ut,
„ quantùm fieri poteſt, minùs obligent: nam ubi agitur de
„ obligatione contrahenda, ſtricta interpretatio facienda eſt.
„ *C. 1. de Jurejur. in 6. & L. Quidquid adſtringendæ. ff. de*

„ verb.

„ *verb. Oblig.* Abbas *c. Cum Clerici. de verb. Signif.* Navar. „ *c. 12. n. 11.* Reginald. *l. 18. n. 47.* Sanchez. *de Matrim. l. 1.* „ *d. 9. n. 11.* Bonac. *de Contract. d. 3. q. 17. p. 1. n. 19.* Optimè tamen obſervat idem Sanchez. *l. 3. in Decal. c. 18. n. 3.* „ Intentionem voventis ſeu jurantis facilè ac benè deſumi „ poſſe ex fine ipſius. Nam ſi finis e. g. jurantis fuit, privare ſe propter Deum illâ delectatione temporali ex luſu „ percipi ſolitâ, tenebitur ab omni luſu etiam meræ recreationis causâ ſuſcepto abſtinere: peccabitque graviter, ſi „ per notabile tempus luſerit, ſive luſu licito, ſive illicito, „ ſive pro exigua, ſive magna quantitate in luſu poſita. E„ contrà ſi finis jurantis vel voventis fuit, vitare ſolùm pro„ digalitatem, ſeu gravem jacturam pecuniarum, aliarúmve „ rerum, quantitas culpæ in transgreſſione talis voti vel ju„ ramenti non deſumenda erit præcisè ex duratione luſûs, „ ſed potiùs ex quantitate pecuniæ, ſeu materiæ luſui expo„ ſitæ: ipſius autem quantitatis parvitas vel magnitudo me„ tienda erit ex facultatibus ludentis, ut benè notat citatus „ Sanchez: quæ demùm omnia prudentis Confeſſarij judi„ cio relinquuntur.

CASUS CXLIX.

REligioſus in itinere conſtitutus pecunias ſibi pro viatico datas exponit in luſum: vel cùm ex alio fine ſibi pecuniæ à Superioribus permittantur, ludit, & ludendo aliquando perdit, aliquando lucratur. An ludendo graviter peccet? an, quod Religioſus talis vel lucratus eſt, vel perdidit, reſtitutioni obnoxium ſit?

RESOLUTIO.

TAm in Religioſis, quàm aliis, qui ſui juris aut rerum Domini non ſunt, id unicè conſiderandum eſt, quantam

Digitized by Google

tam poteſtatem, licentiam, aut libertatem circa pecunias, aliasque res ad luſum exponendas habeant: ſi enim facultatem habeant pecunias arbitrariè in hos vel illos uſus exponendi, v. g. donandi amicis, conducendi equum pro itinere, vel recreatione emendi res ad propriam commoditatem, aut liberaliùs in hoſpitiis conſumendi, tales etiam ludere, & ad luſum pecunias exponere poſſunt. Azor. *3. p. l. 5. c. 25. q. 8.* Bonac. *de Reſt. d. 2. q. 3. p. 1. n. 19.*

Unde inprimìs ipſi Prælati moderatè ex cauſa & fine honeſto ludere quandoque, & ludendo modicam quantitatem exponere poſſunt, quia præter liberam adminiſtrationem & poteſtatem contrahendi, etiam à jure poteſtatem habent moderatas donationes faciendi.

Cæterùm OEconomi, aliíque ſive Religioſi, ſive ſæculares alienarum rerum Adminiſtratores (niſi aliam præſumendi de Superiorum licentia cauſam habeant) ad luſum exponere de pecuniis ſuæ adminiſtrationis nihil poſſunt, quia nec contrahere, niſi ſecundùm voluntatem aut commiſſionem Superiorum, minùs donare poſſunt, in luſu autem utrumque intercedit, ſcilicet contractus & conditionata donatio juxta dicta.

Ex alio tamen capite, ſcilicet ex licentia Superioris, aut conceſsâ arbitrariâ diſpoſitione certæ alicujus pecuniæ licitè cæteris paribus etiam poſſunt ludere, eo ipſo enim quòd pecunia aliqua data vel conceſſa, neque tamen certus uſus determinatus aut finis v. g. pro neceſſitate, aut utilitate Monaſterij expendendi præfixus, ſed in arbitrium Religioſi poſitum eſt, unum vel alterum nummum expendendi in propriam etiam commoditatem, etſi de luſu à Superiore nil cogitatum ſit: tamen quia generalis pecunias ejuſmodi expendendi, adeóque tum contrahendi, tum donandi licentia data, nec caſus iſte luſûs exceptus eſt, non minùs in hunc, quàm alium uſum poterit Religioſus, abſolutè loquendo tales pe-

cunias exponere, ita ut nec ipſe, nec qui cum ipſo ludit, ad reſtitutionem aliquam obligetur. Vide Bonac. *in Tract. variarum Tractationum de Largitione munerum.* &c.

Talem libertatem vel licentiam liberè expendendi pecuniam habere cenſentur Religioſi, quibus pro recreatione aut ſolatio ad convictum, vel pro canicularibus, aut alio itinere &c. abſolutè conceditur aliqua pecunia ſine reſtrictione, aut obligatione conficiendi rationes, & quod neceſſariò expenſum non fuerit, remittendi, aut domum reportandi &c.

Eodem modo ſi filiusfamilias ſciente & conſentiente patre peculium utut profectitium, tamen ad liberam diſpoſitionem habet; ut communiter advertunt DD. Item ſi uxor ſciente & diſſimulante marito de pecunia à viro ſibi commiſſa donationes, aliáſque in ſuum commodum & placitum expenſas facere liberè poteſt, & ſolet, etiam ad luſum easdem in pari quantitate exponere poterit, niſi tamen de contraria Superioris, patris, aut mariti voluntate aut prohibitione aliundè conſtet: quia generi derogatur per ſpeciem, & ſine dubio à generali licentia utendi pecuniis ſive expreſsè, ſive tacitè conceſsa, ſpecialis caſus ludendi ſequi poteſt: & meritò propter exceſſum, aliáſque malas conſequentias excipi, prohiberi, aut certè limitari deberet.

Porrò in caſu, quo Religioſus pecunias exponendi licentiam nullam habet, tam eum, qui cum ipſo ludit, & lucratur, quàm econtrà etiam Religioſum id, quod hoc caſu ab alio lucratus eſt, reſtituere debere, ex dictis Caſu 147. patet, habitâ tum conſideratione & limitatione ibidem poſitâ.

CASUS CL.

QUid vel quomodo Religioſus reſtituere debeat, ſi ex contractu aut promiſſione fortè cum juramen-

ramento facta obligatus ſit: item ſi Monaſterio, vel alteri privato fraudem, furtum, damnum fecerit?

RESOLUTIO.

Religioſus, qui invito Superiore rem ſeu Monaſterij, ſeu alterius ſibi uſurpat, tam contra Religionem ſeu votum paupertatis, quàm contra juſtitiam peccat: nec dubium, quin rem talem reſtituere teneatur, ſi ea adhuc exſtet, tam ratione rei acceptæ, quàm injuſtæ acceptionis. Uti omnes fatentur.

Quòd ſi verò res conſumpta, aut ſicut in caſu ponitur, damnum Monaſterio vel alteri malitiosè factum ſit, hoc caſu licèt non vitium proprietatis contra votum paupertatis, tamen contra juſtitiam læſio alterius committitur, proin reſtitutionis obligatio ex capite & cauſa injuſtæ acceptionis conſequitur.

Quoad modum verò reſtitutionis faciendæ communis quidem doctrina eſt, obligari atque à Confeſſario eò diſponendum eſſe talem Religioſum, ut ſibi in cibo & potu aliquid ſubtrahat, aut extraordinario labore, vel induſtriâ aliàs indebitâ lucretur ſucceſſivè tantundem, unde furtum factum aut damnum ſeu Monaſterio, ſeu alteri datum compenſetur &c.

Verùm hoc in praxi plenum periculîs, atque ex tali conſilio Confeſſarij ſæpiùs nova peccata, aut noxios ſaltem ſcrupulos potiùs, quàm pro peccato antecedenti juſtam ſatisfactionem proventuram eſſe cenſeo, quia ſemper conſcientiæ remorſus, & dubium remanebit tum propter quantitatem juſtam & ſufficientem, tum propter modum faciendi reſtitutionem, tum propter conſenſum Superioris, ſine quo Religioſus etiam extraordinario labore aut ſubtractione de potu acquiſita alteri dare non poteſt, ſed quidquid acquirit ſeu ordinariô, ſeu extraordinariô talî modô, id omne Monaſterio acquirit, cui ſi clam ſubtrahat id ipſum, proprietatis ſimul & furti reatum incurret, utut intentio bona videatur, ſcilicet

reſtitutionis faciendæ alteri, cui reſtituere obligatus eſt &c. neque enim licet facere mala, ut inde eveniant bona, quod periculum & perplexitas miſerrimè conſcientiam cruciabit, ſi materia damni dati gravis, quæ proin non niſi longo tempore reſarciri poſſit: item ſi factum occultum ſit, nec ſine ſcandalo aut fortè totius Monaſterij nocumento publicari, proin nec reſtitutio fieri poſſit, niſi cautè admodùm & occultè &c.

Practicè igitur talis pœnitens eò diſponendus erit, ut vel ipſe caſum & culpam ſuam Superiori humiliter exponat, ejúsque ſententiam & reſolutionem de modo ſatisfaciendi exſpectet, quod difficile videri non poteſt eo caſu, quo aliàs ſcientiam Superioris petere deberet, vel pro extraordinariis mediis & modis lucrandi aſſumendis, vel pro facienda alteri reſtitutione ex iis, quæ aut ſibi ſubtraxit, vel extraordinario labore comparavit &c. vel certè ſi caſus ita occultus ſit, ut alia cauſa ſubeſſe videatur, ut extra forum conſcientiæ nec Superiores reſcire debeant, Confeſſario licentiam det, ut tecto nomine caſum Superiori referat, ſub ſecreto & ſigillo confeſſionis eo modo, quo in caſibus reſervatis fieri ſolet. Ubi Confeſſarij officium erit, cum ipſo Superiore agere de modo congruo, quo citra manifeſtationem delinquentis ſatisfactio fieri poſſit; vel ſi talis modus non occurrat, ut Superior pro ſalute animæ & conſcientiæ tranquillitate gratioſè remittat reſtitutionis obligationem, injunctâ aliâ ſatisfactione vel pœnitentiâ &c. Neque enim dubitandum Superiorem poſſe totaliter vel ex parte reſtitutionem Monaſterio faciendam remittere, utut aliqui id negare videantur ex eo, quòd Superior teneatur procurare utilitatem Monaſterij ſui: hæc enim ratio non obſtat, quo minùs Superior vel bona Monaſterij rationabiliter & miſericorditer expendere, aut debita remittere poſſit, ſi periclitantis animæ ſalus, aut alia etiam reſpectivè levior pia cauſa id ſuadeat, quia, ut antè dictum, Prælati tum liberam admini-

miniſtrationem, tum etiam poteſtatem faciendi moderatas donationes à jure habent.

Quòd ſi extraneo damnum datum, nec tamen Monaſterium inde locupletatum ſit, rurſus in arbitrio Superioris ſit, an vel ex communibus bonis Monaſterij & miſericordia, aut pro reſpectu Monaſterij &c. aliqualem compenſationem facere velit, ad quod ex juſtitia ipſe vel Monaſterium non tenetur? an verò Religioſo, qui damnum dedit, certum aliquem modum aut medium ſatisfaciendi offerre vel permittere velit, nec ne?

Denique tam Confeſſarius, quàm pœnitens, & talis Religioſus in conſcientia tuti & quieti erunt, ſi Superioris reſolutionem petant, & ſequantur, abs hoc maximis anguſtiis, dubiis aut ſcrupulis implicandi.

Pari ferè modo, ſi (quod poſterior pars caſûs poſiti attingit) Religioſus promiſſione, juramento, vel contractu ſe obligavit, in dubio ad Superiorem recurrendum erit, ſive hoc per pœnitentem ipſum, ſive ſi eo diſponi non poſſit, per Confeſſarium ipſius tecto nomine fiat.

Erit autem dubitandi & proin Superiorem requirendi cauſa, ſi Religioſus talia promiſit cum vel ſine juramento, quæ abſolutè ſervare & implere poteſt, at non ſine licentia Superiorum v. g. ſi Miſſas promiſit legere in certa Eccleſia extra Monaſterium ſita, quo ſine licentia exire non poteſt, ſed licentiam probabiliter obtinere poſſet, ſi congruo modo & tempore peteret &c. Item in contractu, ſi is, qui cum Religioſo bona fide contraxit, ex parte ſua contractum implevit, v. g. pecunias, eſculenta, aliasve res dedit, ubi in Religioſo ſaltem conditionata obligatio naſcitur vel reſtituendi, quod accepit, vel implendi aut procurandi impletionem contractûs à Superiore, quantum ex parte ſua poteſt.

Et propterea in praxi hujuſmodi pœnitenti nunquam be-

Digitized by Google

nè conſultum erit, niſi re dicto modo ad Superiorem delatâ, quia ſine hoc ſemper dubia, aut ſcrupuli remanebunt, an ſufficienter ex parte ſua laboraverit ſtare promiſſis? an ſufficiat ſemel aut bis, vel ter licentiam petiiſſe? item an non teneatur cauſam urgentem, ſeu obligationem ſuam exprimere, ſi hoc facto licentiam aut media reſtituendi ſperare probabiliter poteſt, aut quòd demùm alia media reſtituendi id, quod ipſe accepit, amplecti debeat &c. tutus econtrà futurus, & quietus impoſterùm, ſi judicio Superioris ſui acquieſcat.

Hæc circa 10. Præcepta Decalogi ad propoſitum noſtrum ſufficiant.

AP-

Digitized by Google

APPENDIX
Continens Quæſtiones morales & practicas cum ſuis Reſolutionibus pro inſtructione Confeſſarij ad Tribunal Sacrum & curam animarum exercendam ſeſe accingentis in 2. Partes diviſa.

PARS I.
PRÆFATIO
De Qualitatibus Confeſſarij.

Cùm Confeſſarius triplex munus ſubire debeat, Judicis ſcilicet Medici & Doctoris, ac proinde magnâ prudentiâ, circumſpectione & ſcientiâ opus habeat, ut ritè officiô ſuô fungatur: hinc ante reſolutionem dubiorum in hac Appendice proponendorum neceſſarium duxi, breviter annotare quædam de Qualitatibus communiter, & de via ordinaria in Confeſſario requiſitis.

Inprimìs igitur ſuppoſito, quòd Confeſſarius ſit ritè ordinatus, & ad confeſſiones fidelium excipiendas approbatus, prout requirit Trid. Seſs. 28. c. 15. de Reform. *ac moraliter certus de ſtatu gratiæ, qualis ſtatus (ſive per ſacramentalem Confeſſionem, ſive per contritionem ſaltem ante abſolutionem pænitenti impertiendam procurandus) requiritur ad licitam hujus*

Sacra-

Sacramenti adminiſtrationem, ſcire debet Confeſſarius ante omnia formam abſolutionis, & obligationem ſigilli ſacramentalis, quod ex qualicunque excogitabile cauſa citra graviſſimum ſacrilegium non admittens parvitatem materiæ, niſi ipſe pœnitens conſentiat, violari nunquam poteſt. Dein tanquam Judex ulteriùs nôſſe debet materiam & formam hujus judicij, utrùm nimirùm habeat ſufficientem authoritatem exercendi hoc judicium, ac proinde an non ſit ligatus aliquâ cenſurâ, vel irregularitate. 2. In quas perſonas & quænam peccata ſe extendat illius juriſdictio, velut judici in foro externo conſtare debet, quænam cauſæ & caſus ſpectent ad ejus Tribunal: ex quo capite Confeſſarius notitiam habere debet Caſuum reſervatorum altiori judicio, an ſcilicet peccata à pœnitentibus ad S. Tribunal delata & confeſſa non ſint reſervata vel ipſi Summo Pontifici, quibus ordinariè eſt annexa excommunicatio ipſi quoque Summo Pontifici reſervata: vel Diœceſis Epiſcopo, qualia pro diverſitate Diœceſium ſunt diverſa, quia de jure communi nullus determinatus caſus eſt reſervatus Epiſcopis, ut cum communi docet P. Engel in ſuo Manual. Paroch.: vel ſi pœnitens ſit Regularis, ſuo Prælato, qui juxta Decretum Clementis VIII. poteſtatem quidem habent reſervandi undecim certos caſus in dicto Decreto contentos, non tamen neceſſariò reſervare debent. 3. Debet ſcire diſtinctionem ſpecificam & numericam peccatorum, circumſtantias ſpeciem mutantes, & quænam peccata de ſe ſint mortalia, quænam venialia. Tametſi autem pœnitens obligetur peccatum ſuum ſecundùm numerum & ſpeciem ritè explicare, non tamen tenetur Confeſſarius auditô quôlibet peccatô explicitè ſemper judicare, eſſe mortale aut veniale, utpote quod ſæpè moraliter eſt impoſſibile etiam reſpectu doctiorum, ſed ſufficiet ſubinde, peccatum eſſe commiſſum, & à pœnitente ritè explicatum, à quo velit abſolvere, ſive ſit veniale, ſive mortale, modò non ſit tale quid, ut exinde valor, aut fructus

Digitized by Google

Sacramenti pendeat ; & in fine confeſſionis Confeſſarius judicium ferre de ſtatu pœnitentis, ſitne magnus, mediocris, an levis peccator, & conſequenter etiam proportionatam, ac medicinalem pœnitentiam praſcribere queat, ut docent Reginald. l. 1. n. 147. *Bonac.* de Pœnitentia. D. 5. q. 7. p. 4. §. 2. 8 & 12. *Suarez. Tanner. & alij.*

Pariter quoad ſpecificam diſtinctionem peccatorum non requiritur omnimoda & exactiſſima Scientia, ſed moralis duntaxat & humana de caſibus communiter occurrentibus, de reliquis ſufficit poſſe dubitare, & vel libros, vel alios doctiores conſulere. Debet tamen Confeſſarius exactam habere notitiam illorum peccatorum, quæ annexam habent cenſuram, item impedimentorum matrimonij, & eorum, quæ inducunt obligationem reſtituendi, ſatisfaciendi, amicitiam redintegrandi, deponendi conſuetudines, vitandi occaſiones & pericula proxima peccandi &c. quoniam ſine horum notitia pernicioſum foret munus Confeſſarij, ut communiter advertunt DD. neque enim hæc talia ſunt, quin perfrequenter in Tribunalibus ſacris occurrant. P. Math. Stoz in ſuo Tribunali pœnit. l. 2. q. 1. a. 2. n. 16. *dantibus operam confeſſionibus excipiendis inquit, ſolatio eſſe poſſe, quod Elamas in meth.* p. 1. c. 7. §. 4. *tradit, Eum ad hoc munus ſatis doctum eſſe, qui integram Summam Caſuum ſaltem unius Doctoris Catholici vel in Scholis audierit, vel accuratè & diligenter legerit, vel ſubinde repetiverit : quia in talibus Summis, quantum fieri poteſt, omnes materia Caſiſtica tractari ſolent. 4. Ut ſententia abſolutionis ritè proferatur, ipſéque pœnitens tam licitè, quàm fructuosè recipiat Sacramentum, ſicq; non mittatur ſanctum canibus, oportet, Confeſſarium ſcire, atque procurare ea, quæ requiruntur ex parte pœnitentis, ut ſunt dolor, id eſt contritio, vel ſaltem attritio ex quodam motivo ſupernaturali : item integritas Confeſſionis, & repetitio confeſſionum præteritarum, ſi forſan fuerint invalida.*

lida. 5. *Denique ad Confeſſarium tanquam Judicem ſpectat, congruam injungere pœnitentiam, de qua infrà uberiùs.*

Quid requiratur à Confeſſario, prout eſt Medicus, deſcribit Pont. Innoc. III. in c. Omnis utriusque. de Pœnit. & Remiſs. *hôc modô:* Sacerdos ſit manſuetus & cautus, ut more periti Medici ſuperfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias & peccati, quibûs prudenter intelligat, quale debeat ei præbere conſilium, & cujuſmodi remedium adhibere diversîs experimentîs utendo ad ſalvandum ægrotum. *Magnâ proinde opus eſt prudentiâ, manſuetudine & patientiâ. Prudentiâ quidem, ne in ſuis functionibus Confeſſarius ſit præceps, ſed ſciat ritè formare interrogationes, ſuggerere conſilia, adhortari pœnitentem de periculoſo ſuo ſtatu & animæ morbis, ac denique congrua & proficua præſcribere remedia ad morbos animæ pellendos, vitámque impoſterùm emendandam. Manſuetudine, ne nimium aſperîs interrogationibûs, ſeverîs admonitionibûs, aut increpationibûs, vel inſolitîs admirationis & diſplicentiæ ſignîs (præſertim inter enarrationem peccatorum adhibitîs) deterreat ægrum pœnitentem, ne virus & venenum animæ ex integro evomat, ſed intra ſe detineat, ad maximam, ſi non æternam animæ perniciem. Aliter tamen ſe geret cum timidis & ſcrupuloſis, aliter cum laxis & duræ cervicis, reſpectu quorum graves quandoque adhortationes, vel etiam paternæ objurgationes adhibendæ, ut terreantur, & vel ſic à vitiis, pravíſque ſuis peccandi conſuetudinibus retrahantur &c. Semper tamen cogitabit Confeſſarius, ſe vices Chriſti gerere, qui pœnitentes blandiſſimè excepit, & antequam Sacramentum Pœnitentiæ inſtituit, favum mellis guſtavit, ut labiis adhuc melle madentibûs amaritudinem pœnitentiæ dulcoraret, prout advertit Fagundez ex S. Luca 24. Patientiâ opus eſt Confeſſario, ut, velut benignus Medicus corporis non horret aſpicere*

ulce-

ulcera & ſaniem ægroti, ita ille non horreat auribus aliquando etiam ad longum percipere illa, quæ aliàs mundum cor horret, & execratur &c.

Doctor denique debet eſſe Confeſſarius, ut ſciat pœnitentem inſtruere in bonis moribus, Vita Chriſtiana, & vel maximè in iis, quæ ad hoc Sacramentum ritè ſuſcipiendum ſpectant, ac univerſim ad ſalutem conſequendam ſunt neceſſaria. His præſuppoſitis

Confeſſarius recèns approbatus, & ad confeſſiones fidelium excipiendas expoſitus, quò meliorî modô ſatisfacere poſſit ſuo Officio, ſequentia proponit Dubia.

DUBIUM I.

QUid faciendum, ſi pœnitens rudis confeſſionale accedat, nihil dicendo, ſed mutus exſpectando, quid Confeſſarius ſit locuturus?

RESOLUTIO.

QUoniam rudibus, præſertim pueris & minùs adultis familiare eſt, neſcire illa, quæ ſunt ſcitu neceſſaria ad ſalutem; ejuſmodi rudis (ſive dein juvenis ſit, ſive adultus) ad Tribunal ſacrum veniens & obmuteſcens interrogandus, & ſi neſciat, inſtruendus erit *breviter* circa res neceſſariò credendas neceſſitate medij, qualia ſunt juxta D. Th. Myſteria SS. Trinitatis, Incarnationis, ac Redemptionis noſtræ: item circa ea, quæ neceſſaria ſunt ad Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ ritè ſuſcipienda. Dixi *breviter*, contingere enim

 poteſt,

Digitized by Google

poteſt, ut multitudo pœnitentium longiorem in hac inſtructione moram non permittat. Sufficiet proinde, Confeſſarium vi ſuæ ſuccinctæ inſtructionis moraliter certum eſſe, ſeu prudens judicium formare poſſe, pœnitentem cæteris paribus eſſe ſufficienter diſpoſitum ad abſolutionem.

Conſultò tamen etiam admonebit, & ſi neceſsè videbitur, obligabit rudem pœnitentem, ut proximè ſibi comparet etiam notitiam eorum, quæ ſunt neceſſariò credenda neceſſitate præcepti, ùt ſunt Symbolum Apoſtolorum, præcepta Decalogi & Eccleſiæ.

Quomodo de reliquo ejuſmodi rudis ſit examinandus in conſcientia ſuppoſito, quòd ipſemet non enarret ſua peccata, dicetur infrà ad Dubium 4. 5. & 6. Vid. dicta ad Caſum 1. de Fide.

DUBIUM II.

QUòd ſi econtrà multa & gravia peccata ex memoria recitet pœnitens, quæ ſingula interrogationes circumſtantiarum, aut monitum de reſtituendo &c. poſtularent: cum periculo ex una parte, ne, ſi interrumpatur ſermo confitentis, ille turbatus obliviſcatur cæterorum: ex altera parte, ne, ſi interrogatio differatur uſque poſt abſolutam confeſſionem, ipſe Confeſſarius plurium obliviſcatur?

RESOLUTIO.

ETſi valdè conſultum ſit juxta Laymannum & alios, Confeſſarium intra actualem confeſſionem ſeu peccatorum enarrationem non multùm interpellare pœnitentem, ſed cum patientia ſupportare moleſtiam longæ confeſſionis uſque ad finem, etſi aliqua immiſceantur impertinentia, modò non cedant in præjudicium alterius: ſi tamen Confeſſarius ex propria pœnitentis confeſſione non ſatis intelligat numerum & ſpe-

ſpeciem peccatorum, neque horum poſſit retinere memoriam uſque ad finem confeſſionis: item ſi periculum ſit, ne ex nimia protractione confeſſionis, & continuô ſilentiô Confeſſarij cauſetur oblivio, ne pœnitens circa finem poſtmodùm debitè admoneatur, & obligetur circa reſtitutionem, deponendum odium & inimicitiam, eliciendum firmum propoſitum, declinandi impoſterùm occaſiones proximas peccandi, deponendi pravas conſuetudines &c. tenebitur Confeſſarius intra actualem confeſſionem interrogare de numero & ſpecie peccatorum; tenebitur item mox imponere obligationem reſtituendi, deponendi inimicitias, fugiendi proximas occaſiones &c.: eſto, ex ejuſmodi frequenti interpellatione pœnitens turbetur, & forſan etiam unius, vel alterius gravis peccati inculpabiliter obliviſcatur: meliùs enim eſt confeſſionem non eſſe materialiter integram, quàm ipſum Sacramentum Pœnitentiæ eſſe formaliter nullum ob indiſpoſitionem pœnitentis ad ſtatum gratiæ, adeóque committi ſacrilegium: quod tamen ſæpiùs fieri poſſet, ſi pœnitens abſolveretur ſtantibus poſterioribus. Præthereà poterit Confeſſarius facilè ſupplere commiſſum defectum, juvando nimirum pœnitentẽ ſuo examine & interrogationibus, ut peccata, quorum ob nimìs frequentẽ interpellationem in confeſſione factã fuit oblitus, de novo incidant, & ſic res ſalva fiat ex utraq; parte. Vid. Dicaſtillo *de Pæn. D. 10. n. 496.*

DUBIUM III.

AN neceſſarium vel etiam conſultum, ejuſmodi gravem peccatorem objurgare, & durioribûs verbîs excipere, vel propter malitiam gravem, vel propter reiterationem ejuſdem peccati?

RESOLUTIO.

SI unquam aliàs, ſanè in hoc ſacroſancto judicio opus eſſe manſuetudine, patientiâ & charitate, communiter cen-

ſent AA. Cùm enim ex una parte, ut loquitur Ludovic. Granatenſis, ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, ſit unum ex difficilioribus, quæ in lege gratiæ præcipiuntur: ex altera verò parte hoc ipſum Sacramentum ſit ſummè utile, ſalubre & neceſſarium ad ſalutem conſequendam, omni modo ſtudendum eſt, ut ea, quæ ad ipſius ſuſceptionem requiruntur, quoad fieri poteſt, reddantur minùs difficilia. Unde in primis: abſtinendum ab increpationibus, exprobrationibus, ſignis admirationis & diſplicentiæ, aſperis interrogationibus, ſeveris admonitionibus uſque ad finem confeſſionis: ne pœnitens ſimilibûs perterritus reticeat quædam peccata, permittat ſe ſacrilegè abſolvi, & ſic Confeſſarius per ſuam importunitatem fiat occaſio æternæ damnationis, qui debuiſſet eſſe cauſa ſalutis. Oportet proinde Confeſſarium ad modum periti Medici omninò leniter, manſuetè & charitativè tractare animum pœnitentis, ut eò faciliùs in notitiam veniat occultarum affectionum & morborum. Quòd ſi abſoluta Confeſſione opus videatur aliqua admonitione, ea non ſit nimis acerba, aut prolixa, ne potiùs accidat ingrata & moleſta pœnitenti, quàm fructuoſa: ſed ſit ſuavis & paterna, efficax tamen, & è ſolidis fundamentis petita: e.g. quòd pœnitens verſetur in periculoſo ſtatu: quòd recordari deberet quatuor noviſſimorum, & præſertim æterni ſupplicij &c. Inculcari poterit præterea frequentior uſus Sacramentorum, memoria Paſſionis Dominicæ, cultus B.mæ Virginis Mariæ, & Sanctorum, fuga occaſionum &c.

DUBIUM IV.

An pœnitentem ultra peccata ſponte confeſſa Confeſſarius ulteriùs examinare teneatur, ita quidem, ut mortaliter peccet, ſi neceſſarium examen omittat?

RE-

Digitized by Google

RESOLUTIO.

SI Confeſſarius conſiderata qualitate pœnitentis ſui probabiliter credat, eum integrè confeſſum, ac ritè diſpoſitum eſſe, nihil interrogare debet: eò quòd in tali caſu quælibet interrogatio judicari poſſit otioſa, curioſa, vel ſaltem oneroſa pœnitenti, quæ omnia ſunt vitanda; neque enim officium Confeſſarij per ſe eſt interrogare, ſed audire pœnitentem. Per accidens tamen, ſcilicet ob defectum pœnitentis non ſufficienter ad confitendum præparati, tenetur Confeſſarius juxta communem DD. & quidem ſub culpa gravi, examinare pœnitentem toties, quoties vult eum abſolvere, & judicat, vel prudenter dubitat, ne lateat adhuc grave aliquod peccatum.

Cæterùm homines rudes, qui ita imparati accedunt, frequenter dimittere ſine abſolutione, ut ſe priùs examinent, non videtur conſultum, ſed potiùs erit inſigne opus charitatis, cum omni manſuetudine ſubire onus pœnitentis, & ſupplere defectum examinis. Quod quidem examen non debet eſſe exactiſſimum, ſed humanum & mediocre, ſeu quale communiter à diligentibus in hoc negotio fieri ſolet. nam ut benè docet Card. de Lugo *diſp. 16. de Pœnit. ſect. 14. n. 590.* Non eſt in hoc puncto per ſe loquendo major obligatio Confeſſarij ad interrogandum, quàm ſit ipſius pœnitentis ad examinandam conſcientiam ſuam, & recogitanda ſua peccata: imò pœnitens obligatur primò locò, & in ejus defectum obligatur Confeſſarius ad eum juvandum juxta ipſius capacitatem, atque ideò minùs obligatur, quàm ipſe pœnitens: certum autem eſt, pœnitentem ipſum non obligari ad exactiſſimum examen ſuorum peccatorum, ſed ad humanum, hoc eſt tale, quô Sacramentum iſtud non reddatur nimìs grave & oneroſum: minùs ergò tenebitur Confeſſarius ad examen & inter-

interrogationes tales, quibûs confeſſio reddatur pœniten-tibus gravis & oneroſa nimìs.

DUBIUM V.

Quid hominem ruſticum examinando communiter interrogare oporteat? quid civem, vel opificem? quid Clericum, Parochum, vel Religioſum?

RESOLUTIO.

POEnitentes magìs honeſti, benè inſtructi, aut docti, uti ordinariè ſunt Clerici, vel Parochi & Religioſi &c. ultra peccata jam confeſſa non facilè examinari debent, niſi de iis peccatis, aut circumſtantiis peccatorum, de quibus ipſi mentionem fecerunt, & non ſatìs explicuiſſe videntur: v. g. an perfectè conſenſerint, vel cum plena advertentia fecerint? an non forſan teneant ſententiam verè probabilem, per quam poſſint à gravi peccato excuſari? Quoad alios homines minoris conditionis, diligenter conſiderari debet pœnitentis ſtatus, officium, negotia, & etiam tempus, ex quo confeſſus non fuerat: item peccata, quæ pœnitens ipſe explicavit, ut ex his omnibus prudenter conjicere poſſit, an, & de quibus eum ulteriùs examinari oporteat.

Perſonæ ſolutæ ordinariè interrogari poterunt, an non cogitationes turpes & laſcivas habuerint, & quomodo ipſis reſtiterint? an nihil aliud mali in hoc genere fecerint?

De reliquo valde cautum oportet eſſe Confeſſarium in formandis interrogationibus circa peccata carnis, ut ad particulares modos, ſeu circumſtantias non facilè deſcendat (niſi forſan aliter ſpeciem peccati deprehendere non poſſit) ne vel multa interrogando doceat pœnitentem peccata, quæ antè ignorabat: aut eidem vel ſibi ipſi exiſtat

cauſa

Digitized by Google

cauſa turpis tentationis: vel ſaltem ſcandali occaſionem præbeat pœnitenti, ut ſuſpicetur, Confeſſarium harum rerum curioſâ inveſtigatione oblectari.

Perſonæ ligatæ de ruſticorum grege, ſi examinandæ videantur, poterunt interrogari, an nullam inimicitiam gerant, vel geſſerint? an neminem graviter vel leviter læſerint tam in bonis famæ, quàm fortunæ? an nunquam blasphemaverint? an nihil ſuperſtitioſi unquam habuerint? an diebûs feſtivîs diligenter Sacro interfuerint? an benè conveniat cum ſua conjuge in fœdere conjugali? an non terminos agrorum ſulcando ſit ſupergreſſus? an decimas ritè exſolverit? &c. Cum proportione ſtatûs ſui vel opificij taliter etiam examinandus erit opifex, ſi neceſſè vel conſultum videbitur, addendo, an non per defraudationes, vel furta minuta incipiat diteſcere? vel ſaltem meliorari, & ad gravem quantitatem, peccatum mortale conſtituentem devenire? Dixi, ſi neceſſè vel conſultum videbitur. Semper enim attendendum, ne Sacramentum Pœnitentiæ, de ſe odioſum, reddatur nimiùm hominibus difficile, ſi nimirùm indiſcretîs interrogationibûs fatigentur pœnitentes, præſertim circa illa peccata, quæ eos commiſiſſe nulla adeſt probabilis ſuſpicio. Omnes hi interrogari quoque, ſi videbitur, poterunt, an ſemper ritè confeſſi ſint, ac nunquam in ſtatu peccati gravis SS. Euchariſtiam ſumpſerint? uti mox dicetur in Reſolutione ſequenti.

DUBIUM VI.

QUid faciendum, ſi quis confiteatur peccatum mortale ante decem v. g. annos commiſſum, & ex verecundia omiſſum in confeſſione, ſuppoſito, quòd pœnitens ad repetitionem ſit minùs paratus?

Digitized by Google

RESOLUTIO.

Cùm tam confeſſio ante decem annos peracta, quàm ſubſequentes omnes invalidæ & ſacrilegæ fuerint (ſuppoſito, quòd pœnitens ſemper ſibi conſcius fuerit peccati gravis ex verecundia aliquando omiſſi) neque ejuſmodi pœnitentem, utpote in magno periculo ſalutis ſuæ verſantem dimittere, ullo modo fas, aut conſultum ſit, neceſſariò omnes confeſſiones ab illo per decem annos factæ incluſivè erunt repetendæ, addendo ſimul, quoties intra tale tempus pœnitens ad Sacram Synaxin acceſſerit, utpote ubi ſemper novum ſacrilegium commiſſum. Quòd ſi pœnitens ad repetitionem minùs paratus ſit, non gravabitur Confeſſarius vices ipſius ſupplere, eum juvare, & debitô modô examinare, memor, quòd omnes Angeli lætentur ſuper uno peccatore pœnitentiam agente: & quòd Chriſtus *99.* oves dimiſerit, & unam, quæ perîerat, quæſîerit. Ut autem eò faciliùs à tali negotio ſe expedire poſſit, examen inſtituet non confusè & turbulenter, ſed ordinatè & prudenter, non multùm ſollicitus de peccatis venialibus, ſed tantùm mortalibus.

Conſiderato igitur ſtatu, conditione & circumſtantiis pœnitentis breviter ipſum examinabit vel circa decem præcepta Decalogi & Eccleſiæ, vel ſi iſte modus non placuerit, circa bona ſeu Virtutes, quæ reſpiciunt Deum, proximum & ſeipſum, ſive propriam perſonam pœnitentis. Virtutes, quæ reſpiciunt Deum, potiſſimùm ſunt Fides, Spes, Charitas & Religio cum vitiis hiſce virtutibus oppoſitis. Quæ proximum: ſunt Juſtitia, Miſericordia, Pietas, cum vitiis iiſdem oppoſitis. Quæ ſeipſum: Temperantia & Fortitudo cum vitiis oppoſitis. Ne autem Confeſſarius ſcrupulis fiat obnoxius, eò quòd forſan examinando pœnitentem non ſatisfecerit ſuæ obligationi, ſciat, ſe in exa-

Digitized by Google

in examinando non teneri ad diligentiam ſummam, ſed mediocrem, & communiter adhiberi ſolitam, uti docent Suarez, Valentia. Tanner cum communi aliorum. Expreſsè Card. Palav. *l. 7. de pœnit. c. 35. n. 324.* ſic habet: Sicut confeſſio ita eſt inſtituta, ut examen non eſſet nimìs oneroſum pœnitenti, ita multò minùs debet eſſe oneroſum Confeſſario, quippe innocentiori: ac proinde ſicut pœnitens non tenetur ad omne examen exquiſitiſſimum, ex quo poſſet reſultare memoria magìs diſtincta ſpeciei & numeri, ita multò minùs Confeſſarius tenebitur ad exquiſitiſſimam interrogationem &c. ſed de his jam in præcedentibus.

DUBIUM VII.

QUid ſi opus Reſtitutione? An à pœnitente exigendum, ut certò promittat, ſe eam facturum?

RESOLUTIO.

QUoniam juxta celebre dictum S. Auguſtini *non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*: pœnitens reſtitutioni obnoxius, ſeriò de ea facienda admonendus, ac perſuadendus eſt: quòd ſi promittat ſe facturum, res ſalva erit. Si autem aliquo modo fluctuet, ita ut Confeſſarius prudenter dubitare poſſit, an habeat firmum animum reſtituendi nec ne, abſolvi non poterit, donec ſeriò condicat, & ſpondeat, quòd reſtituere velit. Quòd ſi omninò reſtituere nolit, cùm tamen deberet, nec perſuaderi poſſit, tanquam indignus gratiâ ſacramentalî absque abſolutione erit dimittendus, factâ ſeriâ admonitione, & inſinuatione, in quo ſtatu verſetur.

Digitized by Google

DUBIUM VIII.

QUid ſi Caſus reſervatus, quem Confeſſarius abſolvere nequit, occurrat? quomodo ſe gerere, & quomodo pœnitenti id ſignificare debeat?

RESOLUTIO.

CErtum inprimìs eſt, in tribus caſibus omnem Sacerdotem abſolvere poſſe. 1. Si confeſſio ſit tantùm de venialibus, modò abſolvens ob aliquam cenſuram non ſit vitandus, aut degradatus. 2. Si ſit quidem de mortalibus, etiam reſervatis, à quibus tamen pœnitens jam ſemel eſt abſolutus. 3. In mortis articulo quivis Sacerdos ab omnibus peccatis abſolvere poteſt, uti expreſsè habetur in Tridentino *Seſſ. 14. c. 7.* De reliquo directè abſolvere poteſt à reſervatis, non ſolùm ille, qui peccatum reſervavit, ejúſque in officio ſucceſſor, & à fortiori ejuſdem ſuperior (qui omnes ordinariam habent poteſtatem) ſed etiam ille, qui ab aliquo prædictorum per delegationem ſive directè, ſive indirectè acquiſitam, accepit poteſtatem abſolvendi, cum hoc diſcrimine inter poſteriorem hunc, & illos priores, quòd illi poſſint tollere reſervationem etiam ſine ſacramentali abſolutione, poſterior verò ſolùm per ſacramentalem abſolutionem. Vid. Tambur. *de Reſerv. & alios.*

In caſu neceſſitatis, dum videlicet Sacerdos debet facere Sacrum, vel pœnitens S. Communionem ſuſcipere, neque habet copiam Confeſſarij potentis ipſum abſolvere à reſervatis, quid fieri debeat, vel poſſit, varia ſunt placita Authorum. Poſſe dimidiari confeſſionem, ſive omitti reſervata, expoſitis ſolum non reſervatis, uſquedum detur occaſio confitendi etiam reſervata coram habente juriſdictionem ea abſolvendi cenſent Alenſis, Sotto, Tannerus, Card. de Lugo. Ariaga & alij, quibus contrarius eſt Vasquez, qui vult omninò abſtinendum eſſe à confeſſione, eò quòd non adſit ſufficiens cauſa dimi-

Digitized by Google

dimidiandi confeſſionem. In praxi tamen longè conſultius erit, ut quis in ejuſmodi caſu neceſſitatis confiteatur tam reſervata, quàm non reſervata: & ab his directè, ab illis autem ſaltem indirectè abſolvatur, cum onere ſiſtendi ſe coram Superiore, vel alio habente poteſtatem etiam à reſervatis abſolvendi pro abſolutione directa.

Qui habet jurisdictionem ad abſolvenda mortalia alicujus peregrini poteſt peregrinum hunc directè etiam abſolvere à peccatis, quæ in ipſius Patria ſeu Diœceſi reſervata ſunt, modò non eò conceſſerit præcisè in fraudem Legis, ut docent Clariſſimus P. Engel. Magn. P. Wimberger, Jacobus Platellius aliíque. Ratio eſt 1. quòd peregrinus quoad hoc punctum ex conſuetudine approbata ab Eugenio IV. habeatur tanquam incola. 2. Quòd Confeſſarius in ſua Diœceſi habeat jurisdictionem tam in perſonam peregrini, quàm in peccata illius, niſi Superior ipſius Confeſſarij eam limitaverit, quod factum non eſſe ſupponitur. Imò peregrinum etiam abſolvi poſſe à peccatis in Diœceſi ipſius Confeſſarij reſervatis, docet Clariſs. P. Mezger in ſua Theolog. Scholaſt. hîc *diſp. 49. a. 2. n. 15.* eò quòd reſervatio ab Epiſcopo facta non ſe extendat ultra proprios ſubditos.

Extra periculum mortis & caſum neceſſitatis, ſimúlque abſtrahendo à privilegiis Confeſſarius non præditus poteſtate abſolvendi à reſervatis, etiam neminem ab iisdem, directè ſaltem, abſolvere poterit: cùm expreſsè Trid. *Seſſ. 14. c. 7.* dicat, in caſibus reſervatis extra mortis periculum Sacerdotes (intellige non habentes ſpecialem jurisdictionem) nihil poſſe: porrò id unum perſuadendum erit pœnitentibus, ut ad Superiores & legitimos Judices pro beneficio abſolutionis accedant; niſi forſan ipſe Confeſſarius poſſit, ac velit facultatem abſolvendi à legitimo Superiore petere, tacitô tamen nomine pœnitentis.

Digitized by Google

DUBIUM IX.

QUid ſi advertat Confeſſarius impedimentum Matrimonij, vel dirimens, vel de præſenti uſum licitum Matrimonij impediens? Item quid ſi Confeſſarius ipſemet in ſimilibus neſciat, quid juris?

RESOLUTIO.

CErtum eſt inprimìs, ſi Confeſſario vel Parocho ejuſmodi impedimentum occultum extra confeſſionem innoteſcat, eos matrimonio non poſſe aſſiſtere, etſi id à ſponſis publicè petatur, & impedimentum ab iis negetur, ſed debere rem ad Epiſcopum deferre, ne matrimonium ſtante impedimento contrahatur. Nam Parocho ex officio incumbit, conſulere ſaluti ſuarum ovium, & inquirere in impedimenta: conſequenter ea ſibi nota etiam ad Epiſcopum deferre, niſi forſan aliundè velit ipſemet diſpenſationem impetrare.

Quòd ſi autem ejuſmodi Parochus vel quicunque Confeſſarius notitiam impedimenti ſolùm habeat ex confeſſione, & ſiquidem agatur de matrimonio non contracto, ſed primùm contrahendo, occultum impedimentum ſive dirimens, ſive impediens plerumque ſignificandum eſt ſponſis, modò aliqualis ſpes ſit, perſuaderi poſſe, ut ab eo deſiſtant, vel diſpenſationem impetrent: imò meâ opinione ſemper, ſive ſequatur fructus, ſive non ſequatur. Si enim ignorantes ſe accomodaverint admonitioni & judicio Confeſſarij, res ſalva erit: ſi non ſe accomodaverint, adeóque nec velint diſpenſationem petere, nec eâ etiam non obtentâ à matrimonio deſiſtere, id eorum malitiæ erit adſcribendum, quæ non debet ſuffragari peccatori.

Si verò agatur de impedimento occulto dirimente, vel impediente uſum matrimonij poſt jam contractum matrimonium, prudenter & circumſpectè agat Confeſſarius: ſuppoſito enim,

enim, quòd pœnitens laboret ignorantiâ invincibili, & ſi Confeſſarius prudenter judicat, ex manifeſtatione impedimenti, & admonitione ſua nihil utilitatis proventurum, ſed potiùs ſcandala, aliave gravia mala, aut damna eventura, debet pœnitentem in errore ſuo materiali relinquere juxta illud S. Aug. relati *in cap. Si quis. 2. de Pœnit. diſt. 7. Si ſcirem tibi non prodeſſe, non te admonerem.* Melius quippe eſt, aliquem peccare materialiter duntaxat, quàm formaliter. Si autem probabilem ſpem habet utilitatis cujuſdam ſecuturæ ex manifeſtatione impedimenti & admonitione ſua, e. g. quòd conjuges impoſterùm ſint cohabitaturi tanquam frater & ſoror, ſaltem uſquedum impetrent diſpenſationem, debebit impedimentum detegere, eóſque à tam gravi errore eximere. Benè tamen advertat Confeſſarius, quòd ſi matrimonio contracto aliquod impedimentum impediens uſum licitum matrimonij intervenerit, conjugem innocentem non obſtante talî impedimentô poſſe petere debitum conjugale, nocentem verò ſolùm reddere, non verò petere, ut habetur *cap. Diſcret.* &c. *cap. Tuæ fraternitatis de eo, qui cognovit.* &c. Vid. Sanchez *l. 2. de Matrim. diſp. 38.* ubi fuſiùs hanc quæſtionem examinat.

Si ignorantia circa talia impedimenta ſit culpabilis, vel omninò graſſa aut affectata, tenetur Confeſſarius inſtruere pœnitentem de opere prohibito, nec poteſt eum abſolvere, donec ſeriò promittat, ſe intermiſſurum id, quod eſt graviter illicitum.

Hactenùs dicta intelligenda ſunt, ſi Confeſſarius non interrogetur, vel conſultetur à pœnitente: ſi autem interrogatur v.g. de impedimentis matrimonij, onere reſtitutionis &c. tenebitur Confeſſarius aperire veritatem rei, & omnî poſſibilî modô procurare, ut pœnitens faciat, ad quod tenetur, & omittat, quod eſt illicitum: ſecùs non poterit abſolvere. Ita communiter DD.

Deni-

Digitized by Google

Denique tametſi ſit ignorantia invincibilis in pœnitente, modò ſit cauſa peccatorum formalium, e. g. quando pœnitens judicat eſſe peccatum, ubi nullum eſt, debet pariter eximi à Confeſſario à tali errore, quia hoc eſt de ratione & officio Confeſſarij.

Ad alterum quæſitum quod attinet, ſcilicet quid agendum, ſi ipſemet Confeſſarius neſciat in ſimilibus, quid juris? Dixi quidem ab initio Confeſſarium ad extraordinarios & inſolitos caſus dijudicandos non teneri, an autem tales ſint, qui ſolent proferri circa impedimenta matrimonij & ſimilia, mihi non perſuadeo.

Interim certum eſt, Confeſſarium ſub mortali teneri habere ſcientiam ſufficientem, qualis juxta probatos AA. videtur eſſe illa, quæ fuit ante reſolutionem horum Dubiorum deſcripta. Sed abſtrahendo ab his, ſi ſimile quid contigerit, haud dubiè tenebitur Confeſſarius vel pœnitentem remittere ad ſe doctiorem: vel petitâ morâ conſulere libros, pœnitentem ad ſe vocare (cautè tamen, ne eum confundat, aut penès alios ſuſpicionem, vel ſaltem admirationem cauſet) & in neceſſariis inſtruere.

DUBIUM X.

QUid ſi Confeſſarius audiendo v. g. blaſphemias, detractiones, non ſatìs advertenter, omiſſiones Miſſarum, jejuniorum ex aliqua vel dubia cauſa factas dubitet, nec ſciat, an peccatum mortale, vel veniale, judicare debeat?

RESOLUTIO.

CÙm penès Confeſſarium non ſit ex dubiis certa facere, nec teneatur ad exactiſſimam inveſtigationem, ne Sacramentum hoc reddat nimìs odioſum, ut jam dictum, ſufficiat in ſimilibus caſibus breviter interrogare pœnitentem, cum quali con-

Digitized by Google

li conſcientia ipſe ſit operatus? an nimirùm nullo modo, & ne per rationabilem quidem ſuſpicionem adverterit, ſe graviter, vel leviter peccare? juxta cujus reſolutionem judicium prudenter & ſine ſcrupulo formandum. Quòd ſi ipſe pœnitens neſciat ſe reſolvere, ſed inter utramque partem dubius hæreat, ſuſpendat Confeſſarius ſuum judicium, & relinquat Domino Deo, qui novit abſcondita cordium, faciatque intentionem eum abſolvendi, ſive ſit mortale, ſive veniale. Quòd ſi mera dubia confiteatur pœnitens, curet Confeſſarius, unum ſaltem certum addi peccatum, ne Sacramentum exponat periculo fruſtrationis ob defectum materiæ.

DUBIUM XI.

QUid ſi Confeſſarius in confeſſionali diſtractus fuerit, & abſoluta confeſſione, cùm pœnitentiam injungere deberet, non recordetur omnium peccatorum recenſitorum?

RESOLUTIO.

VElut in aliis negotiis humanis per longiorem moram durantibus omnes diſtractiones difficulter evitantur, ita ſanè etiam in hoc, uti ipſa experientia ſatìs docet: ſufficit proin, ſi Confeſſarius mediocrem adhibeat diligentiam, id eſt talem, quæ communiter in tam ſeria re à diligentibus adhiberi ſolet, quô factô diſtractiones pro involuntariis habere poteſt. Gobat *tract. 6. n. 491.* & poſt eum Matth. Stoz *in ſuo Tribunal. pænit. l. 2. q. 3. n. 91.* de diſtractionibus Confeſſariorum ſic pronunciant. Confeſſarius, qui ob diſtractionem vel ſomnolentiam deliberatè admiſſam non percepit, vel ſe periculo exponit non percipiendi aliquod mortale peccatum pœnitentis, peccat graviter: ſed quia Confeſſarij communiter neutrum deliberatè admittunt, ideò in dubio non ſunt

 cen-

Digitized by Google

cenſendi peccare, niſi tantùm venialiter. Ad memoriam peccatorum tempore abſolutionis quod attinet, minimè requiritur, ut omnium diſtinctè recordetur Confeſſarius, cùm hoc frequenter ſit impoſſibile: ſed ſufficit ea notitia peccatorum, ut jam initiô dictum, vî cujus Confeſſario moraliter innoteſcat ſtatus pœnitentis, cui ſalutarem pœnitentiam poterit accomodare. Bonac. *diſp. 5. q. 5. ſect. 2. p. 3. n. 15. & ſeq.*

DUBIUM XII.

QUales pœnitentias pro uno, duobus, decem, centum peccatis mortalibus imponere debeat Confeſſarius?

RESOLUTIO.

POEnitentiam quamdam à Confeſſariis pœnitentibus injungi, non eſſe de conſilio, ſed de præcepto, certum eſt, & habetur in Trid. *ſeſſ. 14. c. 8. Debent Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit pro qualitate criminum & pœnitentium facultate ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere &c.* Solùm ergò dubitatur de qualitate & quantitate. Quoad quantitatem igitur certum eſt, eam univerſalî regulâ taxari non poſſe, ſed tantam debere eſſe, quantam ſpiritus & prudentia Confeſſario ſuggeſſerit, ut loquitur Trid. Etſi enim ſubinde confitens ob gravitatem peccatorum mereretur caſtigari graviſſimâ pœnitentiâ ſeu ſatisfactione, legitimæ tamen poſſunt cauſæ intervenire, ob quas Confeſſarius poſſit & debeat temperare rigorem aliàs debitum. Ejuſmodi cauſæ ſunt v. g. ne pœnitens acquirat averſionem hujus ſalutaris remedij, ſcilicet Sacramenti Pœnitentiæ, ſed potiùs alliciatur ad id frequentandum, cùm magis intendatur ſalus pœnitentis, & ejus emendatio, quàm ſatisfactio pro pœna temporali. Item ne pœnitens agatur in deſperationem, vel afficiatur

Digitized by Google

ciatur gravî tœdiô, pœnitentiamque injunctam non perficiat &c.: Præſtat enim pœnitentem cum uno Pater & Ave mittere in purgatorium, quàm cum gravi pœnitentia præcipitare in infernum, inquit Gerſon. Conſonat huic doctrinæ Divus Ambroſ. *relatus in can. Allegant. cauſa 26. q. 7.* ubi ſic habet: *Etſi erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius eſt propter miſericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem? ubi enim Paterfamilias largus eſt, ut quid Sacerdos ejus auſterus? vis apparere ſanctus, circa tuam vitam ſis auſterus, circa alienam benignus.* Miſericordia igitur ſuperexaltet judicium.

Caveat tamen etiam Confeſſarius, ne nimiâ ſuâ lenitate abutatur pœnitens ad faciliùs peccandum juxta monitum Tridentini locô priùs citatô ſic pergentis: *Ne, ſi fortè indulgentiùs cum pœnitentibus egerint, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis imponendo, aliorum participes peccatorum efficiantur &c.*

Quoad qualitatem pœnitentiæ certum eſt, imponi poſſe opera bona tam interna, quàm externa: velut enim Confeſſarius judicare, & abſolvere poteſt Authoritate Divina de peccatis tam internis, quàm externis, ita quoque proportionatam ſatisfactionem iiſdem peccatis ſive internam, ſive externam injungere poteſt. Nec refert, quòd opera merè interna de ſe non ſint ſenſibilia: ſufficit enim eſſe ſenſibilia ſaltem in alio, ſcilicet in impoſitione Confeſſarij, & acceptatione ipſius pœnitentis, ut docent Dicaſtillo *d. 14. n. 8.* Diàn. *p. 4. tract. 4. reſolut. 41. in fine.* Opus aliàs præceptum, vel aliundè debitum etiam quidem abſolutè loquendo poteſt imponi pro ſatisfactione, ut volunt citatus Dicaſt. *n. 89.* Lugo, Palao, Layman. cum aliis communiter, regulariter tamen deberet eſſe aliquid ſupererogatorium, utpote quod aliquo modo peccatorem gravat, & abſterret à recidiva, ut no-

tant cit. DD. Poteſt quoque injungi opus per modum ſuffragij applicandum Animabus in Purgatorio, ut docet Lugo *d. 25. de Pœnit. ſect. 4. n. 62.* Tambur. *de Confeſſ. l. 4. c. 1. n. 16.* Etſi enim ejuſmodi opus cedat in bonum defunctorum ſecundùm vim ſatisfactoriam ex opere operantis, manet tamen fructuoſum pœnitenti quoad vim ſatisfaciendi ex opere operato, quam habet, ut eſt pars Sacramenti. De reliquo diſpiciat Confeſſarius, & ipsâ experientiâ doctus diſcernat, quæ pœnitentiæ ſingulis hominum generibus ſint convenientes, & vel maximè proficuæ, ſintque ſemper tales, ut pœnitentes non recedant nimiùm triſtes, queruli, & cum exigua voluntate exequendi ſuam pœnitentiam, uti fieret, ſi pauperi imponerentur eleemoſynæ, operariis vel debilibus perſonis jejunia, mulieribus longæ peregrinationes, graviter ægrotis longæ orationes &c.

DUBIUM XIII.

QUid ſi pœnitens dicat, ſe pœnitentiam aliàs injunctam non perfeciſſe: ſive id ex oblivione, ſive voluntariè propter difficultatem: & quid ſi oblitus ſit, quænam pœnitentia fuerit dictata?

RESOLUTIO.

POEnitentem teneri acceptare, & exequi ſatisfactionem (ſaltem ſi hæc ſit rationabilis) à Confeſſario pro peccatis injunctam ſub obligatione proportionata ipſi ſatisfactioni injunctæ, docet Divus Thomas *in 4. diſt. 18. q. 1. a. 3. quæſtiunc. 3.* cum communi aliorum: & contrarium à Palao damnatur ut improbabile: à Suarezio ut temerarium: à Victoria & Vaſquez contrarium fidei. Si tamen pœnitentiæ oblitus fuerit naturaliter & abſque ſua culpa, expedit quidem, ut in ſequenti confeſſione ſimilem ſibi petat injungi juxta Buſenbaum:

baum: abſolutè tamen in hoc caſu ad nihil teneri docet Dian. *p. 4. tract. 4. reſol. 241.* niſi forſan oblivio accidiſſet ſtatim poſt datam pœnitentiam, occaſionémque haberet pœnitens interrogandi Confeſſarium, quid injunxiſſet, præſertim ſi gravis fuit pœnitentia: ſi verò ſuâ culpâ, eò quòd nimium e. g. diſtulerit, non recordetur pœnitentiæ, tenebitur hoc peccatum, culpabilem ſcilicet oblivionem, confiteri, & erit in arbitrio Confeſſarij pœnitentiam novam injungere. Ita Coninc *d. 10. d. 9. n. 86.* cit. Dian. & alij. Quòd ſi pœnitens nolit pœnitentiam implere ob ejuſdem gravitatem tam ab eodem, quàm alio quocunque Confeſſario habente judisdictionem in ejuſmodi pœnitentem juxta prudens arbitrium poterit commutari in aliam medicinalem, & hoc ſi non aliam ob cauſam, ſaltem ad facilitandum uſum Sacramenti. Ubi tamen benè obſervandum, ejuſmodi mutationem probabiliùs fieri non poſſe, niſi intra Sacramentum Pœnitentiæ, & non niſi cognitâ causâ, ob quam fuit impoſita. Vid. Illſung *Tract. 6. d. 6. n. 164.* Ab ipſo autem pœnitente immutari non poteſt pœnitentia etiam in opus melius: quia nullus poteſt mutare præceptum Superioris v. g. præceptum audiendi Sacrum in opus illâ auditione melius: deinde opus à Confeſſario injunctum virtute Clavium elevatur, ut ſit pars Sacramenti, cauſétque gratiam ex opere operato, non item aliud ſuſceptum ab ipſo pœnitente. Lay. *l. 5. tract. 6. c. 15. n. 16.* Tamb. *c. 3. §. 1. n. 15.* Sanchez, Regin. & alij.

DUBIUM XIV.

QUid ſi pœnitens recuſet acceptare injunctam pœnitentiam, dicendo ſe non poſſe tale opus perficere?

RESOLUTIO.

VEluti Sacerdos vî Tridentini obligatur imponere pœnitenti ſatisfactionem vî judiciariæ poteſtatis vindicativæ pec-

Digitized by Google

catorum, etiam correlativè ex parte pœnitentis datur regulariter obligatio acceptandi injunctam pro ſatisfactione pœnitentiam, ſaltem ſi ſit medicinalis, rationabilis, & non nimium difficilis, qualis juxta quosdam foret pœnitentia perpetua etiam non adeò gravis, utpote quæ non eſt rationabilis, quia non eſt conformis integritati Sacramenti Pœnitentiæ: talem proinde pœnitens non tenetur acceptare, nec acceptatam implere, ut docet Lay. *loc. cit. n. 6.* Coninc. *n. 80.* Qualiter de reliquo oporteat ſe habere Confeſſarium in injungendis pœnitentiis, jam dictum eſt in præcedentibus.

Et certè, ſi pœnitens allatâ probabilî causâ de gravitate pœnitentiæ conqueratur, Confeſſarius plerumque moderari eam, vel leviorem decernere deberet: monere tamen poterit pœnitentem, pœnitentiam non eſſe commenſuratam delictis, quare ipſemet exerceat opera bona in ſatisfactionem pro peccatis.

DUBIUM XV.

QUid faciendum, ſi pœnitens ſine emendatione eadem ſemper peccata confiteatur? an repellendus? aut quid eidem dicendum?

RESOLUTIO.

PEr ſe & regulariter loquendo, quoties Confeſſarius prudenter judicat, pœnitentem ſuum integrè confeſſum diſpoſuiſſe ſe ad abſolutionem per ſupernaturalem diſplicentiam peccatorum, & ſerium futuræ emendationis propoſitum, toties nec debet, nec poteſt ipſum non abſolutum dimittere, uti communis & vera tenet doctrina teſte Card. de Lugo. *d. 14. ſect. 10.* Per accidens tamen debet, & poteſt ſubinde Confeſſarius dimittere pœnitentem non abſolutum, ſi nimirum poſt alia remedia ſine ullo fructu jam tentata, hoc extremum

deni-

denique ſperat fore illud, quòd optatam efficaciam habiturum ſit. Non tamen eſt adhibendum hoc remedium, quamdiu pœnitens numerum peccatorum conſuetorum notabiliter minuere incipit, & extraordinaria doloris & propoſiti ſigna manifeſtat, ſéque paratum exhibet ad arripienda ſingularia quædam media, à Confeſſario præſcribenda &c.: quia teſte Dicaſtillo ab experientia conſtat, id raró prodeſſe & ſæpè nocere, eò quòd pœnitentes in tali caſu vel Confeſſarium omninò mutent, vel nimìs diu differant confeſſionem, quæ tamen eſt remedium peccatorum non tantùm præteritorum, ſed etiam futurorum: ideóque potiùs pro remedio eſt injungenda frequentia confeſſionis ſaltem in peccatis, in quibus nec moraliter, nec phyſicè poteſt occaſio penitùs tolli, ut contingit in peccato mollitiei & ſimilibus: adhibenda inſuper alia quæque remedia cujusvis pœnitentis ſtatui convenientia, ut communiter conſulunt Doctores, & communis fert uſus Confeſſariorum. De vitio Mollitiei ſic ſpecialiter pronunciat Tolletus *l. 5. c. 13. Eſt*, inquiens, *hoc peccatum difficillimæ emendationis, quia occaſio ſemper eſt cum homine, & eſt adeò univerſale, ut crediderim, maximam partem damnatorum hôc infectum fuiſſe vitiô. Vix puto, aliud eſſe efficax remedium, niſi frequentiſſimam confeſſionem cum uno, eodémque Confeſſariô, ut fiat ter in hebdomade, ſi poſſit: eſt enim hoc Sacramentum maximum frænum, & qui hôc non utitur, non ſibi promittat emendationem, niſi per miraculum à DEO factum, aut per rariſſimum privilegium &c.*

De reliquo in hoc ſatìs arduo negotio quoad recidivos & conſuetudinarios Confeſſarius duo ſemper caveat extrema, ne ſcilicet vel per nimiam ſeveritatem potiùs ſit occaſio ruinæ, & deſperationis pœnitenti, quàm ſalutis: vel per nimiam clementiam peccata foveat, & augeat, ſicque incidat in damnatam ab Innoc. XI. ſententiam ſequentem, Ordine 60. *Pœni-*

tenti

Digitized by Google

tenti habenti conſuetudinem peccandi contra Legem DEI, Naturæ aut Eccleſiæ, & ſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferas, ſe dolere & proponere emendationem.

DUBIUM XVI.

QUid ſi pœnitens reſtituere nolit, aut occaſiones proximas peccandi vitare (quas tamen ſine gravi ſuo incommodo & damno vitare poteſt) aut parti læſæ deprecari? aut inimico ignoſcere?

RESOLUTIO.

SI ſermo eſt in hoc dubio de mortalibus, certum eſt, pœnitentem taliter conſtitutum abſolvi non poſſe, eò quòd evidenter careat ſufficientì diſpoſitione & propoſitô de vita emendanda, quale tamen propoſitum eſſentialiter requiritur ad Sacramentum hoc ritè ſuſcipiendum vi Trid. *ſeſſ. 14. c. 5.* Caveat tamen Confeſſarius, ne ejuſmodi pœnitentem facilè dimittat, ſed potiùs omnem moveat lapidem, omnem applicet arietem lapideo ipſius cordi, donec moveat, ac perſuadeat, ut ad frugem redeat. Quòd ſi perſuadere nullatenùs valeat, dimittat eum ſine abſolutione, revolvens illud Prophetæ: *Curavimus Babilonem, & non eſt ſanata, relinquamus eam.* Item: *Perditio tua ex te, Iſrael.*

DUBIUM XVII.

SPecialiter quid circa inimicitias à pœnitente requirendum: quouſque offendentem diligere, eíque ſigna benevolentiæ exhibere compellendus, & admonendus ſit.

RESOLUTIO.

INimicos à nobis diligendos eſſe, quatenùs ſunt proximi noſtri, conſtat ex Præcepto Chriſti Matth. 5. *Ego autem dico vobis:*

vobis: Diligite inimicos veſtros; benefacite his, qui oderunt vos. Tenemur itaque juxta communem Doctorum 1. Præſtare inimicis noſtris beneficia & ſigna dilectionis, ac benevolentiæ generalia, non item ſpecialia *per ſe loquendo.* Generalia ſunt v. g. Preces & eleemoſynæ communes: invitatio ad menſam alicujus totius cognationis, non excluſô inimicô, ſi etiam ſit cognatus &c. Specialia ſunt ægrotum inviſere, mœſtum ſolari, hoſpitio privatim accipere extra caſum neceſſitatis &c. Laym. *l. 2. tract. 3. c. 4.* & alij communiter. Dixi *per ſe loquendo.* Ratione enim ſcandali, vel ſimilis cauſæ etiam fieri poteſt, ut quis teneatur ad ſpecialia. Tenetur 2. qui ab inimico offenſus, vel injuriâ affectus eſt, nullum odium inimicitiæ concipere, ſed offenſam propter Deum & Præceptum Chriſti ex animo condonare, ut vindicare ipſemet nolit, adhortante nos adhuc expreſsè Chriſto Matth. 18. *Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unusquisque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Denique tenetur quis inimicum ſalutantem viciſſim reſalutare, quia hoc eſt generale ſignum Charitatis: item veniam petenti tribuere juxta præceptum Chriſti Luc. 17. *Si peccaverit in te frater tuus, & pœnitentiam egerit, dimitte illi: & ſi ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me; dimitte illi* &c. Hoc tamen aliquatenùs limita 1. Niſi injuſtè offenſus Pater, Prælatus, aliúsve Superior fuerit, qui correctionis causâ ex zelo Juſtitiæ reconciliationem differendam arbitretur. Limita 2. cum Angelo *verb. Diligere.* & aliis, niſi ex hoc timeatur inimicus in ſua malitia futurus obſtinatior, aut ad ulterius malum provocandus.

Præceptô Charitatis de inimico diligendo non obſtante, poteſt offenſus, ſeu injuriam paſſus, apud competentem Judicem ſe gravare, & actionem injuriarum, vel aliam competentem inſtituere, modò abſit omnis pravus affectus, & ani-

mus ſeſe vindicandi. Neque enim Charitas opponitur virtuti Juſtitiæ, quæ eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi.

Trepidare, vel omninò expalleſcere coram eo, qui offendit, vel deſiderare etiam, eum non videre, longè abeſſe &c. non ſtatim ſunt peccata, ſed plerumque ſunt motus naturales, neceſſariò ſequentes ex præſentia objecti contrarij & apprehenſione injuriæ illatæ: ſupprimendi tamen eatenùs, quatenùs forſan inclinant animum ad odium inimicitiæ & vindictæ. Vid. Ilſung. *tract. 3. d. unic. n. 88. & 89.*

DUBIUM XVIII.

QUid circa Superſtitiones, maximè, quando dubium eſt, an aliqua ſuperſtitioſa & magica ſint, v. g. quæ in caſtratione animalium, & ad depellenda maleficia adhibentur?

RESOLUTIO.

GEnericè loquendo, cenſenda eſt ſemper committi Superſtitio aliqua, quandocunque aliquid ſive profanum, ſive ſpirituale adhibetur, vel applicatur ad effectum ſive finem quemdam neque ex natura ſua, neque à Deo ad ejuſmodi finem ordinatum: vel ſi ſtudioſè fiat in talibus circumſtantiis, quæ reverà nullam habent connexionem cum tali effectu ſeu fine. Adeoque ſi Confeſſarius dubitet, an ſit ſuperſtitioſum quid, nec ne? inſpiciat, ac prudenter examinet, an id, quod aſſumitur, habeat, vel ſaltem poſſit habere aliquam connexionem, utut etiam occultam cum effectu intento, nec ne? ſi habeat, judicet eſſe quid naturale, vel à Deo; ſi nullam habeat connexionem, erit ſuperſtitioſum. Interim tamen in phyſicis non ſit nimiùm ſtrictus, ſed ſciat dari multas virtutes occultas & qualitates in herbis, lapidibus, frugibus & ſimili-

milibus, ex quibus inexſpectati effectus frequenter oriri poſſunt: ſic e. g. ſumere lac muliebre ad depellendam febrim, applicare crines rabidi canis pro morſu ejuſdem &c. ſuperſtitioſa reverà non ſunt, ſed naturalia. Præterea ſciat aliqua pariter non ſuperſtitioſè, ſed licitè adhiberi ad ſolvenda diabolica pacta, vel explicita, vel implicita, etſi de ſe nullam habeant connexionem cum fine vel effectu intento: ſic licitè hirci aſſervantur in ſtabulis, ne ſagæ poſſint nocere animalibus, quibus præſens eſt hircus: habet enim diabolus pactum ſaltem implicitum, ut non poſſit nocere animalibus, quibus præſens eſt hircus. Cæterùm Superſtitio ex genere ſuo eſt peccatum mortale, utpote continens vel expreſſam, vel tacitam invocationem dæmonis: poterit tamen ſubindè rudiores & ſimplices excuſare inadvertentia ad rei gravitatem, quod facilè deprehendendum ex propria pœnitentis confeſſione, & conſcientiæ ſuæ explicatione. Vid. Leſſius *l. 2. c. 44.* Bonac. Reginald. & fusè dicta de Superſtitionibus ad 1. Decalogi præceptum.

DUBIUM XIX.

QUid ſi dubium videatur, an pœnitens ſit ritè diſpoſitus ad abſolutionem? ſcilicet an ſufficientem contritionem elicuerit? an ſeriò proponat emendationem?

RESOLUTIO.

CUm Confeſſarius de his & ſimilibus utpote occultis phyſicè certus eſſe non poſſit, neceſſariò debet ſufficere certitudo moralis, quæ conſiſtit in hoc, quòd hîc & nunc prudenter judicare poſſit, pœnitentem eſſe ſufficienter diſpoſitum ad abſolutionem vî propriæ ſuæ confeſſionis & teſtimonij: & in tali caſu ſemper eſt impertienda abſolutio, non obſtante, quòd Confeſſarius fortè prævideat, & credat, pœnitentem ex

 infir-

Digitized by Google

infirmitate denuò relapſurum : prout teſte Suarez *tom. 4. in 3. part. d. 32. ſect. 2. n. 2.* docent omnes. Si autem Confeſſarius actu & practicè dubitet, an pœnitens ſit ſufficienter diſpoſitus, nec ne? eum abſolvere non poteſt, ſed omnî meliorî modô diſponere ſtudebit. Quòd ſi Æthiopem lavare ſe expertus fuerit, abſque abſolutione ejuſmodi pœnitentem dimittat: nec enim projiciendæ ſunt margaritæ ante porcos, ſed revolvat ſecum Confeſſarius illud Prophetæ. Jerem. 51. v. 9. *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, relinquamus eam.*

DUBIUM XX.

Quid ſi Confeſſarius abſolvit pœnitentem, non interrogatô numerô & ſpecie peccatorum?

RESOLUTIO.

Inter ea, quæ Confeſſarius neceſſariò (ſi pœnitens omittat in confeſſione) quærere tenetur, eſſe ſpeciem & numerum peccatorum, omnes fatentur Theologi: & deducitur ſatìs clarè ex Trid. *ſeſſ. 14. c. 5.* cùm aliàs nec ſufficienter de ſtatu peccatoris judicare, obligationes imponere, nec ſalutares & medicinales ſatisfactiones præſcribere poſſet. Itaque Confeſſarius non ſatisfaciens in hoc paſſu ſuo officio, ſed deliberatê omittens interrogare de ſpecie & numero regulariter peccat mortaliter. Ita Diana *p. 1. tract. 15. reſolut. 7.* Filliuc. *tract. 7. n. 344. & 369.* Palao *tract. 23. p. 18. n. 3.* cum aliis. Non tamen propterea ſemper tenetur monere pœnitentem extra confeſſionem, ſed ſatisfaciet ſuæ obligationi, ſi de hac ſua negligentia, & culpa commiſſa ritè doleat, confiteatur, & impoſterùm caveat, ut docent Suarez, Lugo, Dicaſtillo & alij. Quòd ſi tamen pœnitentem extra confeſſionem monere velit de defectu in confeſſione commiſſo, ab eodem facultatem petat loquendi cum illo de peracta confeſſione ſub ſigillo tamen: & ſi

Digitized by Google

& ſi is concedat, loquatur, quidquid neceſsè videbitur: ſi neget, taceat, ne frangat ſigillum: ſecurus tamen erit (etiam in caſibus, quibus monere tenetur, ut mox dicetur) quia petendo licentiam fecit, quod potuit, & debuit. Coninck. *de Sacramentis. d. 8. n. 1.* Tambur. *de Confeſſione. l. 3. c. 8. n. 9.* Similiter loquendum, ſi Confeſſarius omiſit pœnitenti imponere obligationem vitandi occaſionem proximam peccandi. Quòd ſi autem Confeſſarius forſan poſitivè inſtruxit pœnitentem, quòd non teneatur explicare numerum & ſpeciem peccatorum: non vitare occaſionem proximam graviter peccandi &c. communis eſt ſententia, eum teneri etiam poſitivè monere pœnitentem, & aliter inſtruere: vel in ſequenti confeſſione, ſi redeat: vel etiam extra confeſſionem, modô prædictô, ſaltem ſi ſine gravi ſuo incommodo & damno poſſet. Diſparitas inter utrumque eſt, quòd in caſu poſteriore Confeſſarius concurrat ut cauſa poſitiva ad defectum integritatis materialis ipſius confeſſionis, vel ad peccatum ex occaſione proxima poſteà commiſſum: in priori autem ſe ſolùm habeat negativè, ut conſideranti facilè patet: adeoque ad plus obligetur in caſu poſteriori, quàm priori.

DUBIUM XXI.

QUid ſi Confeſſarius non obligavit pœnitentem ad reſtituendum, quem debuiſſet obligare?

RESOLUTIO.

VEl Confeſſarius ad omiſſionem reſtitutionis concurrit poſitivè, dicendo pœnitenti, eum non teneri reſtituere: vel ſolùm negativè, tacendo & non admonendo pœnitentem, ut reſtituat? Si prius, & quidem ſi hoc faciat cum culpa gravi, tenebitur rebûs adhuc integrîs monere pœnitentem, ſuúmque dictum revocare: vel certè ipſemet ex Juſtitia obligabitur

 dam-

damnum ex ſuo dicto ſecutum compenſare, eò quòd taliter ſit poſitiva, licèt non phyſica, moralis tamen cauſa damni. Quòd ſi Confeſſarius ſimile quid dicat bona fide, & abſque mortali, probabile quidem eſt, eum non peccare contra Juſtitiam, adeóque nec in defectum pœnitentis teneri reſtituere: eò quòd ſeclusâ conventione & pactó probabiliter nulla culpa obliget ad reſtitutionem gravem, niſi ſit mortalis, ut docet Sa. Valentia. Suarez relati à Laymano *l. 3. tract. 4. c. 7. n. 6.*

Alij tamen cum Lugone *d. 22. à n. 60.* Petro Navarro &c. volunt, ejuſmodi Confeſſarium teneri dictum ſuum (ſaltem ſi commodè poſſit) revocare, vel damnum inde ſecutum compenſare: eò quòd quivis, prævidens ex ſua actione alteri damnum oriturum, obligetur non tantùm ex charitate, ſed etiam ex juſtitia illud impedire, ſi commodè poſſit. Si autem in tali caſu Confeſſarius ſolùm negativè ſe habeat, id eſt, nec ſuadeat, nec dicat, ut pœnitens non reſtituat: neque tamen etiam onus reſtituendi eidem imponat, ſed utrumque omittat: tunc denuò diſtinguendum eſt. Vel enim pœnitens per ejuſmodi defectum admonitionis movetur, & quaſi inducitur, ut non reſtituat, & tunc tenetur denuò Confeſſarius monere pœnitentem, ſi commodè poſſit, ut priùs: ſi autem pœnitens non moveatur ad omittendam reſtitutionem, ſufficiet, ſi Confeſſarius de peccato ſuo fortè commiſſo doleat, & impoſterùm caveat.

DUBIUM XXII.

QUid ſi Confeſſarius pœnitentem non abſolvit: vel abſolvit quidem, ſed invalidè?

RESOLUTIO.

1. SI Confeſſarius pœnitentem cæterà ritè diſpoſitum & confeſſum ex inadvertentia, oblivione vel ſimili causâ

non

non abſolvit, debet eundem abſolvere, quamprimùm poteſt, & is adhuc moraliter præſens eſt, neque tantum intervallum interceſſit, ut confeſſio & abſolutio non cenſeantur ampliùs conſtituere unum totum morale. Ratio eſt, tum quòd judicium ſacramentale ſemel ceptum, poſitîs cæterîs requiſitîs, debeat per ſacramentalem ſententiam ſeu abſolutionem compleri; tum quòd pœnitens per legitimam confeſſionem obtinuerit jus ad dictam abſolutionem, & gratiam ſanctificantem ex opere operato vî inſtitutionis Chriſti ſibi conferendam. Poteſt autem ejuſmodi abſolutio (ſi nimirùm Confeſſarius non ampliùs poſſit monere pœnitentem, nec cum eodem ante S. Communionem aliter procedere) fieri pœnitente etiam non advertente, v. g. dum accedit Sacram Communionem; quia voluntas hanc percipiendi cenſetur adhuc in eodem moraliter perſeverare, modò, ut dictum, non nimia intercedat interruptio inter confeſſionem & abſolutionem.

2. Si tantum intervallum interceſſit, ut confeſſio & impertienda abſolutio non ampliùs poſſint conſtituere unum morale, nec pœnitens ſperetur rediturus denuò ad confitendum, tenetur Confeſſarius monere pœnitentem, modò id ſine gravi ſcandalo, aut detrimento ſui ipſius, vel odio confeſſionis fieri poſſit. Sin verò Confeſſarius moraliter ſit certus, pœnitentem ad ſe rediturum, eundem omnium optimè in ſequenti confeſſione interrogabit, vel monebit, ut etiam de peccatis jam ſemel confeſſis doleat, & ſi annuat, eum tam à confeſſis, quàm à prioribus abſolvat. De ſuo autem peccato, quod fortè commiſit, doleat, idque proximè confiteatur.

3. Confeſſarius moribundum in articulo mortis conſtitutum ritè confeſſum omninò non, vel invalidè v. g. ex defectu intentionis abſolvens (ſive culpabiliter, ſive inculpabi-

pabiliter) tenetur eum adhuc abſolvere. Quòd ſi abſolutio cum confeſſione non ampliùs poſſit moraliter conjungi : vel moribundus cenſeatur denuò de novo graviter peccâſſe, obligatur Confeſſarius etiam cum gravi ſuo incommodo, confuſione & dedecore de defectu abſolutionis commonere pœnitentem : nam ſalus animæ proximi pluris facienda, quàm bonum famæ & honoris proprium. Benè tamen plerumque advertunt Doctores, Confeſſarium ex culpa gravi errantem, teneri ad majus damnum ſubeundum, quàm errantem ex culpa ſolùm levi, vel inadvertentiâ prorſus inculpabilî. Vid de his Bonac. *tom. 1. d. 5. q. 7. p. 6. n. 1.* Coninck. *de Sacram. d. 8. n. 141.* Lugo *d. 22. à n. 51.* Tambur. *de Confeſſ. l. 3. c. 8. §. 4. n. 3.* & alios ab his relatos.

DUBIUM XXIII.

AN Confeſſarius poſſit uti Scientiâ Confeſſionis ?

RESOLUTIO.

NOn defuêre quidem antiquitùs, qui exiſtimabant, licere Confeſſario uti Scientiâ Confeſſionis, e. g. in electionibus & ſuffragiis ad officia, beneficia &c. modò id pœnitens, vel alius quispiam non advertat, aut ſuſpicetur : hodie tamen communis & certa eſt ſententia negativa, ex conſtitutione Clement. VIII. editâ Annô 1594. 26. Martij, quæ ſic habet : *Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quàm Confeſſarij, qui poſteà ad Superioratûs gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſimè, ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.* Id ipſum facilè deducitur ex inſtitutione Chriſti, qui Sacramentum

Pœni-

Pœnitentiæ haud dubiè inſtituit cum tali obligatione ſigilli, & non uſûs notitiæ ſacramentalis, qualis eſt neceſſaria, ut Sacramentum hoc quàm minimè reddatur odioſum: evidens autem eſt, quòd per ejuſmodi licentiam Sacramentum Pœnitentiæ vel maximè redderetur odioſum: ergò &c. Unde regula univerſalis eſt, Confeſſarium in nullo caſu uti poſſe Scientiâ Confeſſionis (tametſi nec pœnitens, nec ullus alius in notitiam illius uſûs venire poſſit) quando id cedit in quodcunque detrimentum pœnitentis, vel odium Sacramenti. Ita communis DD. Unde 1. non licet Confeſſario loqui extra confeſſionem cum pœnitente de peccatis auditis in confeſſione ſine expreſſa ipſius licentia: nec eundem ob confeſſionem peractam ſeveriori vultu aſpicere, aſperiùs loqui, aut alia qualiacunque ſigna ſuſpicionem de notitia confeſſionis inducentia exhibere. 2. Non poteſt Confeſſarius denegare Euchariſtiam indiſpoſito, publicè eam petenti, ſi aliundè non habeat notitiam indiſpoſitionis, niſi ex confeſſione, ut docet Laym. & alij. 3. Parochus ex ſola confeſſione ſciens impedimentum dirimens inter ſponſum & ſponſam debet probabiliùs tale matrimonium permittere, eíque aſſiſtere. 4. Confeſſarius, ſi ex confeſſione ſciat, ſtrui ſibi inſidias, præberi in poculo venenum, non poteſt ea declinare, ſi exinde reus veniat in ſuſpicionem, aut aliud ei immineat periculum ſeu præjudicium. Vid. cit. Laym. *l. 5. tract. 6. c. 14. à n. 22.* Coninck *d. 9. dub. 4. n. 64.* Sanchez, Marchant. Bonac. & alios.

Quòd ſi verò uſus notitiæ ſacramentalis non cedat in ullum præjudicium vel incommodum pœnitentis, nec in odium ipſius Sacramenti, is Confeſſario prohibitus non eſt, ita denuò in re communis DD. Quis enim neget, Confeſſarium orare poſſe DEUM pro ſalute & converſione ſui pœnitentis: vel ne DEUS ſe ipſum in talia peccata, quæ

in confeſſione percepit, labi permittat? Sic licet quoque Concionatoribus, rerúmque ad mores ſpectantium Scriptoribus uti notitiâ confeſſionis, ſed non niſi cautiſſimè abſque ſcilicet omni incommodo & præjudicio aliorum, ita quidem, ut Diana *p. 3. tract. 4. reſol. 76.* & poſt ipſum Gobat *tract. 7. Theol. experiment. n. 878.* velint, Parochum vel Concionatorem graviter peccare ob ſcandalum plebis & puſillorum, ſi expreſſè dicant, ſe hæc & illa in confeſſione percepiſſe &c.

DUBIUM XXIV.

ABſcedens à confeſſionali denique Confeſſarius, non ſciens quidem ſe gravem errorem aut defectum commiſiſſe, anxietatem tamen aliquam conſcientiæ ſentit, an ſufficientem diligentiam in omnibus adhibuerit, nec ne?

RESOLUTIO.

VEl ejuſmodi Confeſſarius in tantum ſe reſolvere poteſt, quòd in functionibus peragendis adhibuerit diligentiam, communiter in hoc ipſo ſatis gravi negotio adhiberi ſolitam, vel non? Si poteſt: ſupervenientes anxietates tanquam inanes ſcrupulos deponat, & contemnat, niſi apertè ſciat, ſe gravem errorem aut defectum commiſiſſe. Si autem non poſſit ſe reſolvere, ſed actu dubitet, an officio ſuo in omnibus ſatisfecerit, nec ne? tenebitur in confeſſione ſemetipſum accuſare de commiſſa ſua negligentia ſaltem ſub dubio: impoſterùm verò ſtudebit ſancta ſanctè tractare, ut aliquando tanquam fidelis miniſter Chriſti, & prudens diſpenſator Myſteriorum Dei, debitam mercedem, æternam ſcilicet Beatitudinem recipiat. Amen.

PARS

Digitized by Google

PARS II.
De Inſtructione Confeſſarij &c.

DIaconus quidam ad Epiſcopum veniens humillimè petit admitti ad Ordinem Sacerdotalem, ſimúlque approbari ad curam animarum.

REſpondet Epiſcopus, id ſalvâ utriusque conſcientiâ fieri non poſſe, niſi ad ſequentes Quæſtiones & materias exactè reſpondere ſciat: quæ proinde Reſponſio in ſcriptis danda petitur.

PRÆFATIO.

Uſcepturus Sacros Ordines, præterquam quòd ſit mas, & baptizatus (quæ ſunt conditiones eſſentiales) etiam aliîs dotibûs & qualitatibûs inſtructus eſſe debet: ſcilicet certam habeat ætatem, nullô ſit cenſuræ vinculô innodatus, nullâ irregularitate impeditus, nullâ gravî culpâ ſeu peccatô inquinatus, Sacramentô Confirmationis munitus: ſit quoque ſecurus de congrua ſuſtentatione, ſive habeat titulum menſæ, qualis juxta Trident. eſt triplex: Patrimonij, Beneficij, & Paupertatis DEO per ſolemne votum in aliqua Religione promiſſæ &c.

Verùm de his agere hîc animus nobis non eſt, ſed potiùs de ſufficienti doctrinâ & ſcientiâ, quam requirit Trid. ſeſs. 23. De Reform. c. 13. & 14. *de Subdiaconis & Diaconis quidem, ut ſint inſtructi in Litteris, iis nimirùm, quæ de his Ordinibus exercendis tractant: de Presbyteris verò, ut poſſint docere neceſſaria ad ſalutem, & Sacramenta ritè adminiſtrare, quod vel*

Digitized by Google

maximè intelligendum de iis, qui ſimul curam animarum in ſe ſuſcipere volunt.

Meritò proindè Ordinem Sacerdotalem, ac approbationem pro cura animarum petenti reſpondet Epiſcopus, ſe ſalvâ utrimque conſcientiâ id præſtare nonpoſſe, niſi ordinandus & approbandus, tam ad Quæſtiones has poſteriores, quàm priori Parte propoſitas exactè reſpondere ſciat, vel etiam ſi petatur, in ſcriptis reſponſionem dare queat.

Quæritur itaque I.

QUid & quot ſint Sacramenta Novæ Legis, & quomodo ab illis Sacramentis Veteris Teſtamenti differant?

RESOLUTIO.

SAcramentum in genere, prout nimirùm abſtrahit à Sacramentis Novæ & Antiquæ Legis, rectè ac ſufficienter definitur cum S. Thoma *3. p. q. 65. a. 2. in c.* quòd ſit *Signum gratiæ ſanctificans ſuſcipientem.* Sacramentum novæ Legis verò communiter deſcribitur, eſſe ſignum ſenſibile, inſenſibilis gratiæ ad noſtram ſanctificationem divinitùs inſtitutum. Novæ Legis Sacramenta ſunt 7. uti Fides docet: non obſtante, quòd plures in Eccleſia numerentur Sacri Ordines, quorum quivis ſacramentali gaudet Dignitate. Nam etſi Ordines Sacri ſingillatim ſpectati non conveniant ſpecie infima & ultima, cùm nec eandem materiam, nec formam, nec effectum habeant: quia tamen ſibi invicem ſubordinati ſunt, & ad unum finem totalem & completum referuntur, nempè ad miniſtrandum in Eccleſia circa Corpus Chriſti Euchariſticum aut Myſticum, ſignificans-

cántque gratiam ad hoc Myſterium neceſſariam, ideò omnes unicum conſtituunt Sacramentum totale ac completum, veluti Caput, manus, pedes, & reliqua membra unicum conſtituunt corpus humanum.

Differentiam inter Sacramenta Novæ & Antiquæ Legis præcipuam in eo quidam ponunt, quòd hæc cauſaverint gratiam ſolùm moraliter, illa verò phyſicè: ſed cùm hoc valdè incertum ſit, imò vix conforme D. Paulo, quatenùs antiqua Sacramenta *ad Galat. 4. Infirma & egena* vocat *Elementa*: ideò meliùs dicuntur differre, quòd Sacramenta Novæ Legis ex virtute Meritorum Chriſti cauſent gratiam ex opere operato: Antiquæ Legis verò, vel ſolùm ex opere operantis, vel ex opere operato quidem (ut circumciſio in parvulis) non tamen activè, ſed ſolùm paſſivè: quatenùs ſcilicet à Deo conferebatur gratia parvulis, non ex virtute ipſius circumciſionis, ſed ex quadam liberalitate intuitu Meritorum Chriſti futurorum, ad poſitionem talis conditionis, prout communiter explicant noſtri Salisburgenſes.

Nota eſt etiam illa inter utriuſque Legis Sacramenta differentia, quam aſſignat Florentinum *in Decret. de Armeniſ.* quòd nimirum antiqua ſolùm fuerint figura novorum, adeóque gratiam per Paſſionem Chriſti dandam ſignificaverint quidem, non autem ex ſe contulerint, ut nova.

Quæritur II.

QUid Sacramentum Euchariſtiæ? Quæ materia? quæ forma illius? Quomodo ſub ſpecie panis Corpus Chriſti & ſub ſpecie vini Sanguis ejuſdem ponatur? Quos effectus, & quid ſpeciale à cæteris Sacramentis habeat?

Digitized by Google

RESOLUTIO.

SAcroſancta Euchariſtia eſt Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini ad ſpiritualem animarum Refectionem divinitùs inſtitutum. Hujus materia remota eſt panis triticeus & vinum de vite: proxima verò ipſum Corpus & Sanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini. Forma conſecrationis panis conſiſtit eſſentialiter in his verbis: *Hoc eſt Corpus meum*; calicis verò: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*; cui æquivalet: *Hic eſt Sanguis meus*; uti habetur definitum in Concil. Later. *C. Firmiter. de SS. Trinit.* Florent. *in decreto Fidei.* Trident. *ſeſſ. 13. c. 1.* Reliqua verba, quæ ſequuntur formam præſertim calicis, etſi ſint de integritate (adeóque non poſſint omitti ſine gravi peccato, uti communis tenet Theologorum) probabiliùs tamen non ſunt de eſſentia conſecrationis. Particulam *enim* omitti poſſe aliquando ſine peccato mortali cenſent plerique: ſi verò de induſtria omittatur, judicat Palao cum aliis eſſe peccatum mortale.

Ponitur autem Corpus & Sanguis Chriſti in Euchariſtia per tranſubſtantiationem, quatenus per vim & efficaciam verborum conſecrationis ex inſtitutione Chriſti fit, ut, deſinente totâ panis & vini ſubſtantiâ, Corpus Chriſti, quod eſt in cælo, mediante replicatione, mirô quidem, verô tamen modô ſine ulla mutatione, aut motu locali eſſe incipiat ſub Speciebus Euchariſticis. Effectus Sacramenti Euchariſtiæ ſunt varij ac præſtantiſſimi, quos D. Thomas *q. 79.* per plures Articulos recenſet: ita ut verè de eodem dici poſſit, quod olim de cæleſti Manna dictum fuit, omnem ſcilicet in illo reperiri ſaporis ſuavitatem.

Primus ac principalis eſt Gratiæ ſanctificantis, & Vitæ ſpiritualis Augmentum, ut habetur in Trid. *ſeſſ. 13. c. 2.* Secundus eſt Virtus præſervandi à peccatis mortalibus, & delen-

delendi venialia, ut loquitur citatum Tridentinum, vocans illud *Antidotum, quô liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervamur:* conformiter illi Joannis 6. *Niſi manducaveritis &c. non habebitis vitam in vobis.* Tertius ſunt Gratiæ actuales. Quartus Dulcedo quædam & Suavitas ſpiritualis (niſi pravîs vel inordinatîs affectibûs impediatur) quâ anima pura in ejus receptione perfunditur, & velut inebriatur, ut habetur Cant. 5. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Quintus Pœnæ temporalis Remiſſio, ut docet Sanctus Doctor cit. *q. 79. a. 5.* Sextus Finalis Perſeverantia juxta illud Joan. 6. *Si quis manducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum.* Septimus Reſurrectio ad Vitam æternam, ut denuò teſtatur S Joan. loc. cit. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet Vitam æternam, & Ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Octavus denique ipſius Gloriæ cæleſtis Adeptio. Undè canit Eccleſia cum D. Thoma: *O ſalutaris Hoſtia! quæ cœli pandis oſtium.*

Enimverò auguſtiſſimum ac ſaluberrimum hoc Sacramentum non tantùm quoad animam, ſed etiam quoad ipſum corpus præſtantiſſimos quosdam habet Effectus: quorum primus eſt Unio quædam ſpecialis Chriſti cum noſtra carne, non quidem hypoſtatica, aut phyſica velut inter materiam & formam: nec tamen etiam merè præſentialis, ſed realis ac moralis, dum quodammodò Chriſtus cum corpore dignè communicantis confunditur, ac contra naturam naturalis cibi, in ſeipſum quodammodò convertit ſuſcipientem, & informat ipſum Spiritu ſuo, ut in Chriſtó vivat Vitâ Chriſti, ſcilicet Amore & Imitatione. Secundus eſt Suppreſſio & Extinctio fomitis concupiſcentiæ. Hinc Zachariæ 9. dicitur Vinum Electorum, germinans Virgines. Tertius eſt, quòd ſpeciali modô adſcribatur

Digitized by Google

batur Eucharistiæ non tantùm Reſurrectio (prout jam dictum) ſed etiam gloria & immortalitas corporum in cælo: cùm enim gloriam animæ conſequatur gloria corporis, idcircò velut dignè communicanti ſpeciali jure debetur gloria animæ, ſic pariter debetur gloria corporis ob Communionem vivificæ Carnis Chriſti. Unde facilè patet, quid ſpeciale hoc Sacramentum habeat præ reliquis, præterquam quòd ipſum in ſe contineat Salutis Auctorem, & ſit permanens, nec conſiſtat merè in uſu, veluti reliqua.

Quæritur III.

QUid ſit: & quæ requiſita eſſentialia habeat Sacramentum Pœnitentiæ, tum ex parte Miniſtri, tum ex parte pœnitentis?

RESOLUTIO.

POEnitentia prout habet rationem Sacramenti, rectè definitur. Quòd ſit Sacramentum novæ Legis, quô contritis & confeſſis cum propoſito firmo ſeſe emendandi peccata poſt baptiſmum commiſſa per legitimam Sacerdotis abſolutionem remittuntur. Ejus tum requiſita, tum conſtitutiva ex parte Miniſtri ſunt, ut is ritè ordinatus, approbatus, nullô cenſuræ vinculô impeditus legitimè proferat ſententiam abſolutionis ſuper perſonam & peccata ſuæ jurisdictioni ſubjecta. Ex parte pœnitentis verò requiritur, ut is aliundè à ſuſceptione hujus Sacramenti non impeditus, præmiſſô debitô examine ritè confiteatur omnia ſua peccata gravia, ſecundùm numerum & ſpeciem, de iiſque doleat ex motivo quodam ſupernaturali, cum firmo propoſito, vel actuali, vel ſaltem virtuali (ſi nimirùm propoſiti actualis non recordetur) emendandi ſe de cætero, injunctámque à Confeſſario pœnitentiam, aliáſque obligationes, v. g. Reſtitutionem perſolvendi.

QUÆ-

Digitized by Google

Quæritur IV.

QUid ſi Confeſſarius per diſtractionem, vel defectum auditûs unum, alterúmve peccatum à pœnitente recenſitum non intellexerit: aut neceſſarias interrogationes omiſerit: anne mortaliter peccabit? &c.

RESOLUTIO.

CErtum imprimìs eſt, ſi Confeſſarius in confuſo ſaltem advertat, pœnitentem non niſi venialia confeſſum eſſe, non multum angi debere, etiamſi per longiorem moram diſtractus, vel aliàs inattentus fuerit, modò unius ſaltem peccati certam notitiam habeat, ne pronunciet formam abſolutionis ſuper materiam dubiam, indeterminatam, vel omninò nullam. Cujus ratio eſt, quòd ex una parte venialia non ſint materia neceſſaria confeſſionis: ex altera verò parte pœnitenti valdè ſit odioſum, & oneroſum, etiam venialia jam ſemel confeſſa de novo repetere.

Certum eſt ſecundò, Confeſſarium in fine confeſſionis non neceſſariò habere debere memoriam diſtinctam peccatorum, in ordine ad pœnitentiam injungendam, modò anteà omnia diſtinctè perceperit: ſed ſufficere notitiam confuſam ſtatûs pœnitentis; quoniam aliàs hoc ipſum Sacramentum nimis foret odioſum ipſi Confeſſario, cui valdè difficile, imò frequenter impoſſibile foret, recordari diſtinctè in fine omnium gravium peccatorum in confeſſione prolixa recenſitorum. Quòd ſi verò ob diſtractionem vel ſomnolentiam ne confuſè quidem ſciat ſtatum pœnitentis, & periculum ſit, ne pœnitens multa forſan & gravia peccata enumeraverit, quæ opus haberent certâ admonitione, inſtructione vel imponenda obligatione, tenebitur, & quidem ſub gravi peccato, per interrogationes diſcretas notitiam ſibi comparare de gravioribus ſaltem ſpeciebus peccatorum, ut pœnitentem poſſit debitè inſtruere,

Digitized by Google

dehortari, onus reſtituendi imponere, ad proximas peccandi occaſiones vitandas obligare. Ratio eſt, quòd aliàs Confeſſarius malè fungeretur officiô Judicis, judicans de cauſa non ſatìs cognita: tum quòd Sacramentum irreverenter tractaret, requirens ex Præcepto divino materialem integritatem confeſſionis. Dixi *diſcretas*: quia ita ſe debet gerere Confeſſarius, ne reddat onus confeſſionis nimìs grave & moleſtum, atque adeò ipſam confeſſionem odioſam; quam ob cauſam ſubinde excuſari poterit ab integritate materiali, nimìs exactè procurandâ, eò quòd Chriſtus Dominus pro hoc ſacro Tribunali Judices conſtituerit homines, & conſequenter etiam humanæ conditioni ac fragilitati voluerit Leges & normam hujus judicij accommodare. Videantur dicta priori p. ad Dub. 11. Bonac. ibid. cit.

Quòd ſi ipſe pœnitens advertat unum vel alterum grave peccatum à Confeſſario non eſſe perceptum, tenetur illud denuò confiteri, ut ritè ab eodem abſolvatur. Sed quid ſi pœnitens neſciat, quodnam determinatè peccatum mortale ex confeſſis non fuerit auditum, vel intellectum? Gobat vult *tr. 7. n. 493.* teneri ſingula mortalia tunc confeſſa denuò confiteri, quia de ſingulis dubium eſt, an ſint legitimè confeſſa & abſoluta. Quod tamen Lugo & Dicaſtillo hìc d. 8. n. 99. & ſeqq. eatenùs limitant, niſi confeſſio mortalium ſit nimìs prolixa, cjùſque repetitio pœnitenti nimìs onεroſa, quo caſu ſufficiet, ſi pœnitens dicat, unum mortale ex ſua confeſſione à Confeſſario non fuiſſe perceptum, ſe tamen neſcire, quale illud ſit.

Quæritur V.

AN & quibûs caſibûs, vel circumſtantiîs teneatur Confeſſarius pœnitentem examinare, monere, adhortari, vel dehortari? Quibus ex peccatis reſtituendi obli-

obligatio naſcatur: an & quando de ea pœnitens monendus? Quando aliæ ſatisfactiones v. g. Veniæ petitio, retractatio, injuriæ remiſſio injungenda? Demùm an aliquando poſſit, vel debeat denegari Abſolutio pœnitenti?

RESOLUTIO.

QUando Confeſſarius pœnitentem examinare teneatur: & quomodo is ſit examinandus, ſatis dictum fuit in priori Parte ad Dubium 4. 5. & 6. Quòd ſi pœnitens attulerit forſan caſum reſervatum, ad quem ſe jurisdictio Confeſſarij non extendit, monendus de eo erit: quid autem ulteriùs cum tali agendum, habetur ibidem in Reſolut. ad Dub. 8. Cæterùm univerſim pœnitens admonendus erit, quando ex ignorantia culpabili verſatur in ſtatu malo ſive peccato, qui culpabiliter in tali ſtatu perſeverans abſolvi nequit, niſi ſaltem firmiter proponat, illum deſerere. Similiter errorem etiam invincibilem, qui eſt cauſa peccatorum formalium, uti quando judicat, eſſe peccatum, ubi nullum eſt, à Confeſſario debet dedoceri. Ita DD. communiter.

Quando verò pœnitens conſtitutus in malo ſtatu ob ignorantiam invincibilem excuſatur à peccato, tunc diſtinguendum eſt. Vel enim Confeſſarius probabiliter ſperat, admonitionem ſuam profuturam, vel non? Si priùs, tenetur eum monere, antequam abſolutionem impertiatur. Si poſteriùs, relinquendus eſt pœnitens in bona fide & abſolvendus, quia in tali caſu nec obligat, nec prodeſt fraterna correctio, juxta effatum S. Auguſtini relatum in *c. Si quis. 2. de Pœnit. diſ. 7.* Si ſcirem tibi non prodeſſe, te non monerem &c. Excipe, niſi ignorantia pœnitentis vergat in damnum commune, quia bonum commune prævalet privato. Item niſi pœnitens poſitivè petat inſtrui circa talem errorem vel ignorantiam à Confeſſario, tunc enim is teneretur aperire rei veritatem.

Adhortatio & dehortatio toties admovenda erit, quoties

Digitized by Google

Confeſſarius tanquam peritus Medicus judicaverit, id ægro ſtatui pœnitentis neceſse eſſe: quod vel maximè locum habet in frequenter recidivis, ubi omnes arietes cordi pœnitentis admovendi, conſilia & remedia optima quæque, quæ aliàs Concionator bonus in dehortando peccatores adhibere ſolet, præſcribenda, ut à peccatis deſiſtant, & ad frugem redeant. Cavenda tamen duo extrema, ut jam ſemel monui: ne ſcilicet per nimiam ſeveritatem pœnitenti Confeſſarius potiùs ſit occaſio ruinæ, & deſperationis, quàm ſalutis: vel per nimiam lenitatem potiùs foveat peccata, quàm minuat, & utrôq; modô magìs obſit, quàm proſit. *Vid. dicta p. Part. Reſolut. ad Dub. 3. & 15.*

Quoad reſtitutionem faciendam, quæ oritur ex peccatis contra juſtitiam, & damnis datis in bonis fortunæ ac honoris, toties monendus & obligandus erit pœnitens, quoties ejuſmodi damnum grave vel leve culpabiliter dedit: nec unquam dimittendus vel abſolvendus, niſi ſeriò promittat, omne damnum grave & mortale ſaltem pro poſſibili reſarcire. Similiter etiam injungendæ ſunt aliæ ſatisfactiones, ſcilicet veniæ petitio, injuriæ retractatio, vel ejuſdem remiſſio, præſertim in materia gravi. Quòd ſi pœnitens reſtituere, inimicò ignoſcere, aut parti graviter læſæ deprecari, item occaſiones proximas peccandi &c. vitare noluerit, ſacramentalis abſolutionis incapax erit, eò quòd careat debitô dolore & ſufficientî propoſitô de vita emendanda. Caveat tamen Confeſſarius, ne ejuſmodi pœnitentem facilè dimittat, ſed potiùs omnem adhibeat conatum, ut eum ritè diſponat ad ſacramentalem abſolutionem percipiendam, ſicque animam ejus lucretur. Recolantur dicta *1. p. ad Dub. 16. & 17.*

Quæritur VI.

QUid & quotuplices ſint Cenſuræ? Quis effectus ſingularum, & quis infligere, ac rurſus ſolvere poſſit?

RE-

RESOLUTIO.

CEnſura eſt pœna ſpiritualis, & medicinalis, ab Eccleſiaſtica Poteſtate inflicta homini delinquenti & contumaci, privans eum uſu quorumdam Bonorum ſpiritualium, donec à contumacia recedat. Alia dicitur lata à Lege, ſive Jure, & de ſe perpetuò durat, quales ſunt, quæ habentur in Corp. Jur. Canon. Alia ab homine, quæ per decretum vel ſententiam infligitur, & hæc in ſcriptis fieri debet cum expreſſione cauſæ juxta *c. Cùm medicinalis. de Sent. excom. in 6.* Cenſura iterum alia eſt latæ ſententiæ, quæ ipſo facto, ſeu criminis perpetratione incurritur. Alia ſententiæ ferendæ, quæ per judicis ſententiam infligitur. Quòd ſi verba ambigua ſint, non latæ ſed ferendæ ſententiæ judicari debet: juxta *Reg. Juris 49. in 6. In pœnis benignior facienda eſt interpretatio.*

Eſt autem Cenſura propriè dicta triplex: Excommunicatio, Suſpenſio & Interdictum. Quidam reducere volunt irregularitatem ex delicto, degradationem & depoſitionem ad Suſpenſionem: & ad Interdictum, ceſſationem à divinis: quæ tamen juxta communem DD. propriæ cenſuræ non ſunt; etſi enim tres priores ſint etiam pœnæ ſpirituales, non ſunt tamen propriè medicinales, ſed potiùs punitivæ, ſeu peccati vindicativæ: nec per abſolutionem tolluntur, ſed per diſpenſationem, ſeu Legis aut Sententiæ relaxationem. Ceſſatio autem à divinis non imponitur ut medicina ad tollendam contumaciam, ſed ad injuriam Eccleſiæ irrogatam depellendam. Irregularitas demùm ex defectu eſt ſolùm impedimentum canonicum.

Excommunicatio, quâ baptizatus privatur aliquâ Communione Eccleſiaſticâ, alia dicitur major, alia minor. Prior privat omni communione fidelium, ſcilicet Sacramentîs, Suffragiîs Eccleſiæ, Communicatione humanâ, ac Sepulturâ Eccleſiaſticâ. Defactò tamen ſolùm vitandi ſunt nominatim

excommunicati & denunciati, atque notorij Clericorum percuſſores: non itē reliqui, qui ſunt tolerati, ut conſtat ex conſtitutione Martini 5. in Concil. Conſtant. Poſterior, quæ hodie in uno ſolùm caſu incurritur, ſcilicet ob cōmunicationem, aut participationem indebitam cum ligato excommunicatione majori, privat communicatione paſſiva Sacramentorum, ita ut illâ ligatus nullum Sacramentum licitè ſuſcipiat. *C. Statuimus. de Sent. excom. in 6.* Quòd ſi in jure nomen excommunicationis ſimpliciter ponitur, ſemper majorem ſubintelligi, utpotè quæ propriè & ſimpliciter excommunicatio dicitur (niſi aliud ex materia & verbis conſtet) communiter advertunt AA.

Suſpenſio eſt Cenſura Eccleſiaſtica privans Clericum vel omni uſu Eccleſiaſtici Miniſterij, vel aliquo. Alia eſt à jure, alia ab homine, alia à jure & homine ſimul. Item alia eſt ab officio tantùm: alia à beneficio tantùm: alia ab officio & beneficio ſimul. Qui eſt ſuſpenſus ab officio, & quidem abſolutè, impeditur ab exercitio omnîs actûs officij illius: ſecùs ſi ſolùm ſit ſuſpenſus ab aliquo officio, ſeu effectu determinato, e. g. excipiendi Confeſſiones, vel legendi Sacrum. Suſpenſus à beneficio impeditur ab adminiſtratione illius, item privatur fructibûs ejuſdem vel in totum, vel pro parte, prout ſonat tenor latæ cenſuræ. Suſpenſus ab utroque impeditur ab omni exercitio Ordinis & Jurisdictionis, privatúrque fructibûs, ut dictum, & hæc eſt pœna valdè gravis.

Depoſitio latè ſumpta eſt remotio alicujus perſonæ à munere aut dignitate ob crimen, ſenium, aut alium defectum: ſtrictè autem loquendo eſt pœna canonica, quâ perſona Eccleſiaſtica in perpetuum privatur omnî Officiô & beneficiô Eccleſiaſticô, retentô ſolô privilegiô Canonis & fori. Crimina depoſitione digna numerant DD. plerique ſequentia: Furtum, homicidium, perjurium, ſtuprum Virginis violentum, adulterium &c. & omnia iîs majora.

Degra-

Degradatio, quæ etiam *à Trid. ſeſſ. 13. c. 4. de Reform.* dicitur Depoſitio realis, ſeu actualis, eſt Pœna, quâ Clericus ab omni Officio & beneficio verbaliter depoſitus privatur ſolemniter veſtibûs, omnîque ſignô clericalî, ac privilegiô Canonis & fori in perpetuum, traditúrque puniendus brachio ſæculari. Quomodo, & à quibus ſententia depoſitionis tam verbalis, quàm realis ferri, & executioni mandari debeat, habetur in SS. Canon. *c. de Pœnis.* Trid. *cit. ſeſſ. 13. c. 4. de Reform.*

Interdictum eſt Cenſura Eccleſiaſtica, quâ homo privatur uſu quorumdam Sacramentorum, vel Officiorum divinorum, aut Eccleſiaſticâ Sepulturâ, quatenùs hæc ſunt quædam participatio rerum ſacrarum: per quas particulas differt ab excommunicatione, quæ dicta prohibet, prout pertinent ad fidelium communionem: item à ſuſpenſione, quæ ea vetat, prout ſunt actus alicujus Ordinis vel Officij. Et eſt triplex: Locale, perſonale, & mixtum. Primum afficit ſolùm locum e. g. templa; Alterum afficit ſolas perſonas, unam vel plures: Tertium afficit perſonam & locum. Quænam Sacramenta tempore interdicti ſive localis, ſive perſonalis adminiſtrare, item quænam Officia divina celebrare liceat, vel non liceat, aliique multi Interdicti effectus videri poſſunt in AA. paſſim de hac materia tractantibus.

Ceſſatio denique à divinis eſt Deſiſtentia ab Officiis divinis, quorumdam Sacramentorum adminiſtratione, & laicorum ſepulturâ in loco ſacro. Hæc ferri ſolet in ſignum graviſſimi mœroris ob enormem injuriam irrogatam Eccleſiæ. Non tamen eſt cenſura propriè dicta, ut jam notatum.

Jam ad ultimum quæſitum in titulo propoſitum. Cenſuras ferre poſſunt Papa reſpectu omnium Chriſtianorum: Patriarchæ, Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Generales, Provinciales, aut alij Superiores juriſdictionem in foro externo & contentioſo habentes reſpectu ſibi ſubditorum: modò præceſſerit

cano-

Digitized by Google

canonica, ſeu trina diſtincta, vel una virtualiter trina admonitio, juxta *c. Reprehenſibilis. de Appellat.* Cæterùm omnes habentes Jurisdictionem ordinariam ferendi cenſuram, eandem etiam aliis delegare poſſunt; quòd ſi cenſura ſit lata, ſive à Jure, ſive ab homine pro vitandis culpis, non requiritur alia monitio particularis: nam ipſa cenſuræ impoſitio, quamdiu durat, continuò ſubditos monet, ne illud crimen committant. Porrò ut quis cenſuras legitimè ferre queat, ſequentes requiruntur Conditiones. 1. Ut ſit viator, baptizatus, mas & Clericus ſaltem primæ tonſuræ. 2. Non ſit excommunicatus, denunciatus, ſuſpenſus. 3. Non ſit interpoſita legitima appellatio. 4. Non ſit lata in propria cauſa, niſi in caſu juſtæ defenſionis. Baſſæ. *verb. cenſ. n. 8.* Bonac. & alij.

Abſolvere à cenſuris poſſunt non ſolùm ij, qui eam tulêre, eorúmque in officio Succeſſores, & à fortiori illorum Superiores, ſed etiam ij, qui ab aliquo prædictorum per delegationem vel privilegium poteſtatem abſolvendi acceperunt: veluti defactò Abbates Congregationis noſtræ per Communicationem privilegiorum obtinuerunt poteſtatem abſolvendi ſuos Subditos regulares ab omnibus fermè cenſuris etiam Summo Pontifici reſervatis. Epiſcopi vì Tridentini *ſeſſ. 24. c. 6. de Reform.* ſibi ſubditos etiam à caſibus Papalibus occultis, ſaltem extra Bullam Cœnæ contentis, & ad forum contentioſum non deductis: item impuberes, mulieres, & eos, qui ob inopiam aut morbum Papam adire nequeunt, abſolvere poſſunt. Ab excommunicatione deniq; minore in foro externo abſolvere poteſt quivis ordinarius Judex Eccleſiaſticus: in foro interno verò & conſciētiæ abſolvere poſſunt omnes, qui habent poteſtatem in mortalia.

Quæritur VII.

Circa Sacramentum Ordinis: Quid illud? Quot Ordines: & quæ ſingulorum Ordinum materia? Quis miniſter hujus Sacramenti ſit? RE-

Digitized by Google

RESOLUTIO.

NOmen Ordinis varias quidem ſortitur ſignificationes : prout tamen Sacramentum novæ Legis denotat , commodè deſcribitur, quòd ſit ſacra quædam Ceremonia ſeu ritus, quâ poteſtas alicujus Eccleſiaſtici miniſterij ſignificatur, & datur, ad ritè ac reverenter Sacramentum Corporis & Sanguinis celebrandum. Quantum ad numerum, & quomodo omnes 7. Ordines unicum Sacramentum completum conſtituant, jam dictum eſt in Reſolut. ad Quæſt. 1.

Hôc ſuppoſitô, bifariam poteſt Quæſtio inſtitui : 1. Scilicet quæ ſit materia & forma Sacramenti Ordinis ſecundùm ſe? 2. Quæ ſit ſpecialis materia & forma cujusque Ordinis in particulari ? Materia remota Sacramenti Ordinis in genere eſt res illa ſenſibilis , quæ ab Epiſcopo traditur ordinando in ſignum poteſtatis ſpiritualis. Proxima eſt illius rei traditio & acceptatio. Forma denique ſunt illa verba ab Epiſcopo prolata , modô imperativô cum expreſſione poteſtatis, quæ confertur. Ita Concilia Carthaginenſe 4. Florent. & Trident.

Materia Ordinationis Oſtiarij eſt Traditio clavium per Epiſcopum facta. Lectoris Traditio codicis, de quo ordinandi legere debent. Exorciſtæ Traditio libri exorciſmorum. Acolyti Traditio urceoli vacui , & ceroferarij cum cereo extincto. Forma Ordinis Oſtiarij eſt hæc : *Sic agite, quaſi DEO reddituri rationem pro iis, quæ his clavibus recluduntur.* Lectoris : *Accipite, & eſtote Verbi DEI relatores*, habituri , ſi fideliter & utiliter adimpleveritis officium veſtrum , partem cum iis , qui Verbum DEI benè adminiſtrârunt ab initio. Exorciſtæ : *Accipite, & commendate memoriæ, & habete poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, ſive baptizatos, ſive catechumenos.* Acolyti denique : *Accipe urceolos ad ſuggerendum vinum & aquam in Euchariſtiam Sanguinis in Nomine Domini.* Habentur hæc omnia tum in Conciliis Cartag.

cit. Can. 6. 7. 8. & 9. Florent. *in Decret. Lug.* tum in Catechiſ. Rom. *p. 2. c. 7.* tum denique in ipſo Pontificali Romano. Ratio à priori eſt voluntas inſtituentis.

Materia Ordinis Subdiaconatûs eſt calix vacuus cum patena vacua ſuppoſita. Forma verò ſunt hæc verba Epiſcopi: *Videte, cujus miniſterium vobis traditur, ideò vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut DEO placere poſſitis.* Ita denuò Concil. Carthag. & Florent. Diſputant tamen hîc DD. annon præter traditionem calicis & patenæ ſit etiam materia partialis Ordinis Subdiaconatûs ipſa traditio Libri Epiſtolarum? Mihi cum P. Paulo Mezger & multis aliis probabiliùs videtur, quòd non. Ratio potiſſima eſt, quòd nec Concilium Carthag. nec Florent. ullam mentionem faciant de traditione Libri Epiſtolarum: cùm tamen omnium aliorum, quæ ad eſſentiam alicujus Sacramenti pertinent, diligenter & expreſsè recordentur. Neque obſtat, quòd ejuſmodi traditio in collatione Subdiaconatûs ſemper adhiberi ſoleat: multa enim de præcepto Eccleſiæ adhibentur, non tamen hoc ipſo ſunt de eſſentia. Quibûs non obſtantibûs multorum non improbabilis eſt ſententia, traditionem Libri Epiſtolarum eſſe materiam partialem Subdiaconatûs.

Materia & Forma Diaconatûs probabiliùs datur duplex partialis. Prior partialis materia eſt manuum impoſitio Epiſcopi, quæ fit ſuper caput Ordinandi cum hac verborum forma: *Accipe Spiritum Sanctum, ac robur ad reſiſtendum diabolo & tentationibus ejus in Nomine Domini.* Poſterior partialis materia eſt traditio Libri Evangeliorum ſub hac forma: *Accipe poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia DEI tam pro vivis, quàm pro mortuis.* Ita Flor. in Decret. Unio. Ratio autem, cur in Diaconatu præter traditionem Libri Evangeliorum etiam impoſitionem manuum, tanquam materiam partialem requiramus, eſt, tum quia in primitiva Eccleſia Diaconi ordinaban-

tur

tur per ſolam manuum impoſitionem, dum ſcilicet Liber Evangeliorum nondum erat conſcriptus: tum quia Concilium Carthaginenſe ſolius impoſitionis manuum meminit &c. Neque tenet paritas, ſi dicatur: In Ordine Subdiaconatûs traditio Libri Epiſtolarum non eſt de eſſentia: ergò nec traditio Libri Evangeliorum erit de eſſentia Ordinis Diaconatûs. Poſterioris enim traditionis expreſſa fit mentio in Conciliis, præſertim Florentino: non item prioris.

Materia & Forma Ordinis Presbyteratûs denuò eſt duplex partialis. Prior eſt traditio calicis cum vino, & patena cum hoſtia ſuperpoſita. Forma correſpondens eſt hæc: *Accipe poteſtatem offerre Sacrificium DEO, Miſſásque celebrare tam pro vivis, quàm pro mortuis in Nomine Domini.* Altera materia partialis eſt manuum impoſitio Epiſcopi. Forma: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta ſunt.* Ita Concil. Carthag., Florent. & Trid. *ſeſſ. 23. c. 3.* Ratio utriusque eſt, quòd ad completam eſſentiam, ſive ſubſtantiam Sacerdotij non ſolùm pertineat poteſtas conſecrandi, ſive poteſtas in Corpus Chriſti verum: ſed etiam poteſtas abſolvendi, ſive poteſtas in Corpus Chriſti myſticum: atque hæc poſterior poteſtas non confertur per primam ordinationem, ſive per traditionem calicis & patenæ: ſicut nec econtrà poteſtas conſecrandi per impoſitionem manuum, ut patet ex materia & forma illarum, quæ plus non cauſant, quàm ſignificant: ergò ſicut traditio calicis cum patena & pane eſt materia eſſentialis reſpectu poteſtatis conſecrandi, ita impoſitio manuum eſt materia eſſentialis reſpectu poteſtatis abſolvendi.

Cæterùm ad ſolvendas multas difficultates circa hanc materiam occurrentes benè obſervandum eſt, Chriſtum Dominum non determinâſſe in individuo & ſpecie infima materias & formas omnium Sacramentorum, ſed quorumdam, & præ-

Digitized by Google

ſertim Ordinum, tantùm in genere, Eccleſiæque determinationem in particulari reliquiſſe, ut patet vel maximè ex ritu Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ: Græci enim conferunt Ordines abſque omni traditione inſtrumentorum per ſolam manûs dexteræ impoſitionem, cum quadam forma omninò diverſa à forma Eccleſiæ Latinæ: quod evidens ſignum eſt, Chriſtum non determinâſſe materiam & formam Ordinum in particulari, ſed ſolùm in genere, determinando nimirùm, ut conferrentur per ſigna ſenſibilia & verba, quæ ſignificarent collationem poteſtatis: de reliquo reliquiſſe Eccleſiæ magìs ſpecificam, & quaſi materialem determinationem ſignorum & verborum.

Quantum ad miniſtrum hujus Sacramenti. ℟. Solum Epiſcopum eſſe ejuſdem miniſtrum ordinarium. Eſt de fide, & habetur in Conciliis Florentino & Tridentino *ſeſſ. 23. c. 4. & Can. 7.* Ratio à priori peti debet ex Voluntate Chriſti, qui noluit alium eſſe miniſtrum ordinarium hujus Sacramenti, quàm Epiſcopum: conſtat nobis autem hæc Voluntas tum ex teſtimoniis PP., quos fusè allegat Bellarm. *c. 11. de Ord.* tum ex perpetua traditione Eccleſiæ, quæ non niſi per Epiſcopos Ordines conferre ſolet. Ratio congruentiæ eſt, quòd ſolus Epiſcopus ſit Princeps Reipublicæ Chriſtianæ, adeóque ad illum ſpectet, Dignitates & Miniſteria Eccleſiaſtica diſtribuere, ut benè obſervat Sanctus Thomas *Supple. q. 38. a. 1.* Poteſt autem quivis Epiſcopus etiam hæreticus, degradatus, excommunicatus, ſuſpenſus (cæteris paribus) validè conferre Sacramentum Ordinis. Ita denuò D. Thomas *diſt. 25. q. 1. a. 2.* Ratio eſt, quòd poteſtas ordinandi fundetur in charactere indelebili: ſicut ergò quivis Sacerdos quantumvis malitioſus &c. validè ſemper poteſt conſecrare, ita & quivis Epiſcopus, ſemel legitimè ordinatus, ſemper validè ordinare.

Extraordinarius Miniſter hujus Sacramenti ex commiſſione Summi Pontificis quoad aliquos Ordines poteſt eſſe ſimplex

plex Sacerdos. Conſtat hoc ex quotidiana praxi Eccleſiæ, quòd Abbates Regulares ſuis Religioſis Fratribus primam tonſuram, & quatuor minores conferant, ut habetur in Tridentino *ſeſſ. 23. c. 10. de Reform.*

Major eſt quæſtio, an etiam Ordines majores conferri poſſint à Sacerdote non Epiſcopo? Et quoad Presbyteratum quidem probabiliſſimum eſt, eundem conferri non poſſe, niſi ab Epiſcopo, eò quòd non tantùm nihil extet de tali privilegio actu & defactò conceſſo, ſed neque legatur unquam hoc in Eccleſia factum aut conceſſum fuiſſe, ut adeò magnum habeatur fundamentum dicendi hanc poteſtatem in Eccleſia non reſidere.

Quoad Diaconatum & Subdiaconatum denique ſunt quidem etiam, qui volunt, eos conferri non poſſe niſi ab Epiſcopo, neque ſummum Pontificem in hoc diſpenſare, vel privilegium aliquod concedere poſſe. Horum tamen ſententiæ derogat privilegium conceſſum ab Innocentio VIII. ann. 1489. Abbati Ciſtertienſi, & aliis quatuor primis Abbatibus ejuſdem Ordinis, ut poſſet prior omnes Ordinis ſui Monachos, reliqui verò tantùm ſibi ſubditos ad dictos Ordines promovere; quod privilegium, ſi verum eſt, omninò probat partem affirmativam, ne Summus Pontifex in re tanti momenti erràſſe dicatur.

Quæritur VIII.

DE Matrimonio, quid ſit? quæ Forma & Materia? quis miniſter hujus Sacramenti?

RESOLUTIO.

MAtrimonium definit Pontifex in *c. Illud. 11. §. Verum. de Præſumpt.* quòd ſit Maris & Fœminæ Conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem retinens. Clariùs tamen illud deſcribes dicendo: Eſſe contractum legitimum, quo vir & fœmi-

Digitized by Google

fœmina de jure habiles, mutuam ſibi invicem corporum poteſtatem in ordine ad prolis generationem per ſigna exteriùs expreſſa liberè & indiſſolubili nexu tradunt, & acceptant. Ubi omnia matrimonium ingredientia comprehenduntur.

Eſt autem triplex Matrimonium, legitimum, ratum, & conſummatum. Legitimum dicitur, quod legitimo conſenſu inter perſonas non impeditas contrahitur, quale olim erat ante Chriſti Adventum, & etiamnum inter Ethnicos & infideles eſſe ſolet. Ratum includit in ſe legitimum, & addit inſuper rationem Sacramenti propter inſtitutionem Chriſti. Conſummatum denique eſt, quod reali corporis uſu ſeu legitimâ copulâ perficitur, & completur.

Materia remota Sacramenti Matrimonij ſunt corpora contrahentium. Proxima eſt eorundem corporum traditio verbîs ſeu nutibûs conſenſum interiorem exprimentibûs facta. Forma denique eſt mutua illorum corporum acceptatio à contrahentibus facta, ut cum communi docet D. Thomas.

Miniſter hujus Sacramenti ſunt ipſi contrahentes, quia is cenſetur miniſter Sacramenti, qui introducit formam materiæ: hoc autem faciunt in matrimonio ipſi contrahentes, acceptando invicem traditionem corporum: ergò &c. Unde Parochus aut alius Sacerdos, ejus nomine aſſiſtens matrimonio, non eſt miniſter ſed ſolùm teſtis principalis, neque profert verba per modum formæ hujus Sacramenti, ſed ſolùm ex Eccleſiæ inſtituto ad conſenſum mutuum comprobandum.

Quæritur IX.

QUid interſit inter Sponſalia de futuro, & Sponſalia de præſenti: Matrimonium ratum & conſummatum?

RE-

RESOLUTIO.

SPonſalia de futuro & propriè dicta, ſunt futuri Matrimonij mutua & libera promiſſio, ſignô externô manifeſtata, inter perſonas determinatas de jure habiles. Horum effectus præcipuè ſunt duo, ſcilicet obligatio ad contrahendum matrimonium, & impedimentum publicæ honeſtatis, de quo ſpecialiter infrà. Differentia inter ſponſalia de futuro & præſenti eſt. Quòd priora antecedant matrimonium ratum, & ſint ipſius matrimonij futuri promiſſio: poſteriora verò ſint ipſum matrimonium ratum, ſed nondum conſummatum. Ita communis DD.

Differentia inter matrimonium ratum & conſummatum eſt, quòd prius ſit quidem actualis traditio & acceptatio corporum, nondum tamen per ipſum uſum conjugalem, ſeu copulam carnalem completa: poſterius verò omni ex parte ſit completum. Præterea differunt notabiliter, quòd matrimonium ratum poſſit diſſolvi, vel per ingreſſum in Religionem, ut habetur definitum in Trident. *ſeſſ. 24. c. 6.* vel per diſpenſationem Pontificiam graviſſima ex cauſa, non item matrimonium conſummatum. Cujus ratio dari ſolet, quòd hoc ſignificet conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, quæ eſt omninò inſolubilis: prius verò ſolùm conjunctionem Chriſti cum anima per gratiam, quæ conjunctio eſt ſolubilis, & ſolvitur per quodvis peccatum mortale.

Quæritur X.

QUæ Solemnitates ad Sponſalia de futuro hodie requirantur, v. g. an Præſentia Parochi, Teſtium? An denunciatio trina & quomodo præcedere debeat Matrimonij contractum? an omiſſâ eâ Matrimonium ſit nullum? an diſpenſari poſſit circa denunciationes, & à quo?

RE-

RESOLUTIO.

SPonſalia alia ſunt publica, alia privata. Publica coram teſtibus, privata nemine præſente fiunt. Quamvìs autem in foro conſcientiæ utraque eandem vim & effectum habeant, publicis tamen hoc ſingulare eſt, quòd cautiùs & ſanctiùs ſoleant iniri, atque in foro externo propter teſtes habeant publicam juris aſſiſtentiam. Solemnitas pro Sponſalibus à Tridentino nulla eſt præſcripta, unde ea ſolùm dependet à peculiaribus Diœceſium ſtatutis.

In Rituali Friſingenſi (quod mihi ad manum erat, dum hæc ſcripſeram) *c. 9. memb. 2. art. 1. §. 4.* hæc habentur: *Etſi in ſponſalibus de futuro contrahendis Parochi aut alterius Sacerdotis præſentia non ſit neceſſaria, & prudenter quandoque omitti queat, poterit is tamen, ſed non niſi vocatus illis intereſſe. Verùm non aliter, quàm ad geſtorum probationem ut teſtis, vel pro dando conſilio ut privatus; adeoque ſine ſuperpelliceo & ſtolâ, ac ſine ullis particularibus Eccleſiaſticis ceremoniis &c.* Similia fermè etiam habet Ratisbonenſe & alia. Contrahentes tamen ſponſalia abſente Parocho tenentur id eidem maturè inſinuare, tum ob denunciationes faciendas, tum ut ſponſi ritè inſtruantur in ordine ad hoc Sacramentum dignè & fructuoſè ſuſcipiendum.

De his denunciationibus ſic habet Trid. *c. 1. de Reform. S. Synodus præcipit, ut impoſterùm, antequàm matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribûs continuìs feſtivìs in Eccleſia inter Miſſarum Solemnia publicè denuncietur, inter quos Matrimonium ſit contrahendum.* Ut nimirùm habitâ inter plures notitiâ citiùs deveniri poſſit in notitiam impedimenti, ſi quod forſan inter contrahentes intercedat. Sunt autem denunciationes hæ ſolemnitates Matrimonio ſolùm accidentales à Tridentino per modum alicujus extrinſeci adjectæ contractui: undè earum omiſſio

non

Digitized by Google

non reddet matrimonium (cæteris paribus) invalidum. Graviter tamen haud dubiè peccarent tam contrahentes, quàm Parochus, ſi eorum culpâ ſine cauſa gravi & diſpenſatione dictæ denunciationes contra præceptum Tridentini omitterentur : quamvis Sanchez velit eum non peccare mortaliter, qui unam duntaxat omittit, ſi aliàs (ut benè notat *Bonac. hìc q. 2. p. 6.*) moraliter certus ſit, nullum ſubeſſe impedimentum. Quòd ſi rationabilis cauſa, notabilis utilitas, vel grave aliquod damnum in denunciationibus faciendis exigant diſpenſationem : e. g. ſi matrimonium timeatur à conſanguineis, vel aliis malitioſè impediendum : ſi propterea immineat periculum infamiæ toti familiæ : ſi quis in articulo mortis velit concubinam ducere ad legitimandam prolem &c. diſpenſare poterit Epiſcopus, vel ex ejus commiſſione Vicarius Generalis, ut dictæ denunciationes vel omninò omittantur, vel abbrevientur.

Quæritur XI.

QUid interſit inter Impedimenta Matrimonij dirimentia & impedientia? Quot ſint impedimenta dirimentia & impedientia, & quænam illa?

RESOLUTIO.

IMpedimenta Matrimonij dirimentia reddunt matrimonium contrahendum omninò nullum : impedientia verò reddunt contractum matrimonialem illicitum quidem, non tamen invalidum ; ut adeò ſat notabile diſcrimen inter utraque interſit, quatenùs nimirùm contrahens ſcienter cum impedimento dirimente non tantùm illicitè agat, & graviter peccet, ſed etiam ipſe contractus matrimonialis ſit nullus. Contrahens verò cum impedimento ſolùm impediente, etiam quidem illicitè agat, & graviter peccet

contra prohibitionem Eccleſiæ, ipſe tamen contractus matrimonialis ſit validus, & ſubſiſtat.

Impedimenta impedientia, quæ hodie in uſu & vigore ſunt, numerantur quatuor hoc verſu comprehenſa:

Tempus ſacratum, vetitum, ſponſalia, votum.

Per tempus ſacratum ſeu feriatum intelligitur tempus Adventûs uſque ad Epiphaniam Domini incluſivè. Item tempus Quadrageſimæ currens à feria 4. Cinerum uſque ad Octavam Paſchæ incluſivè: quo tempore prohibitæ ſunt publicatio, benedictio, & feſtivæ ſolemnitates Nuptiarum.

Vetitum ſeu interdictum eſt, quô ab Eccleſia, ſcilicet Epiſcopo vel alio poteſtatem habente aliquibus, vel uni ſoli ex cauſa (v. g. ad examinandum, an ſint habiles?) pro certo tempore, vel in perpetuum inhibentur nuptiæ.

Per ſponſalia intelligitur promiſſio futurarum nuptiarum alicui facta, quæ impedit, ne quis cum alia contrahere poſſit, uſque dum priora ſponſalia legitimè ſint diſſoluta.

Nomine Voti intelligitur Votum ſimplex Caſtitatis in ſæculo emiſſum: item Votum ingrediendi Religionem, ſuſcipiendi SS. Ordines, Votum non nubendi &c. hæc enim vota reddunt matrimonium illicitum, quia obligant ad ſui executionem. His adde peccatum mortale & excommunicationem, quibus innodatus etiam licitè non poteſt inire matrimonium.

Impedimenta dirimentia communiter à Theologis numerantur 14. memoriæ juvandæ causâ hîs verſibûs comprehenſa:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultûs Diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas.
Si ſis affinis, ſi conſumare nequibis;
Si Parochi, & duplicis deſit præſentia teſtîs,
Raptáve ſit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc ineunda vetant connubia: facta retractant.

Primum impedimentum eſt Error, ſcilicet ſubſtantialis circa per-

perſonam ipſam, vel etiam circa qualitatem perſonæ, ſi ſub tali conditione conſenſus præcisè eſt poſitus. Alterum eſt Conditio ſervilis, dum nimirùm liber contrahit cum ſerva, quam putat eſſe liberam. Tertium eſt Votum ſolemne Caſtitatis in aliqua probata Religione emiſſum: item Votum perpetuæ Caſtitatis ſacris Ordinibus annexum: quibus addi poſſunt Vota ſimplicia Scholaſticorum & Coadjutorum S. J. cùm juxta Bullam Gregorij XIII. *Aſcendente Domino.* verè ac propriè Religioſos conſtituant &c. Quartum eſt Cognatio vel naturalis, vel ſpiritualis, vel legalis: ſed de his infrà ſpecialiter. Quintum eſt impedimentum criminis, ſcilicet Homicidium vel Adulterium ſub certis conditionibus, de quibus pariter infrà. Sextum eſt Cultûs Diſparitas, dum nempè baptizatus init matrimonium cum non baptizata, aut viciſſim. Septimum eſt Vis, dum quis vî aut gravi metu cadente in virum conſtantem compulſus contrahit. Octavum eſt Ordo, ſacer ſcilicet, ſive major, cui annexum eſt Votum ſolemne Caſtitatis. Nonum eſt Ligamen, quod conſurgit ex matrimonio jam legitimè contracto. Decimum eſt Publica Honeſtas, de qua infrà; velut etiam de Affinitate, quæ eſt undecimum impedimentum. Duodecimum eſt Impotentia ſeu Inhabilitas perpetua ad conſumandum matrimonium orta ante matrimonium contractum. Decimum tertium eſt Clamdeſtinitas, ſeu Defectus præſentiæ Parochi & duorum teſtium in locis, ubi Trident. eſt receptum. Decimum quartum denique eſt Raptus, ſeu violenta Abductio mulieris renitentis, de quo pariter infrà.

Quæritur XII.

AN Error in perſona, in qualitate perſonæ &c. dirimat ſponſalia de præſenti, vel de futuro?

Digitized by Google

RESOLUTIO.

ERror circa ipſam perſonam ſeu ſubſtantialis contingit, quando una perſona ſupponitur pro alia, e. g. Lia pro Rachaele: & hic reddit matrimonium invalidum, ut deciditur *c. Tua nos. de Sponſ.* eò quòd in tali caſu deſit conſenſus contrahentis: ſecùs ſi error tantùm ſit circa qualitatem, aut fortunam e. g. Nobilitatem, divitias, pulchritudinem &c. quia ejuſmodi errores ſunt tantùm accidentales, nec proinde impediunt, quin adhuc abſolutè ſubſiſtat conſenſus in ſubſtantiam perſonæ; niſi forſan conſenſus præciſè & unicè fuiſſet poſitus ſub illis conditionibus, ſi dives, ſi nobilis &c. ſit: nam tunc deficiente conditione deficeret quoque conſenſus ſub illa poſitus. Sanchez *d. 18. n. 26.* & alij.

Similiter loquendum de errore circa ſponſalia de futuro: nam ſi is ſubſtantialis ſeu circa ipſam perſonam eſt, pariter irritat contractum ob defectum conſenſûs, ſecùs ſi ſolùm ſit circa qualitatem. Quòd ſi tamen ejuſmodi error circa qualitates merè accidentales cauſa fuiſſet contractûs ſponſalitij, ita ut illo abſente contractus non fuiſſet initus, poterunt ſponſalia reſcindi pro arbitrio judicis in favorem decepti, qui injuriam paſſus cenſetur.

Quæritur XIII.

AN ſub conditione contrahi poſſit tam Matrimonium, quàm Sponſalia de futuro: & an deficiente conditione contractus ſit nullus? Denique quæ conditiones irritent matrimonium?

RESOLUTIO.

NOn tantùm Sponſalia, ſed etiam Matrimonium contrahi poſſe ſub certis conditionibus, indubitati juris

eſt,

eſt, ita tamen, ut ejuſmodi contractus pendente conditione maneant ſuſpenſi, donec conditio purificetur, ſeu impleatur. Quòd ſi deficiat conditio, etiam contractus erit nullus. Debent autem ejuſmodi conditiones eſſe de futuro, contingentes, poſſibiles, & non turpes. De futuro quidem, quia conditiones de præſenti, vel præterito, propriè non faciunt contractum conditionatum, ſeu ſuſpenſum, ſed vel omninò abſolutum, ſi conditio ſubſit: vel omninò nullum, ſi conditio non ſubſit, ut patet, ſi dicas: Ducam te, vel duco te in uxorem, ſi pater tuus jam de præſenti conſentit, vel ſi herì conſenſit.

Contingentes autem debent eſſe, quia conditiones neceſſariæ (qualis eſt: Duco te, ſi cras ſol oriatur) perinde ſe habent, acſi non eſſent appoſitæ, eò quòd ejuſmodi conditiones ratione neceſſitatis naturalis jam cenſeantur adimpletæ, ſaltem ad pariendam præſentem obligationem.

Poſſibiles debent eſſe, quia conditiones impoſſibiles e. g. Duco te, ſi cælum digitô tetigeris, ſi nunquam reſpiraveris &c. de jure in favorem matrimonij habentur pro non adjectis, adeóque non obſtant contractui matrimoniali, ſed perinde ſe habent, acſi contractus eſſet purus & abſolutus, ut decidit Pontifex in *c. fin. hoc tit.* Aliter probabiliùs loquendum de ſponſalibus, utpote in quibus nullibi Jura ſtatuunt, conditiones impoſſibiles (idem dic de conditionibus turpibus) eſſe habendas pro non adjectis, & conſequenter ſponſalia ſub conditione impoſſibili contracta probabiliùs erunt nulla, cùm taliter contrahens potiùs ludere, quàm ſeriò agere cenſeatur.

Turpes denique non debent eſſe, quia etiam hæ in favorem matrimonij habentur pro non adjectis; niſi ſint contra ſubſtantiam matrimonij: quales ſunt primò, quæ ſunt contra Bonum Sacramenti, individuam vitæ ſocietatem

exigentis. Secundò contra bonum prolis, e. g. Contraho tecum, ſi generationem prolis impedîeris. Tertiò contra bonum fidei conjugalis, ut: Contraho tecum, ſi te ab alio adulterandam præbueris. Ejuſmodi conditiones enim contractum omninò invalidum, ac nullum facere certum eſt ex relato Cap. fin.

Quæritur XIV.

AN Votum ſimplex aut ſolemne Caſtitatis dirimant, vel impediant matrimonium? Et quid de Sponſalibus de futuro?

RESOLUTIO.

VOtum ſolemne Caſtitatis ſive in Religioſa Profeſſione, ſive in ſuſceptione Sacrorum Ordinum emiſſum, eſſe impedimentum dirimens matrimonij, jam conſtat ex dictis. Votum ſimplex Caſtitatis in ſæculo emiſſum: item votum ingrediendi Religionem, ſuſcipiendi Sacros Ordines, vel non nubendi &c. impedire quidem, & illicitum reddere contractum matrimonij, non autem invalidum facere, pariter dictum eſt in Reſolutione ad 11. de Impedimentis impedientibus. Hoc unicè addendum, quòd talî votô obſtrictus, contrahens matrimonium privetur jure petendi debitum, donec obtineat diſpenſationem. Laymannus de Matri. *lib. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 9.* DD. communiter. Sed quid de Sponſalibus?

Certum imprimìs eſt, ſponſalia non contrahi poſſe ab eo, qui voto etiam ſimplici (perpetuo tamen) Caſtitatis, vel Religionis jam obſtrictus eſt. Cùm enim per votum DEO jam priùs ſit jus quæſitum, non poteſt vivens illud propria authoritate tollere, contrariam obligationem cum altero contrahendo, & ſtatum cum voto incompoſſibilem eligen-

eligendo, ſed oportebit priùs petere, & impetrare diſpenſationem. Poſt contracta autem ſponſalia certum iterum eſt, licitum eſſe ſponſo & ſponſæ vovere Religionem, id eſt vel Ingreſſum, vel etiam ſacram Profeſſionem: nam cùm non tantùm poſt ſponſalia, ſed etiam poſt matrimonium ratum licitum ſit per 2. menſes ingredi Religionem, ut habetur *tit. de Converſ. Conjug.* etiam ſemper licitum erit ejuſmodi ingreſſum vovere; qui favor tamen cùm Sacræ Religioni ſolùm ſit conceſſus, ideò probabiliùs poſt contracta ſponſalia non ampliùs licet ſponſo emittere votum ſuſcipiendi Sacros Ordines, vel perpetuam continentiam ſervandi, eò quòd talia vota cadant in præjudicium ſponſæ, adeóque Deo non ſint accepta. Abb. *in c. Veniens. n. 3.* Sylveſt. *Verb. ſponſal. q. 7.* Navar. *cap. 22. n. 27.* Laym. *loc. cit. n. 6.* & alij.

Cæterùm per votum profitendi in ſacra Religione diſſolvuntur quidem ſponſalia ex parte utriuſque. Per votum autem ingrediendi ſolùm eam, vel ſuſcipiendi ſacros Ordines, probabiliùs ſolùm ſolvuntur ex parte ſponſæ ob notabilem mutationem, non autem ex parte ſponſi, ſeu voventis, qui proinde manebit obligatus, ita ut egreſſus è Novitiatu, vel ad S. Ordines non admiſſus teneatur ſuîs promiſsîs ſtare, ac ſponſam ducere: niſi illa ultrò velit obligationem remittere, vel ad alia ſponſalia jam tranſîerit. Laym. *loc. cit. n. 3.*

Quæritur XV.

QUid Cognatio ſpiritualis, Legalis, & carnalis, ſeu naturalis? & ad quotum uſque Gradum dirimant matrimonia? Quomodo numerentur Gradus Cognationis naturalis, tum in linea recta aſcendente, & deſcendente, tum in collaterali, æquali, vel inæquali?

RE-

RESOLUTIO.

TRiplex à Doctoribus Cognatio diſtinguitur: Naturalis, Spiritualis & Legalis. Cognatio naturalis, quæ etiam Conſanguinitas vocatur, definitur à D. Thoma in *4. diſt. 40. q. unic. a. 1.* quòd ſit Vinculum perſonarum, quæ ab eodem proximo ſtipite ſeu capite per carnalem propagationem deſcendunt. Solent autem in conſanguinitate conſiderari Lineæ & Gradus. Nomine Lineæ intelligitur Series ſeu Ordo perſonarum conſanguinitatem inter ſe habentium: ſive linea illa ſit recta, qualis reperitur inter aſcendentes & deſcendentes: ſive ſit transverſa ſeu collateralis, qualis eſt inter perſonas, quæ, quamvis ab eodem ſtipite procedant, à ſe tamen invicem non deſcendunt. Nomine verò Gradûs exprimitur Diſtantia major vel minor unius perſonæ ab altera ſecundùm lineam conſanguinitatis. Porrò ad diſtantiam illam dignoſcendam, & computandos conſanguinitatis gradus tres Regulæ à D. Thoma *loc. cit. a. 2.* & communiter Theologis aſſignantur.

Prima Regula hæc eſt: In linea recta aſcendentium & deſcendentium tot numerantur gradus, quot perſonæ unâ demptâ. Unde pater & filius in primo conſanguinitatis gradu conjuncti ſunt, avus & nepos in ſecundo, & ſic de aliis.

Secunda Regula eſt, in linea collaterali, quot gradibus perſonæ diſtant à communi ſtipite, totidem etiam diſtant inter ſe. Quare cùm frater & ſoror uno tantùm gradu diſtent à patre, uno quoque gradu diſtant inter ſe: patrueles verò duobûs gradibûs, & ſic de aliis.

Tertia Regula eſt, ſi conſanguinei à communi ſtipite inæqualiter diſtent, tunc quot gradibûs diſtat remotior à communi ſtipite, tot etiam gradibûs diſtant inter ſe: & ſic Patruus eſt conjunctus in ſecundo gradu conſanguinitatis

cum

Digitized by Google

cum liberis fratris ſui, quia liberi illi duobûs gradibûs à communi ſtipite diſtant.

Quamvìs autem jure antiquo impedimentum cognationis naturalis extenderetur uſque ad ſeptimum gradum *can. Ad ſedem. 35. q. 5.* hodie tamen, uti habetur in *c. Non debet. de Conſanguin. & Affin.* non niſi ad quartum gradum incluſivè extenditur, tam in linea recta, quàm collaterali Jure Eccleſiaſtico. Controverſia tamen eſt inter Doctores, quouſque conſanguinitas dirimat matrimonium Jure naturæ in linea recta? & non deſunt, qui exiſtimant, ex *L. Nuptiæ. ff. de Ritu Nuptiarum.* extendere ſe in infinitum, ita ut, ſi hodie Adamus reſurgeret, nullam in univerſo orbe uxorem ducere poſſet, eò quòd omnes per lineam rectam ab ipſo deſcendant. Probabiliùs tamen videtur, quod cum S. Thoma docet Sanchez *l. 7. d. 51. n. 20.* Bonac. & aliis: conſanguinitatem in primo tantùm gradu eſſe impedimentum dirimens de jure naturæ, ſcilicet inter patrem & filiam, & inter matrem & filium: in reliquis verò gradibus ſolùm de Jure poſitivo Eccleſiaſtico.

Cognatio ſpiritualis eſt propinquitas ſecundùm Juris Eccleſiaſtici diſpoſitionem, orta ex adminiſtratione vel ſuſceptione Sacramentorum, Baptiſmi, & Confirmationis, inter ſuſceptores & baptizatum, illiúſque patrem & matrem: nec non inter baptizantem & baptizatum, illiúſque patrem & matrem: uti conſtitutum eſt in Con. Trid. *Seſſ. 24. cap. 2. de Reform. matri.* Excipitur tamen caſus neceſſitatis, in quo maritus conjugis ſuæ prolem baptizans nullam contrahit cognationem. Arg. *c. Ad limina. 30. q. 1.*

Cognatio denique legalis eſt propinquitas perſonarum ex adoptione proveniens. Adoptio verò eſt extraneæ perſonæ in filium aut filiam legitima aſſumptio; & hæc contrahitur primò inter ipſum adoptantem & adoptatum, ado-

Digitized by Google

ptatíque deſcendentes in ejus poteſtate exiſtentes. Secundò inter uxorem adoptantis, & adoptatum. Tertiò inter filios & nepotes legitimos adoptantis, & adoptatum. Uti conſtat ex *c. Per Adoptionem. q. 3. & c. unic. De Cognat. leg.* Laym. *hic n. 3.*

Quæritur XVI.

AN uxoricidium, adulterium &c. aut quæ demùm crimina non tantùm impediant, ſed etiam irritum & nullum faciant ſubſequens matrimonium?

RESOLUTIO.

PRæter impedimenta matrimonium impedientia priùs jam enumerata antiquo Jure etiam ſtatutum fuit aliquod impedimentum criminis impediens, ſeu prohibens matrimonium, quod plura ac diverſa involvebat crimina ſequentibûs verſibûs indicata:

Incæſtus, raptus ſponſatæ, mors mulieris,
Suſceptus propriæ ſobolis, mors presbyteralis.
Vel ſi pœniteat ſolemniter, aut monialem
Accipiat. Prohibent hæc conjugium ſociandum.

Verùm hæc impedimenta impedientia criminis ab Eccleſia olim introducta per conſuetudinem contrariam ſublata eſſe communiter docent AA. adeóque iis innodati non peccant, etſi matrimonium ineant ſine diſpenſatione.

Inter impedimenta autem dirimentia quintum numeratur Crimen, quod duplex eſt, homicidium & adulterium cum certis qualitatibus, ſeu conditionibus. Nam ut homicidium dirimat matrimonium, requiritur 1. Ut occidatur conjux, ſive vir, ſive fœmina. 2. Ut ij, qui poſt mortem conjugis ſimul nubere volunt, in eam necem ſimul conſpiraverint: niſi homicidium conjunctum ſit cum adulterio,

rio, tunc enim ſufficit unius conſpiratio. 3. Ut conjugem occiderint eo animo, ut inter ſe matrimonium contraherent. Adulterium pariter requirit quasdam conditiones, nimirùm vel ut adulterans promittat adulteræ, quòd velit eam poſt mortem ſuæ conjugis ducere, & hæc promiſſionem per ſignum aliquod externum, ut vult P. Engl in ſuo man. hîc *n. 9.*, ab illo acceptet: vel ut vivente adhuc conjuge per verba de præſenti adulterantes matrimonium contrahant. *C. Significáſti. c. Veniens. de eo, qui duxit, quam polluit per adult.*

Quæritur XVII.

AN inter diverſæ Religionis conjuges ſit, & indiſſolubile ſit matrimonium v. g. inter virum Turcam, & fœminam Chriſtianam: inter Lutheranum & Catholicam?

RESOLUTIO.

MAtrimonium hominis baptizati cum non baptizato, etiam Catechumeno Eccleſiaſtico Jure irritum eſt ob periculum perverſionis, ex *c. Judæi. 28. q. 1.* conformiter D. Paulo *2. ad Cor. 6. Nolite jugum ducere cum infidelibus.* Matrimonium hominis Catholici cum Hæretico validum quidem, ſed plerumque ſub mortali illicitum eſt: niſi Hæreticus promittat, ſe poſt nuptias Fidem Catholicam ſuſcepturum, & cauſa poſtulet, cur nuptiæ abſolutioni ab hæreſi anteponantur. Vide Sanchez. *l. 7. d. 72.* Azor. *Inſtit. mor. l. 8. cap. 11. q. 5.* Hîc addendum, Pactum matrimonio Catholici cum hæretica additum, ut liberorum alij patrem fidelem, alij verò matrem hæreticam ſequantur, impium & irritum eſſe, utpote bonis moribus, ſalutíque æternæ repugnans.

Digitized by Google

Quæritur XVIII.

AN vi rapta poſſit in uxorem haberi, & duci etiam volens?

RESOLUTIO.

UT raptus conſtituat impedimentum dirimens matrimonium, requiritur juxta conſtitutionem Trident. *ſeſſ. 24. de Reform. cap. 6.* 1. Ut raptor contrahat cum rapta, quamdiu ipſa manet in illius poteſtate. 2. Ut mulier ſit rapta violenter: ſi enim conſenſit, vel non fuit invita, raptus non obſtat valori matrimonij. 3. Ut ſit rapta in ordine ad contrahendum matrimonium, & non ob ſolam fornicationem vel libidinem, prout notat Barboſa hîc *cap. 6. n. 9.* Inter raptorem & raptam, quamdiu hæc in poteſtate raptoris eſt, matrimonium aut ſponſalia validè non contrahuntur, etſi rapta conſentiat. Poterit ea tamen à raptore duci in uxorem, ſi in loco tuto ac libero conſtituta conſenſum dederit, ut colligitur ex Trident. loc. cit.

Quæritur XIX.

QUinam Ordines impediant, vel dirimant Matrimonium?

RESOLUTIO.

SOlos Ordines majores, ſcilicet Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum, utpote quibus ex diſpoſitione Eccleſiaſtica votum ſolemne Caſtitatis annexum eſt, dirimere matrimonium, apud omnes certum eſt. Unde 4. Minoribus utpote quibus dictum votum annexum non eſt, etſi verè participent rationem tam Sacramenti, quàm Ordinis Eccleſiaſtici, vis dirimendi matrimonium non competit. Imò quia præfati Ordines nec votum ſimplex Caſtitatis involvunt, neque etiam inter impedimenta impedientia numerantur, idcircò non impedi-

pediunt, aut illicitum faciunt matrimonium contrahendum: niſi quòd Clericus in Minoribus conſtitutus, & matrimonium contrahens ipſo jure, ut docet Barboſa in Collect. *ad c. 1. de Cler. Conjug. n. 2.* privetur omnibûs Bonîs Eccleſiaſticîs: utpote qui ſimul voluptatibus & carnalibus deſideriis, ac Divinis & Eccleſiaſticis Obſequiis vacare non valeat; ut loquitur Pont. *in c. 3. de Cleric. Conjug.*

Docent aliqui non improbabiliter, dictos Ordines, ſi poſt ſponſalia contracta ſuſcipiantur, ſaltem ex parte ſponſæ ſponſalia diſſolvere, eò quòd ſubiens talem mutationem cenſeatur remittere ſponſæ jus quæſitum: neque etiam puellæ velint contrahere cum iis, quos ſciunt Clericatu inſigniendos.

Quæritur XX.

QUid ſi ille, qui cum una contraxit Sponſalia de futuro, vel etiam de præſenti, poſteà pœnitens cum alia matrimonium contrahat, atque conſumet?

RESOLUTIO.

QUi cum aliqua contraxit ſponſalia de futuro, ac poſtmodùm facti pœnitens cum alia contrahit de præſenti, illicitè quidem facit, ac graviter peccat, teneturque damna priori ſponſæ illata reſarcire: validè tamen (cæteris paribus) contrahit, & verum init matrimonium ratum, ac conſequenter priorî dimiſsâ, cum ſecunda habitare tenetur: quia fortius & indiſſolubile vinculum matrimonij prævalet minori vinculo ſponſalium diſſolubilium. Eſt communis DD. Probabile tamen eſt, ſponſalia priora non diſſolvi ex parte utriuſque, ſed ſolùm ex parte innocentis, ita ut is, qui contrahit matrimonium, mortuâ ſuâ conjuge teneatur fidem priori ſuæ ſponſæ præſtare, eamque ducere ſi velit, quæ non cenſetur renuntiâſſe ſuo juri, niſi interea ad alias nuptias, vel ſponſalia tranſierit. Caſtro-Pal. Averſa alij.

Digitized by Google

Qui cum una verè contraxit de præſenti, cum alia amplius contrahere non poteſt, quia Poligamia Chriſtianis non ſolùm eſt illicita, ſed inſuper matrimonium, quod poſt unam uxorem jam ductam cum alia initur, invalidum, nullùmque eſt: etſi cum priore ſolùm ratum, cum poſteriore verò per carnalem copulam fuiſſet conſummatum juxta *c. Licet. 3. & c. fin. de Sponſ. duor.* Ratio eſt, quòd jus in corpus per prius matrimonium jam utrinque fuerit translatum, adeóque non ampliùs ſit transferibile per aliud ſubſequens matrimonium, ſtante adhuc matrimonio priore.

Quæritur XXI.

QUibus caſibus, & ad quotum uſque gradum impedimentum publicæ honeſtatis dirimat matrimonia?

RESOLUTIO.

PUblica honeſtas eſt Propinquitas ex ſponſalibus validis vel matrimonio rato orta, trahens robur ex conſtitutione Eccleſiæ, quæ judicavit indecorum eſſe, ut quis in uxorem accipiat conſanguineam illius, cum qua prius ſponſalia, vel matrimonium ratum contraxit. Et quidem ſi ſermo ſit de matrimonio rato, extendit ſe hoc impedimentum uſque ad quartum gradum: ſi autem ſermo ſit de ſponſalibus, extendit ſe ſolùm uſque ad gradum primum, iure novo Trident. *ſeſſ. 24. cap. 3.* Eſt autem impedimentum hoc de ſe perpetuum, & perſeverat, etiamſi ſponſalia contracta iterum diſſolvantur, modò ſemel fuerint valida & abſoluta: uti habet nova declaratio Cardinalium de Ann. 1658. die 6. Julij, quam refert, & allegat Gervaſ. Briſac. in ſuo Curſu Theologico hîc *n. 60.* Unde qui ex duabus ſororibus unam ſibi deſponſavit in futurum, alteram autem ſibi carnaliter copulavit, neutram in u-

in uxorem ducere poteſt; non primam ob impedimentum affinitatis ex copula ortum: non ſecundam ob impedimentum publicæ honeſtatis.

Quæritur XXII.

QUæ Affinitas, an primi tantùm vel etiam ſecundi Generis &c. dirimat Matrimonia? In quoto gradu Affinitas ex copula matrimoniali: item extra matrimonium orta ſit impedimentum matrimonij? Quomodo numerentur Gradus Affinitatis?

RESOLUTIO.

AFfinitas, quæ eſt Propinquitas quarumdam perſonarum ex copula carnali proveniens, ratione cujus fit, ut mulier conjugata per conſummationem matrimonij affinis fiat conſanguineis mariti, & viciſſim maritus fiat affinis conſanguineis uxoris. Et hæc ſi oriatur ex copula licita, ſeu matrimoniali, producit impedimentum dirimens, ſe extendens uſque ad quartum gradum, ut conſtat ex *c. Non debet. de Conſang. & Affin.* Si autem oriatur ex copula illicita ſeu extra matrimonium, non ſe extendit ultra ſecundum gradum, uti habetur in Trident. *ſeſſ. 24. cap. 4. de Reform. matr.*

Porrò affinitas ſolùm propriè dicta, ſeu primi generis & priùs deſcripta, impedimentum dirimens conſtituit: nam ſecundum & tertium genus affinitatis (qualia erant e.g. inter virum & affines mulieris: vel inter uxorem & affines mariti &c.) à Concilio Lateranenſi quoad hunc effectum ſublata ſunt.

Quòd ſi affinitas matrimonio jam contracto ſuperveniat, ut ſi maritus adulterium comittat cum conſanguinea uxoris ſuæ in primo vel ſecundo gradu, maritus conjugale debitum ab uxore ſua petere licitè ampliùs non poteſt, niſi obtenta diſpenſatione, quamvìs eidem reddere teneatur: quia innocens ob delictum nocentis non debet privari jure ſuo. Laym. *hìc n. 3.* Sanchez & alij communiter. Gra-

Digitized by Google

Gradus Affinitatis facilè ſunt computandi: nam in eo gradu, quo aliquis eſt conſanguineus marito, fit affinis uxori illius mariti: & vice verſa in eo gradu, quo aliquis vel aliqua eſt conſanguinea uxori, fit affinis marito illius uxoris: quæ res certè nullam habet difficultatem. Fuſiorem explicationem ſi quis deſiderat, videat in Laymanno *loc. cit. n. 5.*

Quæritur XXIII.

AN impotentia: an etiam ſterilitas uxoris ſit cauſa diſſolvendi matrimonij?

RESOLUTIO.

IMpotentia ſeu Inhabilitas ad conſummandum matrimonium per veram copulam, aptam ſcilicet de ſe ad generationem, ſi ſit perpetua, & antecedat contractum matrimonium, eſt impedimentum dirimens illius de jure naturæ. Quòd ſi ſuperveniat matrimonio jam contracto, nō ampliùs diſſolvit illud, quia matrimonium ſemel legitimè contractum eſt inſolubile. Cenſetur autem impotentia eſſe perpetua, quando nullâ humanâ arte, aut citra periculum vitæ, vel ſine peccato, aut aliquo miraculo tolli poteſt, ut communiter cenſent DD. *in c. Fratern. de Frig. & maleſi.*

Impotentia ſolùm temporalis, & multò magìs ſterilitas, veluti non obſtant valori matrimonij, ita nec ſufficiunt ad ejus diſſolutionem. Quòd ſi impotentia judicata fuit perpetua, ac propterea etiam matrimonium ſit diſſolutum, poſtmodùm verò deprehendatur, ſolùm fuiſſe temporalis; quia nimirùm per media naturalia auferri potuiſſet, modò à conjugibus major diligentia fuiſſet adhibita &c. Ejuſmodi mulier e. g. impotens judicata, iterum erit reſtituenda ſuo marito priori, licèt cum alio jam contraxerit, & ex eo liberos ſuſceperit; quia ſecundum matrimonium erat invalidum ob matrimoni-

monium prius legitimè contractum. Uti habetur in *cit. c. 6. de Frig. & maleſic.* Item *c. 7. de Sent. & re jud.* Sterilitatem; quæ conſiſtit in indiſpoſitione accidentali ad generandum ob ſenectutem e. g. non autem ad copulam conjugalem & carnalem, non obſtare valori matrimonij, certum eſt apud omnes: quoniam inauditum eſt, Eccleſiam aliquando præcisè ex hoc titulo matrimonium aliquod diſſolviſſe. Dein finis matrimonij, etſi primarius, eſt quidem generatio prolis, non tamen ſolus, ſed etiam ſedatio ſeu remedium concupiſcentiæ: eſto ergò, quòd ob ſterilitatem accidentalem proles generari nequeat, alter tamen finis adhuc ſubſiſtit, quòd ſcilicet ſit infirmitatis remedium, & humanitatis ſolatium. Uti habetur *c. Nuptiarum cauſ. 27. q. 1.*

Quæritur denique XXIV.

QUid ſi conjugibus utrinque, vel ſaltem uni eorum poſt contractum jam matrimonium innoteſcat impedimentum aliquod dirimens? Quid iis faciendum? Unde petenda diſpenſatio? & quomodo ejuſmodi matrimonia validanda?

RESOLUTIO.

QUid Confeſſario agendum, ſi eidem intra vel extra confeſſionale conſtet de impedimento matrimonij vel contrahendi, vel jam contracti, jam dictum priori p. ad Dubium 9.

Quòd ſi verò ipſi conjuges de ſe veniant in notitiam cujuſdam impedimenti dirimentis, e. g. ſe ipſis deprehendunt, vel ab aliis edocentur, quòd ſibi invicem ſint conſanguinei in quarto conſanguinitatis gradu &c. In tali caſu certè tenebuntur immediatè ab omni actu conjugali, & thoro abſtinere, ac cohabitare tanquam frater & ſoror: imò ſi periculum incontinentiæ immineat, tenebuntur, ſe ipſos ſequeſtrare ſub-

Digitized by Google

re ſub ſpecie cujuſdam e. g. peregrinationis, vel alterius negotij peragendi, uſque dum impetrent diſpenſationem. Ita communiter DD. Porrò diſpenſatio eſt obtinenda vel ab ipſo Summo Pontifice, vel quandoque etiam ab Epiſcopo: etſi enim Epiſcopi de Jure ordinario, ſecluſô ſpeciali privilegiô diſpenſare nequeant in Impedimentis dirimentibus, eò quòd ſint introducta vel ipſo Jure naturali, vel à Summo Pontifice, vel à Concilio Generali, quibus omnibus Epiſcopus eſt inferior: id tamen poſſunt in caſu gravis neceſſitatis, & ſubſiſtentibus certis conditionibus, ſaltem pro foro conſcientiæ, ut communis & certa tam Theologorum, quàm Juriſperitorum tenet Doctrina. Conditiones autem ſunt hæ: 1. Ut impedimentum ſit occultum: vel ſi ſit publicum, ſeparatio nequeat fieri ſine gravi damno, ſcandalo &c. & ob paupertatem, aliave impedimenta SS. Pontifex nequeat adiri, ut cenſet Perez cum aliis apud Gobat. 2. Ut matrimonium jam ſit contractum publicè, ſeu in facie Eccleſiæ, ſimúlque præmiſſis denunciationibus. 3. Ut ſit contractum bona fide, abſque ſcilicet ſcientia impedimenti, quia Tridentinum *ſeſſ. 24. de Reform. cap. 5.* expreſsè vult, ſcienter contrahentes cum impedimento ſeparandos eſſe, eò quòd ſpe diſpenſationis acquirendæ careant. Sufficit tamen probabiliter, ſi ſaltem una pars fuerit in bona fide, quamvìs aliqui requirant bonam fidem ex utraque parte. 4. Ut ſit gravis cauſa, vel urgens neceſſitas, nec SS. Pontifex poſſit adiri, ut dictum.

Porrò impetratâ diſpenſatione putatitij hactenùs conjuges debent conſenſum invicem per ſignum aliquod ſenſibile renovare, eò quòd prius matrimonium & conſenſus ratione impedimenti intercedentis fuerint nulla. Nec tamen neceſsè erit, ut in ejuſmodi caſu occulto renovatio conſensûs fiat coram Parocho & teſtibus, ſeu in facie Eccleſiæ, quia ejuſmodi matrimonium non eſt clandeſtinum, ſed ſublatô impedimen-

Digitized by Google

mentô per Parochum & teſtes, qui aliquando aſſiſtebant, ſatis probari poteſt, eſto, quòd ob impedimentum occultum ab initio fuerit nullum. Ita Sanchez *l. 2. de Matri. d. 37.* referens ex Navarro, ita declarâſſe Pium V.

Supereſt, ut etiam oſtendamus viam, quomodo Diſpenſatio Româ, ſi opus ſit, omnium commodiſſimè obtineri poſſit. Igitur fideles egentes abſolutione, vel diſpenſatione ratione cenſurarum, votorum, impedimentorum matrimonij, irregularitatum, & caſuum reſervatorum, omnium optimè facient, ſi ſuum accedant Parochum vel Confeſſarium, aliúmve Virum prudentem & doctum: is verò neceſſè non habet, ut ſcribat ad ipſum SS. Pontificem, ſed ad S. Pœnitentiariam modô ſequentî, qui in impreſſo Exemplari Romæ 1685. edito de verbo ad verbum ſic habet:

Initium Litterarum, ſeu titulus interior:

EMINENTISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE.

Copia ſeu ſubſtantia litterarum.

CAJA N. mulier emiſit votum ſimplex Caſtitatis, manet in periculo incontinentiæ, niſi nubat, ſupplicat, ſibi votum commutari ad effectum contrahendi matrimonium.

Terminus Litterarum ſeu ſupplicationis.

Dignetur EMINENTIA VESTRA reſcribere ad NN. (*exprimatur nomen & cognomen, cui eſt reſcribendum*) ad Civitatem N. (*exprimendo nomen Civitatis*) per Oppidum N. (*exprimendo vulgari nomine nomen Oppidi*)

Et dirigere Breve ſeu gratiam ſimplici Confeſſario, ſeu Confeſſario Magiſtro in Theologia, ſive Decretorum Doctori, ſive Parocho, cui pœnitens aperuit ſuam conſcientiam, ne ipſe pœnitens, & præſertim fœminæ cogantur circumire pro executione Gratiæ ſacræ Pœnitentiariæ.

Digitized by Google

Titulus exterior ad dirigendas Litteras.

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO, DOMINO CARDINALI MAJORI POENITENTIARIO.

Romam.

Ejuſmodi autem Romam ſcribentes diligentiſſimè caveant, ac conſcientiæ ſibi ducant, ne in ſua ſupplicatione exprimant falſum, vel occultent verum, præſertim in iis, quæ de jure requiruntur: ſed exactè conſiderent, ac trutinent circumſtantias cauſarum & motiva diſpenſationum ſeu commutationum, & ſincerè ac fideliter referant, ne ipſa Diſpenſatio impetrata ſit ſub - aut obreptitia: & ſic quòd debuiſſet eſſe ſublevamen ad ſalutem, ex malitia ſcribentis, vel malè informantis fiat anſa & cauſa æternæ perditionis.

Sed hactenùs dicta ſufficiant, qui fuſiorem, vel genio ſuo accommodatiorem Quæſtionum iſtarum Solutionem deſiderat, Libros & AA. citatos conſulat: interim hæc æqui, bonique habeat, donec præſtantiora elaboret.

In omnibus glorificetur DEUS.

S. P. B. Reg. *cap.* 57.

IN-

INDEX

Rerum ac Verborum Totius Operis.

Abbatiſſa.

AN poſſit ſuarum Monialium vota irritare? Foliô 100.

Abortus.

An, & quale Peccatum? fol. 183. & ſeq. Pœnæ procurantium abortum. f. 188.

Acedia.

An,& quale Peccatum? f. 388.

Adulterium.

An in adulterio deprehenſus poſſit occidi? f. 166. An poſſit ſe defendere moderamine inculpatæ tutelæ? f. 167. Qualem trahat poſt ſe obligationem ſatisfaciendi? f. 236.

Affinitas.

Vide verb. *Sacramentum.* ubi de Matrimonio &c.

Blaſphemia.

Blaſphemans ex aliqua inadvertētia quomodo peccet? f. 27. Quid & quotuplex ſit? f. 70. Quomodo differant ſpecie? f. 72. Quid de conſuetudine blaſphemandi? f. 73. Quandonam ſolùm venialis? f. 74.

Bona inventa.

An liceat retinere? f. 310. Quid de bonis incertis ex delicto? f. 312.

Calumnia.

Calumnia, contumelia, ſeu convitium quale peccatum? f. 333. item f. 374.

Caſus reſervatus.

An invalidè abſolutus liberetur ſaltem à reſervatione, ſi quædam

 dam

dam reſervata eſt confeſſus? f. 139.

Cenſura.

Quid ſit, & quotuplex: ejus effectus: quis eam infligere queat? f. 470.

Charitas Dei.

Quid ſit, & quodnam ejus objectum? f. 22. Quandonam peccet quis Deum non amando; & quando obliget præceptum Charitatis Dei? f. 23. Quomodo Deus debeat diligi ſuper omnia? f. 25. An detur parvitas materiæ in transgreſſione hujus præcepti? f. 28. Vitia Charitati oppoſita. f. 382.

Charitas proximi.

Quomodo obliget hoc præceptum? f. 179. f. 181. Quomodo teneamur proximo ſubvenire in gravibus neceſſitatibus? f. 177.

Circumſtantia.

An non tantùm ſpeciem mutantes, ſed notabiliter aggravantes in Confeſſione neceſſariò exprimendæ? f. 196.

Cognatio.

Quid ſit? & quomodo numerentur Gradus? f. 489.

Comeſtio carnium.

Inter Hæreticos diebûs prohibitîs quale peccatum? f. 13. Comeſtio carnium die jejunij. f. 124.

Compenſatio occulta.

Quale peccatum: quæ conditiones requiſitæ, ut ſit licita? f. 307. & ſeq.

Complex.

Quomodo in Confeſſione manifeſtandus? Vide verb. *Confeſſio.*

Concupiſcentia.

Quotuplex, & quale peccatum? f. 396. Quomodo in Confeſſione explicanda? f. 397. & ſeq. Concupiſcere res proximi quando, & quale peccatum? f. 401. & ſeq.

Confeſſarius.

Quid agendum Confeſſario cum pœnitente Hæretico? f. 5. An non abſolvens pœnitentem nihilominùs teneatur ad ſigillum? f. 6. Quid agendum Confeſſario cum magicæ arti addicto? f. 30. Quid cum confitente venerea? f. 193. item 202. Qualitas Confeſſarij. f. 425. & ſeq. Dubitans de gravitate peccati. f. 442. Quid ſi non recordetur

Digitized by Google

detur omnium peccatorum recenſitorum? f. 443. Abſolvens pœnitentem non interrogatum de ſpecie & numero peccatorum. f. 454. Si non obligavit pœnitentem ad reſtitutionem? f. 455. Si pœnitentem non abſolvit, vel invalidè? f. 456. An poſſit uti Scientiâ Confeſſionis? f. 458. Dubitans de ſufficienti diligentia adhibita? f. 460. Quomodo peccet ex inadvertentia? f. 467. Ad quid in variis circumſtantiis obligetur? f. 468.

Confeſſio & Comunio.

Quomodo & quando hoc præceptum obliget. f. 136. item 142. An ſatisfiat ei per confeſſionem & communionem ſacrilegam? f. 138. An in confeſſione complex occulti criminis neceſſariò manifeſtandus, ſi aliter peccatum exponi non poſſit? f. 350.

Contractus.

Quænam culpæ vitandæ in contractibus. f. 314. An contractus Mohatras, & Montes pietatis ſint liciti, vel uſurarij? f. 331.

Correctio fraterna.

Quale illius præceptum? &c. f. 371.

Culpa.

Quid, & quotuplex; & quale poſt ſe trahat onus reſtitutionis culpa levis, vel merè juridica. f. 293. An & quomodo culpa levis vel leviſſima poſſit fieri lata & gravis in contractibus? f. 305. Ex qua culpa teneantur obligati ex *quaſi contractu*? f. 306.

Defenſio.

Per moderamen inculpatæ tutelæ ſui ipſius quando, & ſub quibus conditionibus liceat? f. 161. item f. 167. An liceat occidere ad defendenda bona fortunæ? f. 168. An ad defendendum honorem? f. 173. An ad defendendũ proximum? f. 179.

Delectatio moroſa.

Quid, & an ſemper peccaminoſa? f. 189. item f. 203. & f. 209. Quantam requirat deliberationem? f. 242. Quanta requiratur Reſiſtentia? f. 244.

Deſperatio.

Quando contingat, & an admittat parvitatem materiæ? f. 17. & 18.

Digitized by Google

& 18. item f. 21. Quid agendum ei, cui revelata eſt ſua æterna damnatio? f. 18.

Detractio.

Quid & quotuplex Detractio, & quomodo detractores examinandi? f. 335. An omnes detractiones graves ejuſdem ſint ſpeciei? f. 336. Aliis referre audita tantùm, quale peccatum? f. 338. Quid ſentiendum de detractionibus mortuis factis? ibidem: item f. 340. Referre occulta, vera tamen, quale peccatum? f. 343. Quando liceat occultum crimen aliis revelare? f. 348. An grave crimen proximi uni tantùm propalare grave peccatum ſit? f. 353. Item an dudum præterita? f. 356. Qualis Reſtitutio facienda ex detractionibus? f. 360. Audire detrahentes quomodo peccaminoſum? f. 369.

Diſcordia.

An & quale peccatum? f. 384. & ſeq.

Diſpenſatio.

Quinã diſpẽſare poſſint in præcepto Jejunij? f. 134. Unde petẽda, & modus eã petẽdi? f. 501.

Divinatio.

Quid, & quando peccaminoſa? f. 39. Item f. 42.

Dubium.

In dubio an aliquid reſtituendum? f. 365.

Duellum.

Quando licitum? f. 175.

Emptor.

Rei furtivæ, an poſſit eam reddere furi ad pretium ſuum recipiendum? f. 283.

Feſtus dies.

Quænam opera die feſto ſint prohibita? f. 109. &c.

Fides Theologica.

Quid ſit: & quodnã ejus objectum? f. 1. Duplex ejus Præceptum, affirmativum & negativum? f. 2. Ignorans quomodo peccet? f. 2. Et qualiter inſtruendus? f. 3. Quænam credenda neceſſariò neceſſitate medij? f. 4. Quandonam Fides ſatis promulgata, ut obliget ad credendum? f. 4. Dubius in fide quomodo peccet? f. 9. Quid de Scrupulis circa Fidem? f. 10. Quando Præceptũ externè profitendi fidem obliget? f. 15.

Fili-

Filiusfamilias.

Qualem amorem & reverentiam debeat parentibus, & quomodo in transgreſſione horum peccet? f. 146. &c. In quibus non teneatur obedire patri? f. 152. Quomodo quoad Sponſalia vel Matrimonium ineundum dependeat à conſenſu parentum? f. 152. An nubens inconſulto patre poſſit exhæreditari? f. 153. De furtis filiorumfamilias. f. 257. &c.

Fornicatio.

Qualem poſt ſe trahat obligationem reſtituendi? f. 232. & ſeq.

Fraterna correctio.

Vide: Correctio fraterna.

Fur, Furtum.

In furto deprehenſus an poſſit occidi? f. 166. Furtum quid & quotuplex? f. 151. Quantitas illius ad conſtituendum peccatum mortale? f. 252. Item Furta Filiorumfamilias, Officialium, Tutoris, famulorum &c. f. 257. Item Religioſorum? f. 262. De furtis minutis. f. 270. Item f. 273. Quid requiratur, ut coaleſcant? f. 272. Rem alienam detinere, an & quale peccatum? f. 303.

Hæreſis.

Quid ſit? f. 6. Spargens doctrinam contra fidem, quomodo peccet, & ad quid teneatur? f. 7. An Hæreſis merè interna ab Eccleſia puniri poſſit? f. 9. Legere Libros hæreticos quandonam grave peccatum, & qualis ignorantia excuſet? f. 11. Converſari, & communicare cum Hæreticis quandonam peccatum? f. 13.

Homicidium.

Quale peccatum, & quam reſtitutionem poſt ſe trahat? f. 157. & ſeq. Ob quale damnum in bonis fortunæ liceat occidere? f. 171. An ad defendendum honorem f. 173. Et proximum? f. 179. Vide: Abortus.

Idololatria.

Quid, quotuplex, & quale peccatum ſit? f. 30. 31.

Jejunium.

Quid & quotuplex? f. 124.

Qua-

Quale peccatum comedere carnes tempore Quadrageſimæ? f. 124. & 126. Quænam ætas obliget, vel deobliget ab hoc præcepto? f. 127. An liceat transferre cœnam ad veſperam, collatione ſumptâ in meridie? f. 129. An potus ex intentione ſedandi famem ſumptus violet jejunium? f. 131. Quinam diſpenſare poſſint in præcepto Jejunij? f. 134.

Inadvertentia.

Inadvertenter blasphemus quomodo peccet? f. 27.

Inventa.

Vide: Bona inventa.

Invidia.

An & quale peccatum? f. 384. Item f. 404. & ſeq.

Irregularitas.

Quomodo per homicidium, vel mutilationem incurratur? f. 163. & ſeq.

Judicium temerarium.

Quid & quale peccatum? f. 377.

Juramentum.

Quid ſit? f. 51. Quotuplex? f. 53. Quale peccatum? f. 52. Quid opus, ut Juramentum ſit actus Virtutis Religionis? f. 53. Quid de Conſuetudine jurandi? f. 54. Diverſi modi jurandi. f. 55. 56. 57. & ſeq. Regula univerſalis dignoſcendi, quando juratum, vel non? f. 58. Juramentum judiciale. f. 60. Qualis Obligatio ex juramento ficto, ſimulato, vel doloſo? f. 62. & 65. Juramentum factum contra Legem civilem an obliget? f. 65. Juramentum non ampliùs ludendi an obliget? f. 416.

Laborare die feſto.

Quomodo prohibitum? f. 109. & ſeq.

Libri prohibiti.

Libros prohibitos legere quale peccatum? f. 11. Libellus famoſus quid? Et quænam illius pœnæ? f. 376.

Luſus.

An & quando peccaminoſus? f. 407. & ſeq. In quibus

bus circumſtantiis graviter prohibitus? f. 411. & ſeq. De Luſu Religioſorum. f. 418.

Luxuria.

Peccata Luxuriæ quomodo explicanda in Confeſſione? f. 193. An admittat parvitatem materiæ? f. 198. & ſeq. Quot ſpecies Luxuriæ, & quænam illæ? f. 206. Verba turpia & obſcœna quomodo peccaminoſa? f. 212. & ſeq. Tactus impudici. f. 218. An dari poſſit ignorantia invincibilis in ſpeciebus Luxuriæ? f. 219.

Magia & maleficium.

Quid & quotuplex Magia? f. 32. Maleficium quid, quotuplex? & quomodo tollendum? f. 33. & 34. Qualis reſtitutio facienda pro maleficio? ibid. Quænam remedia ſpiritualia adhibenda contra maleficia? f. 36. Regulæ univerſales dignoſcendi magica & ſuperſtitioſa? f. 49.

Maledictum ſeu imprecatio.

Quando & quale peccatum? f. 73.

Matrimonium.

Quære verb. *Sacramentum.*

Miles.

De damnis militum & reſtitutione. f. 285. Quid licitè fiat à militibus tempore belli? f. 287. & ſeq.

Miſſa.

Vide: Sacrificium Miſſæ. Quinam omnes obligentur hôc præceptô, & quomodò eidem ſatisfiat? f. 118. & ſeq. Quænam cauſæ excuſent à præceptò audiendi Miſſam? f. 122.

Monopolium.

An & quomodo licitum vel illicitum? f. 322. & ſeq.

Mutilatio.

Quid poſt ſe trahat? f. 165.

Nuptiæ.

Quo tempore prohibitæ? f. 143. & 144. Pœnæ transgreſſoribus hujus præcepti conſtitutæ. f. 145.

Obſcœna & oſcula &c.

Vide: Luxuria.

Digitized by Google

Odium Dei & proximi.

Vide: Charitas DEI & proximi. f. 365.

Opera ſervilia.

Quænam die feſto prohibita? f. 109. & ſeq.

Pactum.

Pactum implicitum cum Dœmone. f. 44. & ſeq.

Paterfamilias.

Quomodo obligetur filiis? f. 147. Et quomodo ſoleat peccare contra eos? f. 154. An poſſit occidere conjugem, vel filiam in adulterio deprehenſam? f. 166.

Peccatum.

Quomodo peccata in Spiritum Sanctum ſint irremiſſibilia? f. 20. Numerica Diſtinctio peccatorum unde univerſim deſumenda? f. 226. Peccata ex luſu oriri ſolita? f. 415.

Peculium.

Quotuplex? f. 258.

Pœnitens.

Quid agendum cum pœnitente Hæretico? f. 5. Quid cum rudi? f. 429. An & quando ſub actuali confeſſione interpellandus? f. 430. An & quando objurgandus? f. 431. An & quando examinandus? f. 432. Varij pœnitentes quomodo examinandi? f. 434. Quid agendum circa ſæpè ſacrilegè confeſſum, & ad repetitionem priorum Confeſs. minùs diſpoſitum? f. 435. An à pœnitente exigenda certa promiſſio reſtitutionis? f. 437. Quid ſi incurrant impedimenta Matrimonij, & ipſe Confeſſarius neſciat quid juris? f. 440. Quales injungendæ pœnitentiæ? f. 444. Si pœnitens non perſolvit pœnitentiam, vel oblitus fuerit? f. 446. Quid ſi recuſet eam? f. 447. Si nulla appareat emendatio? f. 448. Si nolit obedire Confeſſario? f. 450. Quid circa inimicitias à pœnitente requirendum? f. 450. Si dubium ſit de diſpoſitione pœnitentis. f. 453.

Pollutio.

An & quotuplex peccatum? f. 221. & ſeq. An omnes pollutio-

Digitized by Google

lutiones ſint ejuſdem ſpeciei? f. 224.

Præſumptio.

Quandonam grave peccatum? f. 19.

Pretium.

Quotuplex ſit, & quô pretiô licitum ſit emere & vendere? f. 316.

Publicum ſeu notoriũ.

Quot modis aliquid dicatur Publicum ſeu Notorium? f. 344.

Quantitas.

Ad conſtituendum peccatum mortale in furto. f. 252. & ſeq.

Religioſus.

Quomodo obligetur ex contractu vel promiſſione etiam jurata? f. 420. Item ex furto, fraude, vel aliô damnô? f. 421.

Reſtitutio.

Quid reſtituendum pro fornicatione? f. 232. & ſeq. Quid pro adulterio? f. 236. Quænam omnia cadant ſub onus reſtitutionis? f. 249. De reſtitutione furtorum Filiorum-familias, Officialium, famulorum? f. 257. & ſeq. Item Religioſorum? f. 262. Item f. 421. & ſeq. Quot & quæ radices reſtitutionis? f. 277. Qualis oriatur obligatio reſtituendi ex culpa levi juridica L. Aquilia &c.? f. 293. & ſeq. Qualis ex detractionibus? f. 360. & ſeq. In dubio an aliquid reſtituendum? f. 365.

Reſtrictio mentalis.

An ſit licita? f. 60. & 61. Item f. 392.

Sacramentum.

Quid & quotuplex? f. 461. Quid Sacræ Euchariſtiæ, & quæ de eo quæri poſſunt? f. 463. Quid Sacræ Pœnitentiæ, & quæ requiſita illius? f. 466. Sacramentum Ordinis quid, & huc facientia? f. 479. De conditionibus circa Matrimonium? f. 486. An & quale votum Caſtitatis dirimat matrimonium? f. 488. Quæ crimina irritent matrimonium? f. 491. Quid de diverſæ Religionis conjugibus? f. 493.

Quid de vi rapta? f. 494. Quinam Ordines impediant? f. 494. Quando impedimentum publicæ honeſtatis impediat matrimonium? f. 496. Quæ affinitas? f. 497. Impotentia uxoris ſitne cauſa dirimens? f. 498. Quomodo validandum matrimonium, & quid faciendum conjugibus, ſi innoteſcat poſt contractum matrimonium impedimentum dirimens? f. 499.

Scandalum.

An & quale peccatum? f. 389.

Senium.

Quando deobliget à præcepto jejunij? f. 127.

Spes.

Quid ſit & quale ejus objectum? f. 16. Deſperatio quandonam contingat, & an admittat parvitatem materiæ? f. 17. & 18. Quandonam obliget præceptum Spei? f. 21.

Sponſalia.

Varia de his quæſita enodantur? f. 480. &c.

Sponſi.

An plus his licitum, quàm aliis? f. 216. Quid ſi ſponſus contraxit ſponſalia &c. poſtea pœnitens cum alia contrahit matrimonium? f. 495.

Superſtitio.

Quid ſit? f. 29. Et quomodo contingat? f. 37. & 38. & ſeq. Regulæ univerſales dignoſcendi ſuperſtitioſa. f. 49. Item 452.

Suſpicio.

An & quale peccatum? f. 377.

Tactus.

Inhoneſti tactus. Vide: Luxuria.

Tentatio carnis.

Quomodo & in quantum huic reſiſtendum? f. 239. & ſeq.

Tentatio Dei.

Quando contingat, & quale peccatum? f. 43.

Theſaurus.

Inventus an poſſit retineri? f. 310.

Digitized by Google

Venditio.

Res vendere ſupra pretium condignum quale peccatum? f. 303. &c.

Veneficium.

Vide: Maleficium.

Votum.

Quid ſit? f. 77. Quid judicandum in dubio? f. 79 & 81. Quid de vovente, animo ſe non obligandi, vel ſaltem non exequendi promiſſum? f. 79. Votum rerum indifferentium. f. 85. Quid de votis mixtis? f. 87. Vota conditionata. f. 89. Differre impletionem voti quale peccatum? f. 90. An liceat impletionem voti prævenire? f. 94. Quid cenſendum de votis ex metu factis? f. 95. De Votis conjugatorum? f. 97. De Votis Filiorumfamilias, Religioſorum? f. 99. Commutatio voti? f. 202. Diſpenſatio voti. f. 103. Votum non ampliùs ludendi an teneat? f. 416.

Uſura.

Quando committatur, & quale peccatum? f. 326. Pœnæ uſurariorum. f. 332.

Uxor.

In quibus potiſſimùm peccet circa ſuum Maritum? f. 155.

F I N I S.


MH4 2007340

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google





Digitized by Google